Guillelmus de Ockham

SUMMA LOGICAE

A.D. 1323

PROLOGUS

Quam magnos ueritatis sectatoribus afferat fructus sermocinalis scientia, quam logicam dicimus, multorum peritorum docet auctoritas, ratioque et experientia liquido comprobat et conuincit. Unde Aristoteles, auctor praecipuus huius scientiae, nunc introductoriam methodum, nunc sciendi modum, nunc scientiam omnibus communem et uiam ueritatis appellat, dans ex his intelligere quod nulli ad sapientiam patet accessus nisi in scientia logica erudito. Auerroes quoque, Aristotelis interpres, in Physicis dialecticam dicit esse "instrumentum discernendi uerum a falso". Ipsa namque cuncta dubia definit, cunctas Scripturarum difficultates dissoluit et penetrat, ut testatur doctor egregius Augustinus.

Cum enim duo sint actus sapientis ad alterum, "non mentiri de quibus nouit et mentientem manifestare posse", ut scribitur in Elenchis, hoc autem fieri nequit absque discretione ueri a falso, quod solum praestat haec methodus, luculenter apparet eam fore perutilem speculanti.

At uero haec sola facultatem praebet arguendi in omni problemate, omneque genus sophismatum dissoluere docet et demonstrationis medium inuenire; mentem quoque a uinculis, quibus heu detinetur, absoluit atque libertati restituit. Quemadmodum enim uincula corporis membra ligant, necnon et officia ad quae instituta sunt prohibent, sic falsa argumenta et sophistica, ut docet Aristoteles, mentem nectunt. Similiter haec ars errorum caliginem detegit, actus dirigit humanae rationis instar lucis. Quinimmo et luci comparata inuenitur prior. Sicut enim exclusa hac luce corporea actus humani aut nulli essent aut errabundi et saepe in praeiudicium operanti, sic absque huius facultatis peritia actus rationis.

Cernimus namque plurimos, hac scientia praetermissa uolentes intendere disciplinae, multifarie oberrare, errores uarios docendo seminare, opiniones absurditate plenas confingere sine modo et ordine, et penitus non intelligibiles sermones prolixos texere et ordinare, simile quiddam patientes languidorum somniis ac fictionibus poetarum, rationes nullius omnino uigoris uelut insolubiles ponderantes, uim propriae uocis ignorantes, qui eo periculosius errant quo se existimant prae aliis sapientes, audacter sine differentia falsa pro ueris auditorum auribus ingerentes.

Praemissae itaque utilitatis, quam logica administrat, intuitu motus, praeclarus ille philosophus peripateticus Aristoteles eam artificiose composuit, quam quia propter obscuritatem Graeci sermonis in Latinum translati quis assequi sine temporis diuturnitate uix poterat, posteriores in his sufficienter edocti, uaria opuscula ordinantes, iter facile ad eam satagentibus praebuerunt. Inter quos sane praecipuum existimo uenerabilem doctorem fratrem Guillelmum, natione Anglicum, ordine Minorem, sed ingenii perspicacitate et doctrinae ueritate sublimem.

Siquidem hic doctor eximius, multorum saepe pulsatus precibus, totius huius methodi considerationem plene et limpide ac seriose composuit, initians a terminis ut a prioribus, deinde cetera prosecutus, usque ad finem perduxit.

Ad studiosos itaque, preces pro hoc praeclaro licet compendioso uolumine geminantes, stilum dirigens, sed uniuersis prodesse cupiens, exorsus est ita dicens :

Dudum me, frater et amice carissime, tuis litteris studebas inducere ut aliquas regulas artis logicae in unum tractatum colligerem ac tuae dilectioni transmitterem. Cum igitur tui profectus ac ueritatis amore inductus tuis precibus nequeam contraire, expertar quod hortaris remque mihi difficilem, sed tam tibi quam mihi, ut aestimo, fructuosam aggrediar.

Logica enim est omnium artium aptissimum instrumentum, sine qua nulla scientia perfecte sciri potest, quae non more materialium instrumentorum usu crebro consumitur, sed per cuiuslibet alterius scientiae studiosum exercitium continuum recipit incrementum. Sicut enim mechanicus sui instrumenti perfecta carens notitia utendo eodem recipit pleniorem, sic in solidis logicae principiis eruditus dum, aliis scientiis operam impendit sollicite simul istius artis maiorem adquirit peritiam. Unde illud uulgare "ars logica labilis ars est" in solis sapientiale studium negligentibus locum reputo obtinere.

Logicae igitur considerationis continentiam prosequendo, a terminis ut a prioribus exordium assumendum est, deinde de propositionibus, postremo de syllogismis et aliis speciebus argumentationis perscrutatio subsequetur. Et quia plerumque contingit ante magnam experientiam logicae subtilitatibus theologiae aliarumque Facultatum iuniores impendere studium, ac per hoc in difficultates eis inexplicabiles incidunt, quae tamen aliis paruae sunt aut nullae, et in multiplices prolabuntur errores, ueras demonstrationes tamquam sophismata respuentes et sophisticationes pro demonstrationibus recipientes, tractatum hunc duxi scribendum, nonnumquam in processu regulas per exempla tam philosophica quam theologica declarando.

Pars I : De terminis

1.01 DE DEFINITIONE TERMINI ET EIUS DIVISIONE IN GENERALI

Omnes logicae tractatores intendunt astruere quod argumenta ex propositionibus et propositiones ex terminis componuntur. Unde terminus aliud non est quam pars propinqua propositionis. Definiens enim terminum Aristoteles, I Priorum, dicit: "Terminum uoco in quem resoluitur propositio, ut praedicatum et de quo praedicatur, uel apposito uel diuiso esse uel non esse".

Sed quamuis omnis terminus pars sit propositionis, uel esse possit, non omnes termini tamen eiusdem sunt naturae; et ideo ad perfectam notitiam terminorum habendam oportet aliquas diuisiones terminorum praecognoscere.

Est autem sciendum quod sicut secundum Boethium, in I Perihermenias, triplex est oratio, scilicet scripta, prolata et concepta, tantum habens esse in intellectu, sic triplex est terminus, scilicet scriptus, prolatus et conceptus. Terminus scriptus est pars propositionis descriptae in aliquo corpore, quae oculo corporali uidetur uel uideri potest. Terminus prolatus est pars propositionis ab ore prolatae et natae audiri aure corporali. Terminus conceptus est intentio seu passio animae aliquid naturaliter significans uel consignificans, nata esse pars propositionis mentalis, et pro eodem nata supponere. Unde isti termini concepti et propositiones ex eis compositae sunt illa uerba mentalia quae beatus Augustinus, XV De Trinitate, dicit nullius esse linguae, quia tantum in mente manent et exterius proferri non possunt, quamuis uoces tamquam signa subordinata eis pronuntientur exterius.

Dico autem uoces esse signa subordinata conceptibus seu intentio nibus animae, non quia proprie accipiendo hoc uocabulum 'signa' ipsae uoces semper significent ipsos conceptus animae primo et proprie, sed quia uoces imponuntur ad significandum illa eadem quae per conceptus mentis significantur, ita quod conceptus primo naturaliter significat aliquid et secundario uox significat illud idem, in quod uoce instituta ad significandum aliquid significatum per conceptum mentis, si conceptus ille mutaret significatum suum eo ipso ipsa uox, sine noua institutione, suum significatum permutaret. Et pro tanto dicit Philosophus quod uoces sunt "earum quae sunt in anima passionum notae". Sic etiam intendit Boethius quando dicit uoces significare conceptus. Et uniuersaliter omnes auctores, dicendo quod omnes uoces significant passiones uel sunt notae earum, non aliud intendunt nisi quod uoces sunt signa secundario significantia illa quae per passiones animae primario importantur, quamuis aliquae uoces primario importent passiones animae seu conceptus, quae tamen secuiidario important alias animae intentiones, sicut inferius ostendetur. Et sicut dictum est de uocibus respectu passionum seu intentionum seu conceptuum, eodem modo proportionaliter, quantum ad hoc, tenendum est de his quae sunt in scripto respectu uocum.

Inter istos autem terminos aliquae differentiae reperiuntur. Una est quod conceptus seu passio animae naturaliter significat quidquid significat, terminus autem

prolatus uel scriptus nihil significat nisi secundum uoluntariam institutionem. Ex quo sequitur alia differentia, uidelicet quod terminus prolatus uel scriptus ad placitum potest mutare suum significatum, terminus autem conceptus non mutat suum significatum ad placitum cuiuscumque.

Propter tamen proteruos est sciendum quod signum dupliciter accipitur. Uno modo pro omni illo quod apprehensum aliquid aliud facit in cognitionem uenire, quamuis non faciat mentem uenire in primam cognitionem eius, sicut alibi est ostensum, sed in actualem post habitualem eiusdem. Et sic uox naturaliter significat, sicut quilibet effectus significat saltem suam causam; sicut etiam circulus significat uinum in taberna. Sed tam generaliter non loquor hic de signo. Aliter accipitur signum pro illo quod aliquid facit in cognitionem uenire et natum est pro illo supponere uel tali addi in propositione, cuiusmodi sunt syncategoremata et uerba et illae partes orationis quae finitam significationem non habent, uel quod natum est componi ex talibus, cuiusmodi est oratio. Et sic accipiendo hoc uocabulum 'signum' uox nullius est signum naturale.

1.02 DE DIVISIONE TERMINI, ET QUOD DIVERSIMODE POTEST ACCIPI HOC NOMEN 'TERMINUS' IN SPECIALI

Est autem sciendum quod hoc nomen 'terminus' tripliciter accipitur. Uno modo uocatur terminus omne illud quod potest esse copula uel extremum propositionis categoricae, subiectum delicet uel praedicatum, uel etiam determinatio extremi uel uerbi. Et isto modo etiam una propositio potest esse terminus, sicut potest esse pars ropositionis. Haec enim uera est 'homo est animal: est propositio uera' in qua haec tota propositio 'homo est animal' est subiectum, et 'propositio uera' est praedicatum. Aliter accipitur hoc nomen 'terminus'scundum quod distinguitur contra orationem, et sic onme incomplexum uocatur terminus. Et sic de termino in praecedenti capitulo sum locutus. Tertio modo accipitur terminus praecise et magis stricte pro isto quod significatiue sumptum potest esse subiectum uel praedicatum propositionis. Et isto modo nullum uerbum, nec coniunctio nec aduerbium nec praepositio nec interiectio est terminus; multa etiam nomina non sunt termini, scilicet nomina syncategorematica, quia talia quamuis possint esse extrema propositionum si sumantur materialiter uel simpliciter, quando tamen sumuntur significatiue non possunt esse extrema propositionum. Unde ista oratio 'legit: est uerbum' congrua est et uera si hoc uerbum 'legit' sumatur materialiter, si autem significatiue sumeretur non itelligibilis esset. Similiter est de talibus 'omnis: est nomen'; 'olim: est aduerbium'; 'si: est coniunctio'; 'ab: est praepositio'. Et isto modo accipit Philosophus terminum quando definit terminum I Priorum.

Non solum autem unum incomplexum potest esse terminus, sic accepto termino, sed etiam compositum ex duobus incomplexis, scilicet compositum ex adiectiuo et substantiuo; et etiam compositum ex participio et aduerbio uel praepositione cum suo casuali potest esse terminus, sicut potest esse subiectum uel praedicatum propositionis. In ista enim propositione 'omnis homo albus est homo' nec 'homo' nec 'albus' est subiectum, sed hoc totum 'homo albus'. Similiter hic

'currens uelociter est homo' nec 'currens' nec 'uelociter' est subiectum, sed hoc totum 'currens uelociter'.

Est autem sciendum quod non tantum nomen acceptum in recto potest esse terminus, sed etiam casus obliquus potest esse terminus, quia potest esse subiectum propositionis et etiam praedicatum. Verumtamen obliquus non potest esse subiectum respectu cuiuscumque uerbi: non enim bene dicitur 'hominis uidet asinum', quamuis bene dicatur 'hominis est asinus'. Quomodo autem et respectu quorum uerborum potest obliquus esse subiectum et respectu quorum non, ad grammaticum pertinet, cuius est constructiones uocum considerare.

1.03 DE DIVISIONE TERMINI INCOMPLEXI

Visa aequiuocatione istius nominis 'terminus' prosequendum est de diuisionibus termini incomplexi. Unde non solum terminus incomplexus diuiditur in terminum prolatum, scriptum et conceptum, sed etiam singula membra consimilibus diuisionibus subdiuiduntur. Nam sicut uocum quaedam sunt nomina, quaedam sunt uerba, quaedam sunt aliarum partium, quia quaedam sunt pronomina, quaedam participia, quaedam aduerbia, quaedam coniunctiones, quaedam praepositiones, et consimiliter est de scriptis, sic intentionum animae quaedam sunt nomina, quaedam uerba, quaedam sunt aliarum partium, quia quaedam sunt pronomina, quaedam aduerbia, quaedam coniunctiones, quaedam praepositiones.

Utrum autem participiis uocalibus et scriptis correspondeant in mente quaedam intentiones a uerbis distinctae potest esse dubium, eo quod non uidetur magna necessitas talem pluralitatem ponere in mentalibus terminis. Nam uerbum et participium uerbi sumptum cum hoc uerbo 'est' semper uidentur in significando aequiualere. Propter quod sicut nominum synonymorum multiplicatio non est propter necessitatem significationis inuenta, sed propter ornatum sermonis uel aliam causam consimilem accidentalem, quia quidquid per omnia synonyma significatur posset per unum illorum exprimi sufficienter, et ideo multitudo conceptuum tali pluralitati synonymorum non correspondet, ita uidetur quod distinctio inter uerba uocalia et participia non est propter necessitatem expressionis inuenta, propter quod uidetur quod non oportet participiis uocalibus distinctos conceptus in mente correspondere. Et de pronominibus posset esse consimilis dubitatio.

Est autem inter nomina uocalia et mentalia differentia, quia quamuis omnia accidentia grammaticalia quae conueniunt nominibus mentalibus etiam nominibus uocalibus sint conuenientia, non tamen e conuerso, sed quaedam sunt communia tam istis quam illis, quaedam autem sunt propria nominibus uocalibus et scriptis, quia quaecumque conueniunt uocalibus, et scriptis et e conuerso. Accidentia communia nominibus uocalibus et mentalibus sunt casus et numerus.

Sicut enim istae propositiones uocales `homo est animal', 'homo non est animalia' distincta habent praedicata quorum unum est numeri singularis et aliud pluralis, ita propositiones mentales quarum una mens ante omnem uocem dicit

quod homo est animal et alia dicit quod homo non est animalia distincta habent praedicata quorum unum potest dici numeri singularis et aliud pluralis.

Similiter sicut istae propositiones uocales 'homo est homo' et 'homo non est hominis' habent distincta praedicata uariata per casus, sic proportionaliter dicendum est de propositionibus in mente correspondentibus.

Accidentia autem propria nominibus uocalibus et scriptis sunt genus et figura. Talia enim accidentia nominibus propter necessitatem significationis non conueniunt. Unde et aliquando accidit quod duo nomina sunt synonyma et tamen sunt generum diuersorum et aliquando diuersarum figurarum, propter quod talem multiplicitatem non oportet naturalibus signis tribuere. Unde quaecumque pluralitas et uarietas talium accidentium, quae potest competere nominibus synonymis, potest conuenienter a mentalibus amoueri.

De comparatione autem, an conueniat solis nominibus ad placitum institutis, posset esse difficultas, quam tamen quia non est magnae utili tatis pertranseo.

De qualitate posset esse consimilis difficultas, quam alias pertractabo in sua radice.

Per praedicta autem potest studiosus euidenter perpendere quod quamuis aliquando ex sola uariatione accidentium terminorum, scilicet casus, numeri et comparationis, propter tamen rem significatam, potest propositio una uerificari et alia falsificari, hoc tamen numquam accidit propter genus et figuram. Quamuis enim frequenter ad congruitatem orationis habendam oportet aspicere ad genus, — haec enim est congrua 'homo est albus' et haec incongrua 'homo est alba', quod ex sola diuersitate generis oritur —, tamen supposita congruitate nihil refert cuius generis uel cuius figurae sit subiectum uel praedicatum. Sed certe, cuius numeri uel casus sit subiectum uel praedicatum, ad sciendum an propositio sit uera uel falsa oportet aspicere. Haec enim est uera 'homo est animal' et haec falsa 'homo est animalia', et sic de aliis.

Et sicut nominibus uocalibus et scriptis quaedam sunt accidentia propria, quaedam communia illis et mentalibus, consimiliter de uerborum accidentibus est dicendum. Communia sunt modus, genus, numerus, tempus, persona. De modo patet, nam alia oratio mentalis comrespondet isti orationi uocali Sortes legit et isti alia utinam Sortes legeret. De enere patet, nam alia oratio mentalis correspondet isti orationi uocali 'Sortes amat' et isti 'Sortes amatur'. Verumtamen in mente non sunt nisi tria genera, nam dep onentia et co mmunia uocalia non sunt propter necessitatem significationis inuenta, cum uerba communia aequiualeant actiuis et passiuis et deponentia neutris uel actiuis, et ideo non oportet talem plulalitatem in uerbis mentalibus ponere. De numero etiam patet, nam distinctae orationes mentales correspon dent istis 'tu legis', 'uos legitis'. Idem patet de tempore, nam istis 'tu legis', 'tu legisti' distinctae orationes mentales correspondent. Hoc idem patet de persona, ut istis 'tu legis', 'ego lego' aliae correspondent.

Sed quod oporteat ponere talia nomina mentalia et uerba et aduerbia et coniunctiones et praepositiones ex hoc conuincitur quod omni orationi uocali correspondet alia mentalis in mente, et ideo sicut illae partes propositionis uocalis quae sunt propter necessitatem significationis impositae sunt distinctae, sic partes propositionis mentalis correspondenter sunt distinctae. Propter quod sicut nomina uocalia et uerba et aduerbia et coniunctiones et praepositiones sunt necessariae diuersis propositionibus et orationibus uocalibus, ita quod impossibile est omnia exprimere per nomina et uerba solum quae possunt per illa et alias partes exprimi, sic etiam distinctae partes consimiles sunt necessariae mentalibus propositionibus.

Accidentia autem propria uerbis institutis sunt coniugatio et figura. Tamen quandoque uerba diuersaruim coniugationuim possunt esse synonyma et similiter uerba diuersae figurae.

Per praedicta potest studiosus faciliter aduertere quomodo proportionaliter de aliis partibus orationis et earum accidentibus est dicendum.

Nec miretur aliquis quod dico aliqua nomina et uerba esse inentalia, sed prius legat Boethium super Perihermenias, et hoc ibidem in ueniet. Et ideo quando Aristoteles tam nomen quarm uerbum definit per uocem, accipit ibi nomen et uerbum magis stricte, scilicet pro nomine et uerbo uocali.

1.04 DE DIVISIONE TERMINORUM IN TERMINOS CATEG0REMATICOS ET SYNCATEGOREMATICOS, QUAE EST COMMUNIS TAM TERMINIS MENTALIBUS QUAM VOCALIBUS

Adhuc aliter diuiditur terminus, tam uocalis quam mentalis, quia terminorum quidam sunt categorematici, quidam syncategorematici. Termini categorematici finitam et certam habent significationem, sicut hoc nomen 'homo' significat omnes homines et hoc nomen 'animal' omnia animalia, et hoc nomen 'albedo' omnes albedines.

Termini autem syncategorematici, cuiusmodi sunt tales 'omnis', 'nullus', 'aliquis', 'totus', 'praeter', 'tantum', 'inquantum' et huiusmodi, non habent finitam significationem et certam, nec significant aliquas res distinctas a rebus significatis per categoremata, immo sicut in algorismo cifra per se posita nihil significat, sed addita alteri figurae facit eam significare, ita syncategorema proprie loquendo nihil significat, sed magis additum alteri facit ipsum aliquid significare siue facit ipsum pro aliquo uel aliquibus modo determinato supponere uel aliud officium circa categorema exercet. Unde hoc syncategorema 'omnis' non habet aliquod certum significatum, sed additum 'homini' facit ipsum stare seu supponere actualiter siue confuse et distributiue pro omnibus hominibus; additum autem 'lapidi' facit ipsum stare pro omnibus lapidibus; et additum 'albedini' facit ipsum stare pro omnibus albedinibus. Et sicut est de isto syncategoremate 'omnis', ita proportionaliter de aliis est tenendum, quamuis distinctis sycategorematibus distincta officia conueniant, sicut de aliquibus inferius ostendetur.

Et si proteruiatur quod haec dictio 'omnis' est significatiua, ergo aliquid significat, dicendum est quod non ideo dicitur significatiua quia aliquid determinate significat, sed quia facit aliud significare uel supponere uel stare pro aliquo, sicut declaratum est. Et sicut hoc nomen `omnis' nihil determinate et finite significat, secundum modum loquendi Boethii, sic est de omnibus syncategorematibus et uniuersaliter de coniunctionibus et praepositionibus.

De quibusdam autem aduerbiis aliter est, quia quaedam eorum determinate significant illa quae significant nomina categorematica, quamuis alio modo significandi important.

1.05 DE DIVISIONE NOMINIS PER CONCRETUM ET ABSTRACTUM

Omissis autem aliis partibus orationis, de nominibus est dicendum, et priino de diuisione nominis per concretum et abstractum est disserendum.

Et est aduertendum quod concretum et abstractum sunt nomina consimile principium secundum uocem habentia, sed non consimiliter terminantur, sicut patet quod 'iustus' et 'iustitia', 'fortis' et 'fortitudo', 'animal' et 'animalitas' a simili littera uel syllaba incipiunt, sed non terminantur in consimileim. Et semper uel frequenter abstractum plures habet syllabas quam concretum, sicut in praedictis exemplis apparet. Concretum etiam, ut frequenter, est adiectiuum et abstractum substantiuum.

Nominum autem concretorum et abstractorum multi sunt modi. Quandoque enim concretum aliquam rem significat uel connotat siue importat seu dat intelligere, pro qua etiam supponit, quam abstractum nullo modo significat nec per consequens aliquo modo supponit pro eadem, sicut se habent 'iustus' et 'iustitia', 'album' et 'albedo' et consimilia. Nam 'iustus' uere supponit pro homine quando dicitur 'iustus est uirtuosus'; non enim potest supponere pro iustitia, quia iustitia quamuis sit uirtus non tamen est uirtuosa. Hoc nomen uero 'iustitia' supponit pro qualitate et non pro homine. Et propter hoc accidit quod praedicatio talis concreti de abstracto est impossibilis, quia semper concretum tale et abstractum pro distinctis rebus supponunt. Sunt autem, ad praesens, tres species seu diiferentiae talium nominum inferiores. Prima est quando abstractum supponit pro accidente uel est de talibus 'albedo—album', 'calor—calidum', 'sciens—scientia', loquendo de creaturis. Et sic de aliis. Nam in omnibus talibus abstractum supponit pro accidente inhaerente subiecto et concretum supponit pro subiecto eiusdem. E conuerso autem accidit de talibus 'ignis—igneus', nam 'ignis' supponit pro subiecto et 'igneus', quod est concretum, pro accidente eiusdem. Dicimus enim quod calor est igneus et non ignis; similiter dicimus quod ista scientia est humana et non homo. Secunda differentia talium nominum est quando concretum supponit pro parte et abstractum pro toto uel e conuerso sicut in istis 'anima—animatum'; homo enim est animatus et non anima, et ita 'animatum' supponit pro homine et anima pro parte eius. Hic autem 'anima est humana' et 'anima non est homo', 'homo', quod est abstractum, supponit pro toto et humanum pro anima, quae est pars. Est autem aduertendum quod quandoque idem

concretum accipi tur aequiuoce, quia quandoque idein concretum est tam in prima quam in secunda differentia, sicut hoc nomen 'animatum' potest supponere pro toto, quia dicimus quod homo est animatus; et potest supponere pro subiecto recipiente animain, quia dicimus quod corpus, quod est altera pars, est animatum. Et sicut est de isto nomine ita est de multis aliis, quod sic possunt aequiuoce accipi.

Tertia differentia talium nominum est quando concretum et abstractum supponunt pro distinctis rebus, quarum tamen neutra est subiectum nec pars alterius. Et hoc contingit fieri multis modis: nam tales res quandoque se habent sicut causa et effectus, sicut dicimus quod hoc opus est humanum et non homo; quandoque sicut signum et significatum, sicut dicimus quod differentia hominis est differentia essentialis, non quia est essentia, sed quia est signum alicuius partis essentiae; quandoque sicut locus et Iocatum, sicut dicimus quod iste est Anglicus et non Anglia. Multis etiam aliis modis contingit hoc fieri, quae discutienda ingeniosis dimitto.

Et sicut in primis duobus modis aliquod concretum supponit pro parte uel pro forma et abstractum pro toto uel subiecto, et aliquando accidit e conuerso, ita est in proposito. Nam quandoque concretum supponit pro effectu uel significato et abstractum pro causa uel signo, et aliquando e conuerso. Et sic est de ceteris contentis sub isto modo.

Et sicut contingit idem nomen esse concretum primis duobus modis, sed tunc accipitur aequiuoce, ita contingit idem concretum esse concretum primo modo et tertio, immo omnibus tribus modis potest esse concretum. Et ideo isti tres modi inferiores ad primum modum principalem non sic distinguuntur quod unus eorum uniuersaliter negetur a reliquo, sed sic quod quilibet ab alio particulariter amouetur, quod sufficit ad distinctionem talium. Similiter etiam non est inconueniens quod idem nomen respectu diuersorum sit concretum et abstractum.

Sciendum est quod quandoque habemus concretum aequiualenter, cui tamen nullum abstractum propter, penuriam nominum correspondet, sicut est de hoc nomine 'studiosus' quando accipitur pro uirtuoso.

1.06. QUOD NOMEN CONCRETUM ET ABSTRACTUM ALIQUANDO IDEM SIGNIFICANT

Praeter modum praedictum nominum concretorum et abstractorum sunt multi alii, quorum unus est quod nomen concretum et abstractum quandoque sunt 'synonyma' Sed ne in aequiuoco procedatur, sciendum quod hoc nomen 'synonyma' dupliciter accipitur, scilicet stricte et large. Stricte dicuntur illa synonyma quibus omnes utentes intendunt simpliciter uti pro eodem, et sic non loquor hic de synonymis. Large dicuntur illa synonyma quae simpliciter idem significant omnibus modis, ita quod nihil aliquo modo significatur per unum quin eodem modo significetur per reliquum, quamuis non omnes utentes credant ipsa idem significare sed decepti aestiment aliquid significari per unum quod non significatur per reliquum, sicut si

aliqui aestimarent quod hoc nomen 'Deus' importaret unum totum et 'deitas' partem eius.

Isto secundo modo intendo uti in isto capitulo, et in multis aliis, hoc nomine 'synonyma'. Et dico quod concretum et abstractum quandoque sunt synonyma, sicut secundum intentionem Phi1osophi ista nomina sunt synonyma 'Deus' et 'deitas', 'homo' et 'humanitas', 'animal—animalitas', 'equus' et 'equinitas'. Et hinc est quod multa nomina habemus consimilia concretis talibus, non tamen abstractis consimilia. Quamuis enim frequenter ponant hoc nomen 'humanitas' et hoc nomen 'animalitas' et quandoque hoc nomen 'equinitas' quae, correspondent quasi abstracta istis nominibus 'homo', 'animal', 'equus', tamen raro uel numquam inueniuntur talia nomina 'bouinitas', 'asineitas', 'caprineitas', 'albedineitas', 'nigredineitas', 'coloreitas', 'dulcedineitas', quamuis istis nominibus 'bos', 'asinus', 'capra', 'albedo', 'nigredo', 'color', 'dulcedo' frequenter utamur. Immo sicut apud antiquos philosophos ista nomina sunt synonyina 'calor—caliditas', 'frigus—frigiditas', ita ista erunt synonyma apud eos 'equus—equinitas', 'homo—huinanitas'. Nec in talibus curabant distinguere inter nomina concreta et abstracta quantum ad significationem, quamuis unum illorum haberet plures syllabas et formam abstractorum primo modo dictorum et aliud non, sed magis formam concretorum primo modo dictorum. Nec tali diuersitate talium nominum utebantur nisi causa ornatus Iocutionis uel aliqua alia causa accidentali, sicut nec nominibus sunonymis.

Sub isto modo nominum concretorum et abstractorum, secundum intentionem Philosophi et Commentatoris, comprehenduntur omnia nomina substantiarum concreta et abstracta ficta ab eis, quae nec pro accidente nec pro parte nec pro toto illius quod importatur per nomen concretum secundum formam nec pro aliqua re disparata ab eo supponunt, cuiusmodi secundum eos sunt 'animalitas', 'equinitas' et huiusmodi. Non enim animalitas stat pro aliquo accidente animalis, nec pro parte nec pro aliquo toto cuius pars sit animal, nec pro re aliqua extrinseca totaliter ab animali distincta.

Sub eodem etiam modo continentur omnia nomina abstracta quae in genere quantitatis collocantur et omnia nomina quae sunt propriae passiones istorum quae in genere quantitatis continentur, et hoc secundum opinionem illorum qui ponunt quod quantitas non est alia res a substantia et qualitate, non autem secundum opinionem illorum qui ponunt quantitatem esse rem absolutam, distinctam realiter tam a substania quam a qualitate. Unde secundum primam opinionem 'quantum' et 'quantitas' sunt nomina synonyma, et similiter 'longum' et 'longitudo', 'latum' et 'latitudo', 'profundum' et 'profunditas', 'plura' et 'pluralitas', et sic de aliis.

Ad eundem etiam modum reducuntur omnia nomina concreta et abstracta quae ad figuram pertinent, secundum opinionem illorum qui ponunt quod figura non est alia res a quantitate siue a substantia et qualitate, et sic de aliis speciebus qualitatis. Unde illi habent ponere quod 'figura' et 'figuratum', 'rectum' et 'rectitudo', 'curuum' et 'curuitas', 'cauum' et 'cauitas', 'simum' et 'simitas', 'angulare' et 'angulus', 'conuexum' et 'conuexitas' et huiusmodi sunt nomina synonyma. Et haec omnia intelligenda sunt si

nullum illorum nominum includat aliquam dictionem aequiualenter quam aliud non includit.

Et non solum talia nomina concreta et abstracta sunt synonyma, sicut dicere habent sic opinantes, quin etiam, secundum opinionem illorum qui ponunt quod relatio non est aliqua res distincta realiter a rebus absolutis, nomina concreta et abstracta relatiua sunt nomina synonyma, sicut 'pater' et 'paternitas', 'simile' et 'similitudo', 'causa' et 'causalitas', 'potentia' et 'potentialitas, 'risibile' et 'risibilitas', 'aptum' et 'aptitudo', 'habile' et 'habilitas', 'capax' et 'capacitas', duplum et 'dupleitas', 'calefactiuum' et 'calefactiuitas', et sic de aliis.

Verumtamen possent sic opinantes de relatione saluare quod talia concreta et abstracta non essent nomina synoyma, ponendo quod abstractum supponeret pro duobus simul, ut similitudo supponat pro duobus similibus. Et ita haec esset falsa 'simile est similitudo', haec tamen uera 'similia sunt similitudo'.

Possent etiam omnes praedicti opinantes saluare quod nulla nomina talia concreta et abstracta sunt synonyma per unum modum de quo dicetur inferius. Et tunc possent dicere quod semper in talibus praedicatio concreti de abstracto falsa est.

Qui autem tenent praedictas opiniones et modum dicendi inferius tenere uolunt, si dicant consequenter, concedere debent in omnibus talibus praedicationem concreti de ab stracto et e conuerso. Unde primi opinantes concedere habent tales praedicationes 'homo est humanitas', 'animal est animalitas', et per consequens habent concedere tales 'humanitas currit', 'animalitas est alba', et sic de consimilibus.

Secundi etiam habent concedere tales propositiones 'substantia est quantitas', 'qualitas est quantitas', 'substantia est longitudo', 'qualitas est latitudo', et per consequens tales 'quantitas currit', 'longitudo dis— putat', 'latitudo loquitur', et sic de consimilibus.

Tertii autem habent concedere tales propositiones 'substantia est figura', 'curuitas est substantia', 'figura est alba', 'figura comedit', et sic de consimilibus.

Quarti etiam haberent concedere tales 'relatio est substantia', 'qualitas est relatio', 'homo est relatio', 'similitudo currit', 'paternitas est filiatio', 'similitudo est dupleitas', et sic de consimilibus.

Qualiter autem concedentes radices priorum opinionum possent negare tales propositiones, ostendetur inferius . Per quem etiam modum possunt negari tales propositiones 'materia est priuatio ', 'aer est tenebra', 'homo est caecitas', 'anima est peccatum originale', anima est ignorantia, homo est negatio, corpus Christi est mors, non obstante quod aliqui concederent quod 'priuatio', 'tenebra', caecitas et huiusmodi non importarent aliquid a parte rei, distinctum quocumque modo a subiecto, puta ab homine, materia et huiusmodi.

1.07 INQUIRIT PER RATIONEM UTRUM HUIUSMODI NOMINA CONCRETA ET ABSTRACTA 'HOMO' ET 'HUMANITAS' 'ANIMAL' ET 'ANIMALLTAS' ET HUIUSMODI SINT NOMINA SYNONYMA

Quia dictum est esse de intentione Aristotelis et Commentatoris sui 'hominem' et 'humanitatem' esse nomina synonyma, aliquantulum a principali proposito disgrediendo, quomodo uerum sit et quomodo non, et an secundum ueritatem sint synonyma, declarare curabo.

Unde dico quod Aristoteles opinabatur quod nulla res imaginabilis importatur per hoc nomen 'homo' quin eodem modo importetur per hoc nomen 'humanitas' et e conuerso. Cuius ratio est quia secundum eum nulla res est hic inferius nisi materia et forma uel compositum uel accidens; sed nullum istorum, sicut inductiue patet, plus importatur per unum istorum nominum quam per reliquum. Et hoc supposito patet quod haec sit falsa 'anima intellectiua est humanitas'.

Nec ualet cauillatio aliquorum dicentium quod 'humanitas' significat tantum naturam specificam, 'homo' autem addit, ultra, differentiam indiuidualem, quia hoc inferius ostendetur esse falsum et contra intentionem Aristotelis. Et ad principale propositum sufficiat nunc adducere unicam rationem.

Unde sic arguo. sicut se habent ad inuicem 'homo' et 'humanitas', sic se habent 'sortes' et 'sorteitas'. Hanc enim ponunt aduersarii consimiliter fingentes tale abstractum de hoc nomine 'Sortes' sicut de hoc nomine 'homo'. Sed 'Sortes' nullam rem, nec distinctam formaliter nec realiter, significat quin significetur per hoc nomen 'sorteitas', secundum sic fingentes, nec e conuerso; ergo 'homo' non significat aliquam rem quae non significetur per hoc nomen 'humanitas', nec e conuerso. Probatio assumpti: quia si alterum istorum nominum 'Sortes' et 'sorteitas' significat aliquid quod non significatur per reliquum, uel est natura specifica, et manifestum est quod illa aequaliter significatur per utrumque uel per neutrum; uel est materia uel forma uel compositum uel accidens, quae omnia sic dicentes negant; uel est differentia indiuidualis illa quam ponunt, quod dici non potest ab eis. Nam, secundum eos, Sortes addit ultra naturam specificam differentiam indiuidualem et similiter sorteitas addit ultra naturam specificam differentiam indiuidualem, quia aliter sorteitas nullo modo differret ab humanitate, et per consequens, secundum modum eorum arguendi, sicut humanitas est in Platone ita sorteitas esset in Platone. Relinquitur igitur quod nihil a parte rei possunt ponere significari per hoc nomen Sortes quin eodem modo significetur per hoc nomen 'sorteitas', nec e conuerso, et per consequens 'Sortes' et 'sorteitas' nullo modo distinguuntur a parte rei. Et per consequens oportet eos concedere quod haec est uera 'Sortes est soiteitas', ex qua Sequitur quod Sortes est haec humanitas demonstrando sorteitatem. Et per consequens 'Sortes est humanitas', ab inferiori ad superius [sine distributione] a parte praedicati, et sequitur 'Sortes. est humanitas, igitur homo est humanitas'. Et si hoc,

nihil significatur per hoc nomen 'homo' quin significetur per hoc nomen 'humanitas' nec e conuerso. Ex quibus omnibus sequitur quod, secundum uiam Aristotelis, nihil significatur per hoc nomen 'homo' quin significetur per hoc nomen 'humanitas' et e conuerso. Et hoc dico esse de intentione eius, et ideo uel concederet istam de uirtute sermonis 'homo est humanitas' uel negaret eam solum propter aliquod Syncategorema aequiualenter inclusum in altero istorum nominum, sicut inferius ostendetur.

Sed quamuis haec fuerit intentio Aristotelis, tamen secundum ueritatem theologorum non est sic dicendum. Non enim ista noimna sunt synonyma 'homo' et 'humanitas', quamuis concederetur quod neutrum istorum aliquod syncategorema aequiualenter includeret. Immo ista nomina possunt pro distinctis rebus supponere et aliquam rem significat uel consignificat unum nomen quam reliquum nomen nullo modo significat. Nam hoc nomen 'homo' uere supponit pro Filio Dei, et ideo Filium Dei significat uel aliquo modo importat, hoc autem nomen 'humanitas' non supponit pro Filio Dei nec aliquo modo Filium Dei significat, non plus quam hoc nomen 'albedo'. Propter quod ista est concedenda 'Filius Dei est homo', haec autem falsa est `Filius Dei est humanitas'. Et ita, cum non quidlibet quod per unum istorum importatur, eodem modo importetur per reliquum, non sunt synonyma.

Qualiter autem ista nomina non omnino idem significant, uideri faciliter potest si definitiones exprimentes quid nominis eorum inspiciantur. Hoc enim nomen 'humanitas' nihil significat nisi naturam unam compositam ex corpore et anima intellectiua, non connotando quod ista natura sustentetur ab aliquo supposito, puta a persona diuina nec quod non sustentetur, et ideo semper pro illa natura supponit. Propter quod numquam potest supponere pro Filio Dei, cum Filius Dei non possit esse illa natura. Hoc autem nomen 'homo' significat illam naturam, dando intelligere illam naturam esse per se subsistentem et non sustentatam ab alio supposito uel esse sustentatam ab alio. Unde defini tione exprimente quid nominis posset sic definiri. homo est natura composita ex corpore et anima intellectiua, a nullo supposito sustentata, uel est allquod suppositum talem naturam compositam ex corpore et anima intellectiua sustentans. De quolibet enim homine ista descriptio pro altera parte uerificatur. Nam haec est uera 'Sortes est natura composita ex corpore et anima intellectiua, non sustentata ab alio supposito, quamuis haec sit falsa de uirtute sermonis 'Sortes est suppositum sustentans talem naturam'. Quod enim haec sit falsa, patet: quia si Sortes sit suppositum sustentans talem naturam, quaero, pro quo supponit hoc nomen 'Sortes'? Si pro illa natura, igitur illa natura est sustentans talem naturam; quod falsum est, quia ipsa non sustentat Se ipsam. Si supponit pro aliquo alio ab illa natura, hoc est impossibile, quia uel supponit pro parte illius naturae, uel pro aliqua substantia disparata ab illa natura, uel pro uno composito ex illa natura et aliquo alio; quorum quodlibet est de se falsum, et ex dicendis inferius satis apparebit falsitas ipsius.

Et si dicatur quod Sortes supponit pro uno composito ex natura et differentia indiuiduali, quod compositum sustentat naturam, hoc non ualet, quia sicut inferius

ostendetur, nullum est tale compositum. Similiter, hoc dato non euaditur ratio, nam si Sortes sustentat naturam, oportet quod aliquam naturam indiuiduam sustentet. Sed nullam naturam indiuiduam sustentat, quia quaelibet natura indiuidua includit talem differentiam, secundum istos, et ita unum compositum ex natura et differentia indiuiduali sustentaret unum compositum ex natura et differentia indiuiduali, quod est absurdum.

Nec ualet dicere quod subiectum in ista 'Sortes sustentat naturam humanam' supponit pro uno composito ex natura singulari et negatione dependentiae ad aliud suppositum. tum quia tunc Sortes esset compositus ex affirmatione et negatione, quod est absurdum, cum nihil reale substantiale possit componi ex talibus, tum quia nullum tale compositum potest sustentare naturam, cum natura non possit ad tale compositum dependere. Relinquitur igitur quod haec est falsa de uirtute sermonis 'Sortes est suppositum sustentans naturam humanam'; haec tamen est uera 'Sortes est natura composita ex corpore et anima intellectiua, a nullo sustentata', et propter hoc est homo. Haec autem 'Filius Dei est homo' non est uera quia Filius Dei sit talis natura composita ex corpore et anima intellectiua, sed quia Filius Dei est suppositum sustentans talem naturam et terminans dependentiam eius.

Ex praedictis possunt elici diuersae conclusiones. Una, quod quamuis haec concederetur 'homo est humanitas', haec tamen est falsa 'omnis homo est humanitas', immo haec esset uera 'aliquis homo non est humanitas'. Si enim neutrum istorum nominum 'homo', 'humanitas' includeret aliquod syncategorema aequiualenter, haec esset concedenda 'homo est humanitas', quia hic homo esset humanitas, demonstrando Sortem, quia non posset dari quod subiectum et praedicatum pro distinctis supponerent sed pro eadem re; et per consequens propositio esset uera si nullum syncategorema nec aliqua determinatio aequiualenter includeretur. Hoc tamen concesso haec esset falsa 'omnis homo est humanitas', quia haberet unam singularem falsam, scilicet istam 'hic homo est humanitas', demonstrando Filium Dei. Et ita istae duae starent simul pro diuersis singularibus 'homo est humanitas', 'homo non est humanitas'.

Et qui uellet istud concedere, deberet consequenter dicere quod aliquando abstractum praedicatur de concreto et e conuerso. Et non tantum hoc, immo deberet dicere quod abstractum affirmatur et negatur uere de concreto particulariter sumpto et e conuerso, quamuis non uniuersaliter sumpto nisi forte successiue. Oporteret etiam concedere quod tale concretum de eodem uere affirmatur et negatur successiue. Unde haec nunc est uera 'haec humanitas est homo', demonstrando humanitatem quae est Sortes, secundum istam opinionem. Et si ista humanitas assumeretur a Verbo uel ab alia persona diuina, haec esset falsa 'haec humanitas est homo', et hoc quia hoc nomen 'homo' numquam supponit pro illa re, scilicet pro illa humanitate nisi quando non est unita. Et ideo quia aliquando potest esse unita et aliquando non unita, ideo aliquando supponit pro ea et aliquando non. Et ideo aliquando concretum praedicatur de abstracto et aliquando non, et similiter e conuerso.

Alia conclusio potest colligi ex praedictis, uidelicet quod omnis propositio composita ex tali concreto et abstracto, uel aliquo aequiualenti tali concreto, per quam ratione uerbi uel alicuius determinationis additae denotantur illa pro quibus stant subiectum et praedicatum esse distincta, falsa est si sit uniuersalis; et hoc dum aliqua natura talis non est assumpta. Cuius ratio est quia talia concreta et abstracta non supponunt pro distinctis rebus nisi ratione personae diuinae sustentantis naturam humanam in Christo. Hoc patet, quia si sic, oporteret quod unum supponeret pro parte et aliud pro toto, uel illa duo pro duabus partibus, uel pro duabus substantiis totaliter distinctis, uel unum pro substantia et aliud pro accidente; quorum quodlibet maiiifestum est esse falsum. Non igitur supponunt pro distinctis rebus nisi quando unum illorum supponit pro persona diuina. Ex quo sequitur quod propositio denotans illa esse distincta falsa est.

Ex quo sequitur quod omnes tales propositiones de uirtute sermonis, hoc est secundum proprietatem sermonis, falsae sunt 'omnis homo habet humanitatem', 'omnis humanitas est in homine', 'omne animal habet animalitatem' et huiusmodi. Et hoc, quia cum nihil habeat se nec aliquid sit in se, et per tales propositiones denotatur quod illud pro quo supponit subiectum habet illud pro quo supponit praedicatum, uel illud pro quo supponit subiectum est in illo pro quo supponit praedicatum, et hoc est falsum, cum subiectum et praedicatum supponant pro eodem, manifestum est quod tales propositiones sunt falsae. Unde sicut secundum Anselmum, Monologion, cap.16, non proprie dicitur quod summa natura, scilicet Deus, habet iustitiam, sed proprie dicitur quod summa natura est iustitia, ita non proprie dicitur quod iste homo, demonstrando Sortem, habet humanitatem, sed proprie dicitur quod est humanitas. Et ideo sicut tales propositiones recipiuntur et usitantur a Sanctis 'Deus habet iustitiam', 'Deus habet sapientiam, bonitatem, intelligentiam', 'in Deo est sapientia' et huiusmodi, quae tamen secundum proprietatem sermonis uerae non sunt, secundum Anselmum, ita tales conceduntur 'homo habet humanitatem', 'humanitas est in Sorte' et huiusmodi, quae tamen secundum proprietatem sermonis uerae non sunt.

Ex isto sequitur ulterius quod tales propositiones de uirtute sermonis falsae sunt 'humanitas subsistit in supposito proprio', 'humanitas dependet a supposito proprio', 'proprium suppositum terminat dependentiam naturae', sed magis posset concedi quod humanitas est suppositum.

Unde sciendum quod nisi aliquod syncategorema impediat istam praedicationem humanitas est suppositum', debet concedi absolute. Verumtamen humanitas non esset suppositum, hoc concesso, nisi quando non esset unita. Si enim esset unita, statim desineret esse suppositum. Et ideo hoc nomen 'suppositum' connotat quod non sit unita, ut haec sit definitio exprimens quid nominis 'supposium', uel aequiualens ei: suppositum est res completa, una et non plures, a nullo supposito sustentata. Ita quod loco istius nominis 'suppositum' licitum sit ponere totam istam orationem et e conuerso, quando sumuntur significatiue. Quo facto facile est uidere quae propositiones debent negari et quae concedi.

1.08 DE NOMINIBUS ABSTRACTIS QUAE AEQUIVALENTER ALIQUA SYNCATEGOREMATA VEL ALIQUAS DETERMINATIONES ADVERBIALES COINCLUDUNT

Pertractatis quibusdam quae principali proposito impertinentia uidebantur, necessaria tamen, ad intentum redeundo de alio modo nominum concretorum et abstractorum tractabitur, ex quo aliqua quae praedicta sunt patefieri possunt.

Sunt enim quaedam nomina abstracta, uel esse possunt ad placitum instituentium, quae aequiualenter aliqua syncategoremata uel aliquas determinationes aduerbiales, uel alias, includant, ita quod abstractum in significando aequiualeat concreto uel alteri termino sumpto cum aliquo syncategoremate uel aliqua alia dictione uel dictionibus. Possunt enim utentes, si uoluerint, uti una dictione loco plurium, sicut loco istius totius 'omnis homo' possem uti hac dictione a et loco istius totius 'tantum homo' possem uti hoc uocabulo b, et sic de aliis. Et si ita esset, possibile esset quod concretum et abstractum non suppouerent pro distinctis rebus uec significarent distinctas res, et tamen quod praedicatio unius de altero esset falsa et quod aliquid praedicaretur de uno et non de alio. Si enim istud abstractum 'humanitas' aequiualeret in significando isti toti 'hoino secundun quod homo' uel 'homo in quantum homo', haec esset uera 'homo currit' et haec falsa 'humanitas currit', sicut ista est falsa 'homo in quantum homo currit'. Similiter si hoc nomen 'humanitas' aequiualeret isti toti 'homo necessario', ita quod haec dictio 'humanitas' poneretur loco istius totius 'homo necessario', haec esset falsa 'humanitas est homo' sicut haec est falsa 'homo necessario est homo', nam nullus homo necessario est homo, sed contingenter tantum; et eodem modo haec esset falsa 'humauitas est alba' sicut ista est falsa 'homo necessario est albus'. Et per talem modum potest saluari ubicumque placet quod concretum et abstractum non significant distinctas res nec pro distinctis rebus supponunt, et tamen praedicatio unius de alio est simpliciter falsa, et quod aliquid praedicatur de uno quod non praedicatur de reliquo. Et sic possent aliqui dicere quod quantitas non est alia res a substantia et qualitate, et tamen quod quaelibet talis est falsa 'substantia est quantitas, 'qualitas est quantitas'. Si enim hoc nomen 'quantitas' aequiualeret isti toti in significando, uel alicui consimili, 'necessario quantum quamdiu manet in rerum natura', haec esset falsa — etiam tenendo illam opinionem — 'substantia est quantitas' sicut ista est falsa 'substantia necessario est quanta quamdiu manet in rerum natura'. Et sicut dicitur de ista, ita posset dici de multis aliis, tam in diuinis quam in creaturis.

Per aliquem enim talem modum posset saluari quod essentia diuina et intellectus et uoluntas nullo modo distiuguuntur in Deo, et tamen haec esset uera 'Deus intelligit per intellectum' et haec falsa 'Deus intelligit per uoluntatem'. Similiter posset dici quod anima nullo modo distinguitur ab iutellectu et uoluntate, et tamen haec esset uera 'intellectus intelligit' et non ista 'uoluntas intelligit'. Et ita de multis aliis. Uude in talibus magis reputo difficultatem uocalem, dependentem ex logica, quam realem. Propter quod nescientes logicam quaternos innumeros circa talia

inutiliter replent, facientes difficultatem ubi nulla est, et deserentes difficultatem quam inuestigare deberent.

Est autem aduertendum quod quamuis in uulgari locutione abstracta talia, aequiualentia multis dictionibus talibus in significando, raro uel numquam locum habeant, in dictis tamen philosophorum et Sanctorum frequenter inueniuntur abstracta usitata sic accipi. Unde sic accipit Auicenna, V Metaphysicae, dicens: "Equinitas non est aliud nisi equinitas tantum; ipsa enim ex se uec est unum nec multa, nec exsistens in his sensibilibus nec in anima". Nihil enim aliud intelligebat nisi quod equus non definitur nec per unum nec per multa, nec per esse in anima nec per esse in re extra, ita quod nullum istorum ponitur in definitione eius. Et ita uolebat quod hoc nomen 'equinitas', secundum quod tunc utebatur eo, aequiualeret in significando multis dictionibus, siue simul proferantur siue mediante uerbo et copula. Unde non iutendebat quod equinitas esset aliqua res et tamen quod illa res realiter non esset una nec plures, nec in effectu extra animam nec in anima, — hoc enim impossibile est et absurdum —, sed intendebat quod uihil tale ponitur in definitione eius. Et quod haec sit intentio sua satis patet intuenti uerba eius. Unde dicit: "Cum ipsum", supple uniuersale, "fuerit homo uel equus, haec intentio est alia praeter intentionem uniuersalitatis quae est humanitas uel equinitas. Definitio enim equinitatis est praeter definitionem uniuersalitatis, nec uniuersalitas continetur in definitione equinitatis. Equinitas enim habet definitionem quae non eget uniuersalitate".

Ex istis et aliis uerbis suis, quae propter breuitatem omitto, satis patet quod non plus intendit nisi quod nihil tale ponitur in definitione equi uel equinitatis. Et ita uult quod in illis uerbis hoc nomen 'equinitas' aequiualeat in significando pluribus dictionibus. Aliter enim non sequeretur ista 'unum et multa et huiusmodi non ponuntur in definitione equinitatis, igitur equinitas non est una', sicut non sequitur 'album non ponitur in definitione hominis, igitur homo non est albus'.

Per praedicta posset prohiberi, secundum unam opinionem, talis modus arguendi, qui secundum uocem uidetur syllogisticus 'omnis res absoluta est substantia uel qualitas; quantitas est res absoluta; ergo quantitas est substantia uel qualitas', sicut iste modus arguendi 'omne b est a; c est b; igitur c est a' prohiberi potest ipsis uocabulis alio modo institutis. Si enim b significet idem quod homo, et a idem quod animal, et c idem quod hoc totum 'tantum risibile', ita quod semper loco istius totius 'tantum risibile' sit licitum ponere hoc uocabulum c et e conuerso, tunc sicut non sequitur 'omnis homo est animal; tantum risibile est homo; igitur tantum risibile est animal', ita non sequitur 'omne b est a; c est b; ergo c est a'. Et ita per modum istum nominum abstractorum possunt saluari multa dicta auctorum, quae tamen de uirtute sermonis uidentur esse falsa.

Non solum autem potest abstractum sic aequiualere multis dictionibus in siguificando, sed hoc etiam potest conuenire concretis et aliis dictionibus. Sic enim concedunt in Iogica eruditi quod hoc signum 'totus' includit suum distribuibile, ut aequiualeat isti 'quaelibet pars', quando sumitur syncategorematice. Unde ista 'totus

Sortes est minor Sorte' aequiualet isti 'quaelibet pars Sortis est minor Sorte'. Similiter, hoc signum 'quidlibet' includit suum distribuibile, ut aequiualeat isti 'omne ens'; aliter enim haec non esset intelligibilis 'quidlibet est homo uel non homo'. Sic etiam est de multis uerbis, nam cum dicitur 'curro' subintelligitur pronomen primae personae, et ita hoc uerbum 'curro' aequiualet sibi ipsi et pronomini. Et ita est de multis aliis, quod maxime necessarium est scire propter mentem auctorum habendam.

Non solum autem aliquando una dictio aequiualet multis dictionibus in significando, sed etiam addita alteri totum resultans aequiualet composito ex pluribus, inter quae illud cui additur aliquando mutatur uel secundum casum uel secundum modum uel tempus; aliquando autem illud simpliciter in resoluendo et ultimate explicando quod importatur per illam orationem auferendum est. Unde quando dicitur 'totus Sortes est minor Sorte', si 'totus' syncategorematice accipiatur aequiualet isti 'quaelibet pars Sortis est minor Sorte', ubi loco istius recti 'Sortes' ponitur iste obliquus 'Sortis', et loco istius dictionis 'totus' ponuntur istae duae dictiones 'quaelibet pars'. Ita dicerent aliqui quod ista propositio 'generatio formae est in instanti' aequiualet isti 'una pars formae non producitur ante aliam, sed omnes simul', ubi haec copula 'est' ablata est. Sic possent aliqui dicere quod ista 'quantitas est res absoluta' aequiualet isti 'distantia partium et extensio, etsi non esset substantia nec qualitas, esset res absoluta si esset in rerum natura'. Et si ita esset, manifestum esset quod iste discursus non ualeret 'omnis res absoluta est substantia uel qualitas; quantitas est res absoluta; ergo quantitas est substantia uel qualitas'.

Et si dicatur quod per istam uiam possem impedire quemcumque syllogismum, dicendo in aliquo terminorum aliquod tale aequiualenter includi diceudum quod ad sciendum an aliquis discursus ualeat, oportet praesupponere significata uocabulorum, et secundum hoc iudicandum est de discursu an sit bonus uel non. Et quia de multis terminis est certum quod secundum usum omnium nihil tale includunt aequiualenter, ideo simpliciter iuxta regulas traditas est coucedendum quod syllogismus ualet uel non ualet. De omni tamen discursu proposito posset logicus iudicare an ualeat, resoluendo terminos in suas definitiones exprimeutes quid nominis, quo facto potest per regulas certas euidenter coguoscere quid de eo est dicendum.

Ad praedictum autem modum nominum abstractorum possent reduci omnia abstracta priuatiua et negatiua et etiam omnia uerbalia et multa alia, de quibus inferius perscrutabitur. Et per talem modum faciliter possent negari omnes tales propositiones 'materia est priuatio', 'aer est tenebra', 'anima est peccatum' et huiusmodi. Per istum etiam modum possuut saluari tales 'Deus non facit peccatum', 'Deus non est auctor mali', et huiusmodi. Et qualiter tales consequentiae non ualent 'hoc est malum; Deus facit hoc; igitur Deus facit malum', in tractatu de fallaciis ostendetur.

1.09 DE NOMINIBUS CONCRETIS ET ABSTRACTIS QUORUM ABSTRACTA NON SUPPONUNT NISI PRO MULTIS SIMUL SUMPTIS ET CONCRETA PRO UNO SOLO VERIFICARI POSSUNT

Restat adhuc de alio modo nominum concretorum et abstractorum disserere. Unde quaedam sunt abstracta quae non supponunt nisi pro multis simul sumptis, concreta autem pro uno solo uerificari possunt, sicut se habent 'populus' et 'popularis', 'plebs' et 'plebeius'. Quilibet enim homo quamuis possit esse plebeius et popularis, nullus tamen homo populus uel plebs esse potest. Inter nomina talia illi qui ponunt numerum non esse aliam rem a rebus numeratis computare debent omnia nomina abstracta et concreta numerorum, si concreta et abstracta inter talia reperiantur. Unde secundum talem opinionem debet concedi quod homines sunt numerus et multa animalia sunt numerus et quod anguli sunt ternarius, quaternarius et sic de aliis, nisi forte uelint talem praedicationem negare, dicendo quod tales termini in siguificando aequiualent multis dictionibus, modo quo dictum est in praecedenti capitulo de multis dictionibus, saltem secundum usum auctorum.

Et de concretis et abstractis ista sufficiant, quainuis forte alii modi nominum concretorum et abstractorum possent assignari. Nec aliquis me reprehendat si in hoc opere aliqua praetermitto, quia non promitto me omnia uelle discutere et nihil perscrutandum studiosis relinquere, sed aliqua breuia ad utilitatem simplicium uelle percurrere.

1.10 DE DIVISIONE NOMINUM IN MERE ABSOLUTA ET CONNOTATIVA

Postquam de nomiuibus concretis et abstractis est discussum, nunc de alia diuisione nominum, quibus scholastici frequenter utuntur, est dicendum. Unde sciendum quod nominum quaedam sunt absoluta mere, quaedam sunt connotatiua. Nomina mere absoluta sunt illa quae non significant aliquid principaliter et aliud uel idem secundario, sed quidquid significatur per illud nomen, aeque primo significatur, sicut patet de hoc nomine 'animal' quod non significat nisi boues, asinos et homines, et sic de aliis animalibus, et non significat unum primo et aliud secundario, ita quod oporteat aliquid significari in recto et aliud in obliquo, nec in definitione exprimente quid nominis oportet ponere talia distincta in diuersis casibus uel aliquod uerbum adiectiuum. Immo, proprie loqueudo talia nomina non habent definitionem exprimentem quid nominis, quia proprie loquendo unius nominis habentis definitionem exprimentem quid nominis est una definitio explicans quid nominis, sic scilicet quod talis nominis non suut diuersae orationes exprimentes quid nominis habentes partes distinctas, quarum aliqua significat aliquid quod non eodem modo importatur per aliquam partem alterius orationis. Sed talia quantum ad quid nominis possunt aliquo modo pluribus orationibus non easdem res secundum suas partes significantibus explicari, et ideo nulla earum est proprie definitio exprimens quid nominis. Verbi gratia 'angelus' est nomen mere absolutum, saltem si non sit nomen officii sed tantum substantiae. Et istius nominis non est aliqua una definitio exprimens quid nominis, nam unus explicat quid hoc nomen significat, sic dicendo

'intelligo per angelum substantiam abstractam a materia'; alius sic 'angelus est substantia intellectualis et incorruptibilis'; alius sic 'angelus est substantia simplex, non componeus cum alio'. Et ita bene explicat unus quid significat hoc nomen sicut alius. Et tamen aliquis terminus positus in una oratione significat aliquid quod non significatur eodem modo per terminum alterius orationis, et ideo nulla earum est proprie definitio exprimens quid nominis. Et ita est de nominibus mere absolutis quod stricte loquendo nullum eorum habet definitionem exprimentem quid nominis. Talia autem nomina sunt huiusmodi 'homo', 'animal', 'capra', 'lapis', 'arbor', 'ignis', 'terra, 'aqua', 'caelum', 'albedo', 'nigredo', 'calor', 'dulcedo', 'odor', 'sapor' et huiusmodi.

Nomen autem connotatiuum est illud quod significat aliquid primario et aliquid secundario. Et tale nomen proprie habet definitionem exprimentem quid nominis, et frequenter oportet ponere unum illius definitionis in recto et aliud in obliquo. Sicut est de hoc nomine 'album, nam 'album' habet definitionem exprimentem quid nominis, in qua una dictio ponitur in recto et alia in obliquo. Unde si quaeras, quid significat hoc nomen 'album', dices quod illud idem quod ista oratio tota 'aliquid informatum albedine' uel 'aliquid habens albedinem'. Et patet quod una pars orationis istius ponitur in recto et alia in obliquo. Potest etiam aliquando aliquod uerbum cadere in definitione exprimente quid nominis, sicut si quaeras, quid siguificat hoc nomen 'causa', potest dici quod idem quod haec oratio 'aliquid ad cuius esse sequitur aliud' uel 'aliquid potens producere aliud', uel aliquid huiusmodi.

Huiusmodi autem nomina connotatiua sunt omnia nomina concreta primo modo dicta, de quibus dictum est in quinto capitulo. Et hoc quia talia concreta significant unum in recto et aliud in obliquo; hoc est dictu, in definitione exprimente quid nominis debet poni unus rectus, significans unam rem, et alius obliquus, significans aliam rem, sicut patet de omnibus talibus 'iustus', 'albus', 'animatus', 'humanum', et sic de aliis.

Huiusmodi etiam nomina sunt omnia nomina relatiua, quia semper in sua definitione ponuntur diuersa idem diuersis modis, uel distincta, significantia, sicut patet de hoc nomine 'simile'. Si enim definiatur simile, debet dici sic 'simile est alquid habens qualitatem talem qualem habet aliud', uel aliquo modo consimili debet definiri. Unde de exemplis non est magua cura.

Ex quo patet quod hoc commune 'nomen en connotatiuum' est superius ad hoc commune 'nomen relatiuum', et hoc accipiendo hoc commune 'nomen connotatiuum'largissime. Talia etiam nomina sunt omnia nomina pertinentia ad genus quantitatis, secundum illos qui ponunt quantitatem non esse aliam rem a substantia et qualitate, sicut 'corpus', secundum eos, debet poni nomen connotatiuum. Unde secundum eos debet dici quod corpus non est aliud nisi aliqua res habens partem distantem a parte secundum longum, latum et profundum; et quantitas continua et permanens non est nisi res habens partem distantem a parte, ita quod ista est definitio exprimens quid nominis ipsius. Tales etiam consequenter habent ponere quod 'figura', 'curuitas', 'rectitudo', 'longitudo', 'latitudo' et huiusmodi

sunt nomina connotatiua. Immo, qui ponunt quod quaelibet res est substantia uel qualitas, habent ponere quod omnia contenta in aliis praedicamentis a substantia et qualitate sunt nomina connotatiua; et etiam quaedam de genere qualitatis sunt connotatiua, sicut ostendetur inferius.

Sub istis etiam nominibus comprehenduntur omnia talia 'uerum', 'bonum', 'unum', 'potentia', 'actus', 'intellectus', 'intelligibile', 'uoluntas', 'uolibile' et huiusmodi. Unde de intellectu est sciendum quod habet quid nominis istud 'intellectus est anima potens intelligere', ita quod anima significatur per rectum et actus intelligendi per aliam partem. Hoc autem nomen 'intelligibile' est nomen connotatiuum, et significat intellectum tam in recto quam in obliquo, quia definitio sua est ista 'intelligibile est aliquid apprehensibile ab intellectu'. Ibi intellectus significatur per hoc nomen 'aliquid', et per istum obliquum 'intellectu' significatur etiam intellectus. Et eodem modo dicendum est de 'uero' et 'bono', quia 'uerum', quod ponitur conuertibile cum 'ente', significat idem quod 'intelligibile'. 'Bonum' etiam, quod est conuertibile cum 'ente', significat idem quod haec oratio 'aliquid secundum rectam rationem uolibile uel diligibile'.

1.11 DE DIVISIONE NOMINUM SIGNIFICANTIUM AD PLACITUM, PUTA IN NOMINA PRIMAE IMPOSITIONIS ET IN NOMINA SECUNDAE IMPOSITIONIS

Positis diuisionibus quae possunt competere tam terminis naturaliter significantibus quam etiam terminis ad placitum institutis, dicendum est de quibusdam diuisionibus competentibus terminis ad placitum institutis.

Est autem prima diuisio talis: nominum ad placitum significantium quaedam sunt nomina primae impositionis et quaedam sunt nomina secundae impositionis. Nomina secundae impositionis sunt nomina imposita ad significandum signa ad placitum instituta et illa quae consequuntur talia signa, sed nonnisi dum sunt signa.

Verumtamen hoc commune 'nomen secundae impositionis' potest dupliciter accipi. Scilicet large, et tunc omne illud est nomen secundae impositionis quod significat uoces ad placitum institutas, sed nonnisi quando sunt ad placitum institutae, siue illud nomen sit commune etiam intentionibus animae quae sunt signa naturalia siue non. Talia autem nomina sunt huiusmodi 'nomen', 'pronomen', 'coniunctio', 'uerbum', 'casus', 'numerus', 'modus', 'tempus' et huiusmodi, accipiendo ista uocabula illo modo quo utitur eis grammaticus. Et uocantur ista nomina 'nomina nominum', quia non imponuntur nisi ad significandum partes orationis, et hoc nonnisi dum istae partes sunt significatiuae. Illa enim nomina quae praedicantur de uocibus ita quando non sunt significatiuae sicut quando sunt significatiuae, non, uocantur nomina secundae impositionis. Et ideo talia nomina 'qualitas', 'prolatum', 'uox' et huiusmodi, quamuis significent uoces ad placitum institutas et uerificentur de eis, quia tamen ita significarent eas si non essent significatiuae sicut nunc, ideo non sunt nomina secundae impositionis. Sed 'nomen' est nomen secundae impositionis, quia ista uox 'homo', nec aliqua alia, antequam imponebatur ad significandum non

erat nomen, et similiter 'hominis' antequam imponebatur ad significandum nullius casus erat, et ita est de aliis. Stricte autem dicitur 'nomen secundae impositionis' illud quod non significat nisi signa ad placitum instituta, ita quod non potest competere intentionibus animae quae sunt naturalia signa, cuiusmodi sunt talia 'figura', 'coniugatio' et huiusmodi.

Omnia autem alia nomina ab istis, quae scilicet non sunt nomina secundae impositionis nec uno modo nec alio, uocantur nomina primae impositionis.

Verumtamen nomen primae impositionis dupliciter accipi potest, scilicet large, et sic omnia nomina quae non sunt nomina secundae impositionis sunt nomina primae impositionis. Et sic talia signa syncategorematica 'omnis', 'nullus', 'aliquis', 'quilibet' et huiusmodi sunt nomina primae impositionis. Aliter potest accipi stricte, et tunc sola nomina categorematica, quae non sunt nomina secundae impositionis, uocantur nomina primae impositionis, et non nomina syncategorematica.

Nomina autem primae impositionis, stricte accipiendo 'nomen primae impositionis', sunt in duplici differentia, quia quaedam sunt nomina primae intentionis et quaedam sunt nomina secundae intentionis. Nomina secundae intentionis uocantur illa nomina quae praecise imposita sunt ad significandum intentiones animae, uel praecise intentiones animae quae sunt signa naturalia, et alia signa ad placitum instituta uel consequentia talia signa. Et talia nomina sunt omnia talia 'genus', 'species', 'uniuersale', 'praedicabile' et huiusmodi, quia talia nomina non significant nisi intentiones animae quae sunt signa naturalia uel signa uoluntarie instituta.

Unde potest dici quod hoc commune 'nomen secundae intentionis' potest accipi stricte et large. Large illud dicitur nomen secundae intentionis quod significat intentiones animae quae sunt naturalia signa, siue etiam significet signa ad placitum instituta tantum dum sunt signa siue non. Et sic aliquod nomen secundae intentionis et p rimae imositionis est etiam nomen secundae impositionis. Stricte autem illud solum dicitur nomen secundae intentionis quod praecise significat intentiones animae quae sunt naturalia signa, et sic accipiendo nullum nomen secundae intentionis est nomen secundae impositionis.

Nomina autem primae intentionis uocantur omnia alia nomina a praedictis, quae uidelicet significant aliquas res quae non sunt signa, nec consequentia talia signa, cuiusmodi sunt omnia talia 'homo', 'animal', 'Sortes', 'Plato', `albedo', 'album', 'ens', 'uerum', 'bonum' et huiusmodi, quorum allqua significant praecise res quae non sunt signa nata supponere pro aliis, aliqua significant talia signa et simul cum hoc alias res.

Ex quibus omnibus colligi potest quod quaedam nomina significant praecise signa ad placitum instituta, et nonnisi dum, sunt signa, quaedam autem praecise significant signa tam ad placitum instituta quam signa naturalia. Quaedam uero significant praecise res quae non sunt signa talia, quae sunt partes propositionis;

quaedam indifferenter significant tales res quae non sunt partes propositionis nec orationis et etiam signa talia, cuiusmodi sunt talia nomina 'res', 'ens', 'aliquid' et huiusmodi.

1.12. QUID EST INTENTIO PRIMA ET QUID SECUNDA ET QUOMODO DISTINGUUNTUR AB INVICEM

Et quia dictum est in praecedenti capitulo quod quaedam sunt nomina primae intentionis et quaedam secundae intentionis, et ignorantia significationum uocabulorum multis est errandi occasio, ideo incidenter uidendum est quid sit intentio prima et quid secunda, et quomodo distinguuntur.

Est autem primo sciendum quod intentio animae uocatur quiddam in anima, natum significare aliud. Unde, sicut dictum est prius, ad inodum quo scriptura est secundarium signum respectu uocum, quia inter omnia signa ad placitum instituta uoces obtinent principatum, ita uoces secundaria signa sunt illorum quorum intentiones animae sunt signa primaria. Et pro tanto dicit Aristoteles quod uoces sunt "earum quae sunt in anima passionum notae". Illud autem exsistens in anima quod est signum rei, ex quo propositio mentalis componitur ad modum quo propositio uocalis componitur ex uocibus, aliquando uocatur intentio animae, aliquando conceptus animae, aliquando passio animae, aliquando similitudo rei, et Boethius in commento super Perihermenias uocat intellectum. Unde uult quod propositio mentalis componitur ex intellectibus: non quidem ex intellectibus qui sunt realiter animae intellectiuae, sed ex intellectibus qui sunt quaedam signa in anima significantia alia et ex quibus propositio mentalis componitur. Unde quandocumque aliquis profert propositionem uocalem, prius format interius unam propositionem mentalem, quae nullius idiomatis est, in tantum quod multi frequenter formant interius propositiones quas tamen propter defectum idiomatis exprimere nesciunt. Partes talium propositionum mentalium uocantur conceptus, intentiones, similitudines et intellectus.

Sed quid est illud in anima quod est tale signum?

Dicendum quod circa istum articulum diuersae sunt opiniones. Aliqui dicunt quod non est nisi quoddam fictum per animam. Alii, quod est quaedam qualitas subiectiue exsistens in anima, distincta ab actu intelligendi. Alii dicunt quod est actus intelligendi. Et pro istis est ratio ista quia 'frustra fit per plura quod potest fieri per pauciora'. Omnia autem quae saluantur ponendo aliquid distinctum ab actu intelligendi possunt saluari sine tali distincto, eo quod supponere pro alio et significare aliud ita potest competere actui intelligendi sicut alii signo. Igitur praeter actum intelligendi non oportet aliquid aliud ponere.

De istis autem opinionibus inferius perscrutabitur, ideo pro nunc sufficiat quod intentio est quiddam in anima, quod est signum naturaliter significans aliquid pro quo potest supponere uel quod potest esse pars propositionis mentalis.

Tale autem signum duplex est. Unum, quod est signum alicuius rei quae non est tale signum, siue significet tale signum simul cum hoc siue non, et illud uocatur intentio prima; qualis est illa intentio animae quae est praedicabilis de omnibus hominibus et similiter intentio praedicabilis de omnibus albedinibus et nigredinibus et sic de aliis.

Verumtamen sciendum est quod 'intentio prima' dupliciter accipitur: stricte et large. Large dicitur intentio prima omne signum intentionale exsistens in anima quod non significat intentiones uel signa praecise, siue sit signum stricte accipiendo 'signum' pro illo quod sic significat quod natum est supponere in propositione pro suo significato siue sit signum large accipiendo 'signum', illo modo quo dicimus syncategorema significare. Et isto modo uerba mentalia et syncategoremata mentalia et coniunctiones et huiusmodi possunt dici intentiones primae. Stricte autem uocatur intentio prima nomen mentale, natum pro suo significato supponere.

Intentio autem secunda est illa quae est signum talium intentionum primarum, cuiusmodi sunt tales intentiones 'genus', `species' et huiusmodi. Sicut enim de omnibus hominibus praedicatur una intentio communis omnibus hominibus, sic dicendo iste homo est homo', 'ille homo est homo', et sic de singulis, ita de illis intentionibus quae significant et supponunt pro rebus praedicatur una intentio communis eis, sic dicendo 'haec species est species', 'illa species est species', et sic de aliis. Similiter sic dicendo 'lapis est genus', 'animal est genus', 'color est genus', et sic de aliis, praedicatur una intentio de intentionibus, ad modum quo in talibus 'homo est nomen', 'asinus est nomen', 'albedo est nomen' praedicatur unum nomen de diuersis nominibus. Et ideo sicut nomina secundae impositionis significant ad placitum nomina primae impositionis, ita secunda intentio naturaliter significat primam. Et sicut nomen primae impositionis significat alia quam nomina, ita prima intentio significat alias res quam intentiones.

Potest etiam dici quod intentio secunda potest accipi stricte pro intentione quae significat praecise primas intentiones, uel large pro intentione quae significat intentiones et signa ad placitum instituta, si tamen sit aliqua talis.

1.13. DE DIVISIONE NOMINUM ET TERMINORUM IN AEQUIVOCA, UNIVOCA ET DENOMINATIVA, ET QUID EST AEQUIVOCUM ET QUOT MODIS DICITUR

Sequitur post praedicta tractare de diuisione terminorum ad placitum institutorum quae est per aequiuocum, uniuocum et denominatiuum. Qyamuis enim Aristoteles in Praedicamentis tractet de aequiuocis, uniuocis et denomniatiuis, tamen ad praesens intendo tantum de uniuocis et aequiuocis tractare, quia de denominatiuis dictum est superius.

Est autem primo sciendum quod sola uox uel aliud signum ad placitum institutum est aequiuocum uel uniuocum, et ideo intentio animae uel conceptus non est aequiuocus nec uniuocus proprie loquendo.

Est autem uox illa aequiuoca quae significans plura non est signum subordinatum uni conceptui, sed est signum unum pluribus conceptibus seu intentionibus animae subordinatum. Et hoc intendit Aristoteles quando dicit nomen commune esse idem, sed rationem substantialem esse diuersam, hoc est, conceptus uel intentiones animae, cuiusmodi sunt descriptiones et definitiones et etiam conceptus simplices, sunt diuersi, tamen uox una est. Hoc expresse patet de dictione diuersorum idiomatum, nam in uno idiomate imponitur ad significandum illud idem quod significatur per talem conceptum et in alio imponitur ad significandum illud idem quod significatur per alium conceptum, et ita pluribus conceptibus seu passionibus animae subordinatur in significando.

Tale autem aequiuocum est duplex. Unum est aequiuocum a casu, quando scilicet uox pluribus conceptibus subordinatur, et ita uni ac si non subordinaretur alteri et ita significat unum ac si non significaret aliud, sicut est de hoc nomine 'Sortes', quod imponitur pluribus hominibus. Aliud est aequiuocm a consilio, quando uox primo imponitur alicui uel aliquibus et subordinatur uni conceptui et postea propter aliquam similitudinem primi significati ad alquid aliud uel propter aliquam aliam rationem imponitur illi alteri, ita quod non imponeretur illi alteri nisi quia primo imponebatur alii, sicut est de hoc nomine 'homo'. Primo enim imponebatur ad significandum omnia animalia rationalia, ita quod imponebatur ad significandum omne illud quod continetur sub hoc conceptu 'animal rationale', postea autem utentes, uidentes similitudinem inter talem hominem et imaginem hominis, utebantur quandoque hoc nomine 'homo' pro tali imagine, ita quod nisi hoc nomen homo fuisset primo impositum hominibus, non uterentur nec imponerent hoc nomen homo ad significandum uel standum pro tali imagine; et propter hoc dicitur 'aequiuocum a consilio'.'Uniuocum' autem dicitur omne illud quod est subordinatum uni conceptui, siue significet plura siue non. Tamen proprie loquendo non est uniuocum nisi significet uel natum sit significare plura aeque primo, ita tamen quod non significet illa plura nisi quia una intentio animae significat illa, ita quod sit signum subordinatum in significando uni signo naturali, quod est intentio seu conceptus animae.

Talis autem diuisio non tantum competit nominibus sed etiam uerbis et uniuersaliter cuilibet parti orationis, immo etiam sic quod aliquid potest esse aequiuocum eo quod potest esse diuersarum partium orationis, puta tam nomen quam uerbum uel tam nomen quam participium uel aduerbium, et sic de aliis partibus orationis.

Est autem intelligendum quod ista diuisio terminorum per aequiuocum et uniuocum non est simpliciter per opposita, ita quod haec sit omnino falsa 'aliquod aequiuocum est uniuocum', immo uera est, quia uere et realiter eadem uox est aequiuoca et uniuoca sed non respectu eorundem, sicut idem est pater et filius, non tamen respectu eiusdem, et idem est simile et dissimile non tamen eidem per idem. Unde si sit aliqua dictio diuersorum idiomatum, manifestum est quod potest esse uniuoca in utroque idiomate. Unde ille qui sciret alterum idioma tantum, nullam

propositionem in qua poneretur distingueret, scienti tamen utrumque idioma est aequiuoca. Unde scientes utrumque idioma in multis casibus distinguerent propositiones in quibus talis dictio poneretur, et ita idem terminus est uni uniuocus et alteri aequiuocus.

Ex praedictis colligi potest quod non semper uniuocum habet unam definitionem, quia non semper proprie definitur. Et ideo quando Aristoteles dicit quod <uniuoca sunt illa quorum nomen commune est et ratio substantialis eadem> accipit rationem pro intentione animae cut tamquam prtmario signo uox subordinatur.

Est autem sciendum quod 'uniuocum' dupliciter accipitur, scilicet large, pro omni uoce uel signo ad placitum instituto correspondente uni conceptui; aliter accipitur stricte, pro aliquo tali praedicabili per se primo modo de aliquibus quibus est uinuocum, uel de pronomine demonstrante aliquam rem.

Terminus autem denominatiuus, ad praesens, dupliciter potest accipi, scilicet stricte, et sic terminus incipiens sicut abstractum incipit et non habens consimilem finem et significans accidens dicitur terminus denominatiuus, sicut a 'fortitudine' 'fortis', a 'iustitia' 'iustus'. Aliter dicitur large terminus habens consimile principium cum abstracto, sed non consimilem finem, siue significet accidens siue non, sicut ab 'anima' dicitur 'animatus'.

Et haec de diuisionibus terminorum sufficiant. Aliqua autem in praedictis omissa inferius supplebuntur.

1.14. DE HOC COMMUNI 'UNIVERSALE' ET DE 'SINGULARI', OPPOSITO SIBI

Cum non sufficiat logico tam generalis notitia terminorum, sed oportet cognoscere terminos in speciali magis ideo postquam de diuisionibus generalibus terminorum tractatum est, de quibusdam contentis sub ahquibus illarum diuistonum prosequendum est.

Est autem primo tractandum de terminis secundae intentionis, secundo de terminis primae intentionis. Dictum autem est quod termini secundae intentionis sunt tales 'uniuersale', 'genus', 'species' etc., ideo de illis quae ponuntur quinque uniuersalia est modo dicendum. Primo tamen dicendum est de hoc communi 'uniuersale' quod praedicatur de omni uniuersali, et de singulari opposito sibi.

Est autem primo sciendum quod 'singulare' dupliciter accipitur. Uno modo hoc nomen 'singulare' significat omne illud quod est unum et non plura. Et isto modo tenentes quod uniuersale est quaedam qualitas mentis praedicabilis de pluribus, non tamen pro se sed pro illis pluribus, dicere habent quod quodlibet uniuersale est uere et realiter singulare: quia sicut quaelibet uox, quantumcumque communis per institutionem, est uere et realiter singularis et una numero quia est una et non plures,

ita intentio animae, significans plures res extra, est uere et realiter singularis et una numero, quia est una et non plures res, quamuis significet plures res.

Aliter accipitur hoc nomen 'singulare' pro omni illo quod est unum et non plura, nec est natum esse signum plurium. Et sic accipiendo 'singulare' nullum uniuersale est singulare, quia quodlibet uniuersale natum est esse signum plurium et natum est praedicari de pluribus. Unde uocando uniuersale aliquid quod non est unum numero, — quam acceptionem multi attribuunt uniuersali —, dico quod nihil est uniuersale nisi forte abuteris isto uocabulo, dicendo populum esse unum uniuersale, quia non est unum sed multa; sed illud puerile esset.

Dicendum est igitur quod quodlibet uniuersale est una res singularis, et ideo non est uniuersale nisi per significationem, quia est signum plurium. Et hoc est quod dicit Auicenna, V Metaphysicae: "Una forma apud intellectum est relata ad multitudinem, et secundum hunc respectum est uniuersale, quoniam ipsum est intentio in intellectu, cuius comparatio non uariatur ad quodcumque acceperis". Et sequitur: "Haec forma, quamuis in comparatione indiuiduorum sit uniuersalis, tamen in comparatione animae singularis, in qua imprimitur, est indiuidua. Ipsa enim est una ex formis quae sunt in intellectu". Vult dicere quod uniuersale est una intentio singularis ipsius animae, nata praedicari de pluribus, ita quod propter hoc quod est nata praedicari de pluribus, non pro se sed pro illis pluribus, ipsa dicitur uniuersalis; propter hoc autem quod est una forma, exsistens realiter in intellectu, dicitur singularis. Et ita 'singulare' primo modo dictum praedicatur de uniuersali, non tamen secundo modo dictum; ad modum quo dicimus quod sol est causa uniuersalis, et tamen uere est res particularis et singularis, et per consequens uere est causa singularis et particularis. Dicitur enim sol causa uniuersalis, quia est causa plurium, scilicet omnium istorum inferiorum generabilium et corruptibilium. Dicitur autem causa particularis, quia est una causa et non plures causae. Sic intentio animae dicitur uniuersalis, quia est signum praedicabile de pluribus; et dicitur etiam singularis, quia est una res et non plures res.

Verumtamen sciendum quod uniuersale duplex est. Quoddam est uniuersale naturaliter, quod scilicet naturaliter est signum praedicabile de pluribus, ad modum, proportionaliter, quo fumus naturaliter significat ignem et gemitus infirmi dolorem et risus interiorem laetitiam. Et tale uniuersale non est nisi intentio animae, ita quod nulla substantia extra animam nec aliquod accidens extra animam est tale uniuersale. Et de tali uniuersali loquar in sequentibus capitulis. Aliud est uniuersale per uoluntariam institutionem. Et sic uox prolata, quae est uere una qualitas numero, est uniuersalis, quia scilicet est signum uoluntarie institutum ad significandum plura. Unde sicut uox dicitur communis, ita potest dici uniuersalis; sed hoc non habet ex natura rei sed ex placito instituentium tantum.

1.15. QUOD UNIVERSALE NON SIT ALIQUA RES EXTRA ANIMAM

Et quia non sufficit ista narrare nisi manifesta ratione probentur, ideo pro praedictis aliquas rationes adducam, necnon et auctoritatibus confirmabo.

Quod enim nullum uniuersale sit aliqua substantia extra animam exsistens euidenter probari potest. Primo quidem sic: nullum uniuersale est substantia singularis et una numero. Si enim diceretur quod sic, sequeretur quod Sortes esset aliquod uniuersale, quia non est maior ratio quare unum uniuersale sit una substantia singularis quam alia. Nulla igitur substantia singularis est aliquod uniuersale, sed omnis substantia est una numero et singularis, quia omnis substantia uel est una res et non plures uel est plures res. Si est una et non plures, est una numero; hoc enim ab omnibus uocatur unum numero. Si autem aliqua substantia est plures res, uel est plures res singulares uel plures res uniuersales. Si primum detur, sequitur quod aliqua substantia esset plures substantiae singulares, et per consequens eadem ratione aliqua substantia esset plures homines; et tunc, quamuis uniuersale distingueretur a particulari uno, non tamen distingueretur a particularibus. Si autem aliqua substantia esset plures res untuersales, accipio unam istarum rerum uniuersalium et quaero: aut est plures res aut una et non plures. Si secundum detur, sequitur quod est singularis, si primum detur, quaero. aut est plures res singulares aut plures res untuersales. Et ita uel erit processus in infinitum uel stabitur quod nulla substantia est uniuersalis ita quod non singularis, ex quo relinquitur quod nulla substantia est uniuersalis.

Item, si aliquod uniuersale esset substantia una, exsistens in substantiis singularibus, distincta ab eis, sequeretur quod posset esse sine eis, quia omnis res prior naturaliter alia potest per diuinam potentiam esse sine ea; sed consequens est absurdum.

Item, si opinio ista esset uera, nullum indiuiduum posset creari si aliquod indiuiduum praeexsisteret, quia non totum caperet esse de nihilo si uniuersale quod est in eo prius fuit in alio. Propter idem etiam sequeretur quod Deus non posset unum indiuiduum substantiae adnihilare nisi cetera indiuidua destrueret, quia si adnihilaret aliquod indiuiduum, destrueret totum quod est de essentia indiuidui, et per consequens destrueret illud uniuersale quod est in eo et in aliis, et per consequens alia non manerent, cum non possent manere sine parte sua, quale ponitur illud uniuersale.

Item, tale uniuersale non posset poni aliquid totaliter extra essentiam indiuidui; esset igitur de essentia indiuidui, et per consequens indiuiduum componeretur ex uniuersalibus, et ita indiuiduum non esset magis singulare quam uniuersale.

Item, sequeretur quod aliquid de essentia Christi esset miserum et damnatum, quia illa natura communis exsistens realiter in Christo et in damnato esset damnata, quia in Iuda. Hoc autem absurdum est.

Aliae multae rationes adduci possent, quas causa breuitatis pertranseo, et eandem conclusionem confirmo per auctoritates.

Primo, per Aristotelem, VII Metaphysicae, ubi ex intentione istam tractans quaetionem an uniuersale sit substantia, demonstrat quod nullum uniuersale est

substantia. Unde dicit: "Impossibile est substantiam esse quodcumque uniuersaliter dictorum".

Item, X Metaphysicae dicit: "Si itaque nullum uniuersalium esse substantiam est possibile, sicut in sermonibus de substantia et ente dictum est, nec ipsum hoc substantiam ut aliquid unum praeter multa".

Ex quibus patet quod secundum intentionem Aristotelis nullum uniuersale est substantia, quamuis supponat pro substantiis.

Item, Commentator, VII Metaphysicae, commento 44: "In indiuiduo non est substantia nisi materia et forma particularis, ex quibus componitur".

Item, ibidem, commento 45: "Dicamus igitur quod impossibile est ut aliquod illorum quae dicuntur uniuersalia sit substantia alicuius rei, etsi declarent substantias rerum".

Item, ibidem, commento 47: "Impossibile est ut ista sint partes substantiarum exsistentium per se".

Item, VIII Metaphysicae, commento 2: "Uniuersale non est substantia neque genus".

Item, X Metaphysicae, commento [6]: "Cum uniuersalia non sint substantiae, manifestum est quod ens commune non est substantia exsistens extra animam".

Ex praedictis auctoritatibus pluribusque aliis colligi potest quod nullum uniuersale est substantia, qualitercumque consideretur. Unde consideratio intellectus non facit quod aliquid sit substantia uel non sit substantia, quamuis significatio termini faciat quod de ipso, non pro se, praedicetur hoc nomen 'substantia' uel non praedicetur. Sicut si iste terminus 'canis' in ista propositione 'canis est animal' stet pro animali Iatrabili uera est, si pro caelesti sidere falsa est. Quod tamen eadem res propter unam considerationem sit substantia et propter aliam non sit substantia est impossibile.

Et ideo simpliciter concedendum est quod nullum uniuersale est substantia, qualitercumque consideretur. Sed quodlibet uniuersale est intentio animae, quae secundum unam opinionem probabilem ab actu intelligendi non differt. Unde dicunt quod intellectio qua intelligo hominem est signum naturale hominum, ita naturale sicut gemitus est signum infirmitatis uel tristitiae seu doloris; et est tale signum quod potest stare pro hominibus in propositionibus mentalibus, sicut uox potest stare pro rebus in propositionibus uocalibus.

Quod enim uniuersale sit intentio animae, satis exprimit Auicenna, V Metaphysicae, ubi dicit: "Dico ergo quod uniuersale dicitur tribus modis. Dicitur enim uniuersale secundum hoc quod praedicatur in actu de multis, sicut 'homo', et

dicitur uniuersale intentio quam possibile est praedicari de multis". Et sequitur: "Dicitur etiam uniuersale intentio quam nihil prohibet opinari quin praedicetur de multis".

Ex quibus aliisque multis patet quod uniuersale est intentio animae nata praedicari de multis.

Quod etiam ratione confirmari potest, nam omne uniuersale, secundum omnes, est de multis praedicabile; sed sola intentio animae uel signum uoluntarie institutum natum est praedicari et non substantia aliqua; ergo sola intentio animae uel signum uoluntarie institutum est uniuersale. Sed nunc non utor 'uniuersali' pro signo uoluntarie instituto, sed pro illo quod naturaliter est uniuersale.

Quod enim substantia non sit nata praedicari patet, quia si sic, sequeretur quod propositio componeretur ex substantiis particularibus, et per consequens subiectum esset Romae et praedicatum in Anglia, quod absurdum est.

Item, propositio non est nisi in mente uel in uoce uel in scripto; igitur partes eius non sunt nisi in mente uel in uoce uel in scripto; huiusmodi autem non sunt substantiae particulares. Constat igitur quod nulla propositio ex substantiis componi potest. Componitur autem propositio ex uniuersalibus, uniuersalia igitur non sunt substantiae ullo modo.

1.16. DE OPINIONE CIRCA ESSE UNIVERSALIS: QUOMODO HABET ESSE EXTRA ANIMAM? CONTRA SCOTUM

Quamuis multis sit perspicuum quod uniuersale non sit aliqua substantia extra animam exsistens in indiuiduis, distincta realter ab eis, uidetur tamen aliquibus quod uniuersale est aliquo modo extra animam in indiuiduis, non quidem distinctum realiter ab eis, sed tantum distinctum formaliter ab eisdem. Unde dicunt quod in Sorte est natura humana, quae contrahitur ad Sortem per unam differentiam indiuidualem, quae ab illa natura non distinguitur realiter sed formaliter. Unde non sunt duae res, una tamen non est formaliter alia.

Sed ista opinio omnino improbabilis uidetur mihi. Primo, quia in creaturis numquam potest esse aliqua distinctio qualiscumque extra animam nisi, ubi res distinctae sunt; si igitur inter istam naturam et istam differentiam sit qualiscumque distinctio, oportet quod sint res realiter distinctae. Assumptum probo per formam syllogisticam sic. Ista natura non est distincta formaliter ab ista natura; haec differentia indiuidualis est distincta formaliter ab hac natura; igitur haec differentia indiuidualis non est haec natura.

Item, eadem res non est communis et propria; sed secundum eos differentia indiuidualis est propria, uniuersale autem est commune; igitur nullum uniuersale et differentia indiuidualis sunt eadem res.

Item, eidem rei creatae non possunt conuenire opposita; commune autem et proprium sunt opposita; ergo eadem res non est communis et propria. Quod tamen sequeretur si differentia indiuidualis et natura communis essent eadem res.

Item, si natura communis esset eadem realiter cum differentia indiuiduali, igitur tot essent realiter naturae communes quot sunt differentiae indiuiduales, et per consequens nullum eorum esset commune, sed quodlibet esset proprium differentiae cui est eadem realiter.

Item, quaelibet res se ipsa uel per aliquid sibi intrinsecum distinguitur a quocumque distiniguitur; sed alia est humanitas Sortis et alia Platonis; igitur se ipsis distinguuntur; non igitur per differentias additas.

Item, secundum sententiam Aristotelis quaecumque differunt specie, differunt numero; sed natura hominis et natura asini se ipsis distinguuntur specie, ergo se ipsis distinguuntur numero; ergo se ipsa quaelibet illarum est una numero.

Item, illud quod per nullam potentiam potest competere pluribus, per nullam potentiam est praedicabile de pluribus; sed talis natura, si sit eadem realiter cum differentia indiuiduali, per nullam potentiam potest conuenire pluribus, quia nullo modo potest competere alteri indiuiduo; ergo per nullam potentiam potest esse praedicabile de pluribus, et per consequens per nullam potentiam potest esse uniuersale.

Item, accipio illam differentiam indiuidualem et naturam quam contrahit et quaero: aut inter ea est maior distinctio quam inter duo indiuidua aut minor. Non maior, quia non differunt realiter, indiuidua autem differunt realiter. Nec minor, quia tunc essent eiusdem rationis, sicut duo indiuidua sunt eiusdem rationis, et per consequens si unum est de se unum numero et reliquum erit de se unum numero.

Item, quaero: aut natura est differentia indiuidualis aut non. Si sic, arguo syllogistice sic: haec differentia indiuidualis est propria et non communis; haec differentia indiuidualis est natura; ergo natura est propria et non communis. Quod est intentum. Similiter arguo syllogistice sic: haec differentia indiuidualis non est distincta formaliter a differentia indiuiduali; haec differentia indiuidualis est natura; ergo natura non est distincta formaliter a differentia indiuiduali. — Si autem detur quod haec differentia indiuidualis non est natura, habetur intentum, nam sequitur: differentia indiuidualis non est natura, ergo differentia indiuidualis non est realiter natura; quia ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, sic arguendo: differentia indiuidualis est realiter natura; ergo differentia indiuidualis est natura. Consequentia patet, quia a determinabili, sumpto cum determinatione non distrahente nec diminuente, ad determinabile per se sumptum est bona consequentia. 'Realiter' autem non est determinatio distrahens nec diminuens. Igitur sequitur: differentia indiuidualis est realiter natura, ergo differentia indiuidualis est natura.

Dicendum est igitur quod in creaturis nulla est talis distinctio formalis, sed quaecumque in creaturis sunt distincta, realiter sunt distincta, et sunt res distinctae si utrumque illorum sit uera res. Unde sicut in creaturis tales modi arguendi numquam negari debent 'hoc est a, hoc est b, ergo b est a', nec tales 'hoc non est a, hoc est b, igitur b non est a', ita numquam debet negari in creaturis quin quandocumque contradictoria uerificantur de aliquibus, illa sunt distincta, nisi aliqua determinatio uel aliquod syncategorema sit causa talis uerificationis; quod proposito poni non debet. Et ideo debemus dicere cum philosophis quod in substantia particulari nihil est substantiale penitus nisi forma particularis et materia particularis uel aliquid compositum ex talibus. Et ideo non est imaginandum quod in Sorte sit humanitas uel natura humana distincta a Sorte quocumque modo, cui addatur una differentia indiuidualis, contrahens illam naturam, sed quidquid imaginabile substantiale exsistens in Sorte uel est materia particularis uel forma particularis uel aliquid compositum ex his. Et ideo omnis essentia et quidditas et quidquid est substantiae, si sit realiter extra animam, uel est simpliciter et absolute materia uel forma uel compositum ex his, uel substantia immaterialis abstracta, secundum doctrinam Peripateticorum.

1.17. DE SOLUTIONE DUBIORUM QUAE MOVERI POSSUNT CONTRA PRAEDICTA

Et quoniam solutio dubiorum est ueritatis manifestatio, ideo contra praedicta aliquae obiectiones sunt ponendae, ut soluantur. Multis enim non paruae auctoritatis uiris uidetur quod uniuersale sit aliquo modo extra animam et de essentia substantiarum particularium. Ad quod probandum nonnullas rationes et auctoritates adducunt.

Unde dicunt quod quando aliqua realiter conueniunt et realiter differunt, per aliud conueniunt et per aliud differunt. Sortes autem et Plato conueniunt realiter et realiter differunt, igitur distinctis conueniunt et differunt; sed conueniunt in humanitate et etiam in materia et forma; igitur includunt aliqua praeter ista, quibus distinguuntur. Illa uocant differentias indiuiduales.

Item, plus conueniunt Sortes et Plato quam Sortes et asinus; igitur in aliquo conueniunt Sortes et Plato in quo non conueniunt Sortes et asinus; sed non conueniunt in aliquo uno numeraliter; igitur illud in quo conueniunt non est unum numero; igitur est aliquid commune.

Item, X Metaphysicae: In omni genere est unum primum quod est mensura omnium aliorum quae sunt in illo genere. Sed nullum singulare est mensura omnium aliorum, quia non omnium indiuiduorum eiusdem speciei; igitur est aliquid praeter indiuiduum.

Item, omne superius est de essentia inferioris, igitur uniuersale est de essentia substantiae; sed non—substantia non est de essentia substantiae; igitur aliquod uniuersale est substantia.

Item, si nullum uniuersale esset substantia, igitur omnia uniuersalia essent accidentia, et per consequens omnia praedicamenta essent accidentia, et ita praedicamentum substantiae esset accidens, et per consequens aliquod accidens esset per se superius ad substantiam. Immo sequeretur quod idem esset superius ad se, quia illa uniuersalia non possent poni nisi in genere qualitatis si sint accidentia, et per consequens praedicamentum qualitatis esset commune ad omnia uniuersalia; igitur esset commune ad hoc uniuersale quod est praedicamentum qualitatis.

Aliae rationes et auctoritates innumerae adducuntur pro ista opinione, quas causa breuitatis omitto ad praesens, dicturus de eis in diuersis locis inferius.

Et ad istas respondeo. Ad primum concedo quod Sortes et Plato realiter conueniunt et realiter differunt, quia realiter conueniunt specifice et realiter differunt numeraliter. Et per idem conueniunt specifice et differunt numerafiter, sicut alii habent dicere quod differentia indiuidualis per idem conuenit realiter cum natura et differt formaliter.

Et si dicas quod idem non est causa conuenientiae et differentiae, dicendum quod uerum est quod idem non est causa conuenientiae et differentiae oppositae illi conuenientiae, quo modo non est in proposito, nam inter conuenientiam specificam et differentiam numeralem nulla est penitus oppositio. Concedendum est igitur quod Sortes per idem conuenit specifice cum Platone et differt numeraliter ab eodem.

Secundum etiam argumentum non mouet: non enim sequitur 'Sortes et Plato plus conueniunt quam Sortes et asinus, igitur in aliquo plus conueniunt', sed sufficit quod se ipsis plus conueniant. Unde dico quod Sortes per animam suam intellectiuam plus conuenit cum Platone quam cum asino, et se toto plus conuenit cum Platone quam cum asino. Unde de uirtute sermonis non debet concedi quod Sortes et Plato conueniunt in aliquo quod est de essentia eorum, sed debet concedi quod conueniunt aliquibus, quia formis suis et se ipsis; quamuis si per contradictionem esset una natura in illis, conuenirent in illa, sicut si — per contradictionem — Deus esset fatuus, male regeret mundum.

Ad aliud dicendum est quod quamuis unum indiuiduum non sit mensura omnium indiuiduorum eiusdem generis uel eiusdem speciei specialissimae, idem tamen indiuiduum potest esse mensura indiuiduorum alterius generis uel indiuiduorum multorum eiusdem speciei, et hoc sufficit pro intentione Aristotelis.

Ad aliud dicendum est quod loquendo de ui uocis et secundum proprietatem sermonis concedi debet quod nullum uniuersale est de essentia cuiuscumque substantiae. Omne enim uniuersale est intentio animae uel aliquod signum uoluntarie institutum; nullum autem tale est de essentia substantiae, et ideo nullum genus, nec aliqua species nec aliouod uniuersale est de essentia substantiae cuiuscumque, sed magis proprie loquendo debet dici quod uniuersale exprimit uel explicat naturam substantiae, hoc est naturam quae est substantia. Et hoc est quod

dicit Commentator, VII Metaphysicae, 'quod impossibile est quod aliquod illorum quae dicuntur uniuersalia sit substantia alicuius rei, etsi declarent substantias rerum'. Unde omnes auctoritates quae sonant uniuersalia esse de essentia substantiarum uel esse in substantiis uel esse partes substantiarum, debent sic intelligi quod auctores non intendunt nisi quod talia uniuersalia declarant, exprimunt, explicant, important et significant substantias rerum.

Et si dicas: nomina communia, puta talia 'homo', 'animal' et huiusmodi, significant aliquas res substantiales et non significant substantias singulares, quia tunc 'homo' significaret omnes homines, quod uidetur falsum, igitur talia nomina significant aliquas substantias praeter substantias singulares:

Dicendum est quod talia nomina significant praecise res singulares. Unde hoc nomen 'homo' nullam rem significat nisi illam quae est homo singularis, et ideo numquam supponit pro substantia nisi quando supponit pro homine particulari. Et ideo concedendum est quod hoc nomen 'homo' aeque primo significat omnes homines particulares, nec tamen propter hoc sequitur quod hoc nomen 'homo' sit uox aequiuoca, et hoc quia quamuis significet plura aeque primo, tamen unica impositione significat illa et subordinatur in significando illa plura tantum uni conceptui et non pluribus, propter quod uniuoce praedicatur de eis.

Ad ultimum habent dicere illi qui ponunt intentiones animae esse qualitates mentis, quod omnia uniuersalia sunt accidentia. Non tamen omnta uniuersalta sunt signa accidentium, sed aliqua sunt signa substantiarum tantum et illa quae sunt tantum signa substantiarum constituunt praedicamentum substantiae, alia constnuunt alia praedicamenta. Concedendum est igitur quod praedicamentum substantiae est accidens, quamuis declaret substantias et non accidentia. Et ideo concedendum est quod aliquod accidens, illud scilicet quod est signum tantum substantiarum, est per se superius ad substantiam. Nec est hoc magis inconueniens quam dicere quod aliqua uox est nomen multarum substantiarum.

Sed numquid idem est superius ad se ipsum? Potest dici quod non, quia ad hoc quod aliquid sit superius ad aliud requiritur distinctio inter illa. Et ideo potest dici quod non omnia uniuersalia sunt per se inferiora ad hoc commune 'qualitas', quamuis omnia uniuersalia sint qualitates, quia hoc commune 'qualitas' est qualitas, non tamen est inferius ad illud sed est ipsummet.

Et si dicatur: idem non praedicatur de diuersis praedicamentis, igitur qualitas non est communis ad diuersa praedicamenta, dicendum est quod siue idem praedicetur de diuersis praedicamentis quando stant significatiue siue non, tamen quando illa praedicamenta stant et supponunt non significatiue non est inconueniens idem praedicari de diuersis praedicamentis. Unde si in ista 'substantia est qualitas' subiectum stet materialiter uel simpliciter pro intentione, ipsa est uera. Et eodem modo ista est uera 'quantitas est qualitas', si 'quantitas' non stet significatiue: et ita idem praedicatur de diuersis praedicamentis. Sicut istae duae 'substantia est

uox','quantitas est uox' uerae sunt si subiecta supponant materialiter et non significatiue.

Et si dicas: qualitas spiritualis est in plus quam quodcumque praedicamentum, eo quod praedicatur de pluribus, nam praedicatur de omnibus praedicamentis, et nullum praedicamentum praedicatur de omnibus praedicamentis:

Dicendum est quod qualitas spiritualis non praedicatur de omnibus praedicamentis significatiue sumptis, sed tantum pro signis sumptis, et propter hoc non sequitur quod sit in plus quam quodcumque praedicamentum. Nam superioritas et inferioritas inter aliqua sumitur ex hoc quod unum significatiue sumptum praedicatur de pluribus quam aliud significatiue sumptum. Unde ista est difficultas talis qualis est de isto nomine 'dictio', nam hoc nomen est unum contentum sub nomine, nam hoc nomen dictio est nomen, et non omne nomen est hoc nomen 'dictio'. Et tamen hoc nomen 'dictio' est quodammodo superius ad omnia nomina et ad hoc nomen 'nomen', nam omne nomen est dictio, sed non omnis dictio est nomen.

Et ita uidetur quod idem respectu eiusdem est superius et inferius. Quod potest solui dicendo quod argumentum concluderet si in omnibus propositionibus quibus probatur conclusio termini supponerent uniformiter. Nunc autem aliter est ill proposito. Si tamen hoc uocetur 'inferius' de quo aliquo modo supponente praedicatur aliud et de pluribus, quamuis illud si aliter supponeret non praedicaretur de eo uniuersaliter sumpto, potest concedi quod idem respectu eiusdem est superius et inferius, sed tunc 'superius' et 'inferius' non sunt opposita sed disparata.

1.18. DE QUINQUE UNIVERSALIBUS ET EORUM SUFFICIENTIA

Ostenso quid est uniuersale, uidendum est quot ponuntur species uniuersalium. Ponuntur autem quinque uniuersalia, quorum sufficientia et numerus potest sic accipi. Omne uniuersale est de multis praedicabile: aut igitur praedicatur in quid de multis aut non in quid. Si in quid, ita quod conuenienter per illud contingit respondere ad quaestionem factam per quid de aliquo, hoc contingit dupliciter. Quia aut illa multa de quibus praedicatur sunt omnia similia, ita quod omnia essentialiter conueniunt, nisi forte unum componatur ex pluribus aeque similibus, et sic est Species specialissima. Aut non omnia de quibus praedicatur praedicto modo conueniunt, sed contingit reperire aliqua duo quae simpliciter secundum se tota et secundum suas partes, si habeant partes, sunt dissimilia, sicut est de 'animali'. Nam 'animal' praedicatur de homine et asino, et maior est similitudo substantialis inter duos homines quam inter hominem et asinum. Similiter est de 'colore' respectu albedinis et nigre dinis, nam nec haec nigredo nec aliqua pars huius nigredinis tantum conuenit cum hac albedine uel aliqua parte huius albedinis quantum una albedo conuenit cum alia, et propter hoc intentio praedicabilis de albedine et nigredine non est species specialissima sed genus. Sed albedo est species specialissima respectu albedinum, quia quamuis aliquando una albedo plus conueniat cum una albedine quam cum alia, sicut duae albedines aeque intensae

plus conuenire uidentur quam albedo intensa et remissa, tamen semper altera illarum albedinum tantum conuenit cum aliqua parte alterius quantum quaecumque duae albedines conueniunt inter se. Et propter hoc 'albedo' est species specialissima et non genus respectu albedinum.

Verumtamen sciendum est quod tam genus quam species dupliciter accipitur, scilicet large et stricte. Stricte autem uocatur genus illud per quod conuenienter respondetur ad quaestionem factam per 'quid' de aliqua re per pronomen demonstrans illam rem. Sicut si quaeratur 'quid est hoc', demonstrando Sortem, conuenienter respondetur dicendo quod est animal uel homo et sic de aliis generibus. Et consimiliter est de specie.

Large autem dicitur genus uel species omne illud per quod conuenienter respondetur ad quaestionem factam per 'quid est' per nomen connotatiuum, quod non est mere absolutum. Sicut si quaeratur 'quid est album', conuenienter respondetur quod est coloratum. Et tamen si quaereres quaestionem 'quid est' per pronomen demonstratiuur, numquam contingit conuenienter respondere per 'coloratum'. Quidquid enim demonstrares per hoc pronomen 'hoc', sic quaerendo 'quid est hoc', numquam conuenienter respondebis quod est coloratum. Quia sic quaerendo uel demonstras subiectum albedinis, et tunc manifestum est quod non conuenienter respondes; uel demonstras albedinem, et manifestum est quod non conuenienter respondes per 'coloratum', nam albedo non est colorata; uel demonstras unum aggregatum, et manifestum est quod non conuenienter respondes, quia illud aggregatum non est coloratum, sicut inferius ostendetur; uel demonstras illum terminum, et manifestum est quod ille terminus non est coloratus. Patet igitur quod ad talem quaestionem 'quid est album' conuenienter respondetur per 'coloratum', et propter hoc 'coloratum' potest dici genus, large sumendo genus. Quia tamen per 'coloratum' non conuenienter respondetur ad quaestionem 'quid est' factam per pronomen demonstratiuum, ideo non est genus, stricte sumendo hoc uocabulum 'genus'. Et eodem modo, proportionaliter, est de specie.

Et est ista distinctio necessaria, quia sine ea non possunt saluari multae auctoritates Aristotelis et aliorum auctorum quin repugnent; sed per eam exponendae sunt, quia multae regulae intelliguntur de genere et specie primo modo dictis, quae non intelliguntur de aliis, sicut in processu patebit.

Si autem non praedicatur tale praedicabile in quid, uel hoc est quia exprimit partem rei unam et non aliam, nihil extrinsecum exprimendo, et sic est differentia. Sicut 'rationale', si sit differentia hominis, exprimit partem hominis, scilicet formam et non materiam. Vel exprimit siue importat aliquid quod non est pars rei, et tunc uel praedicatur contingenter uel necessario: si contingenter, sic uocatur accidens, si necessario, sic uocatur proprium.

Verumtamen sciendum est quod aliquando illud extrinsecum importatum potest esse una propositio sine cuius ueritate [non] potest esse exsistere uere praedicari de aliquo, sicut secundum ponentes quantitatem non esse aliam rem a

substantia et qualitate, hoc nomen 'quantitas' importat istam propositionem esse ueram, si formetur, quando praedicatur de aliquo 'hoc habet partem distantem a parte'.

Est etiam sciendum quod secundum multas opiniones idem potest esse genus large accipiendo hoc nomen 'genus' respectu aliquorum, et proprium uel accidens respectu aliorum. Sicut quantitas respectu aliquorum est genus, puta respectu corporis, lineae, superficiei et huiusmodi, et tamen secundum opinionem quae ponit quantitatem non esse aliam rem a substantia et qualitate respectu substantiae et qualitatis est accidens uel propriu. Sed hoc est impossibile de genere, stricte sumendo hoc nomen 'genus'. Et hoc idem dicendum est de specie.

Et si dicas: ens est uniuersale, et similiter unum, et tamen non est genus:

Similiter hoc commune 'uniuersale' est uniuersale, et tamen non est genus nec species:

Ad primum istorum potest dici quod illa est diuisio uniuersalium quae non praedicantur de omnibus, 'ens' autem praedicatur de omnibus. De uno autem est alia ratio, quia 'unum' potest assignari esse accidens uel proprium.

Ad secundum potest dici quod hoc commune 'uniuersale' est genus, et ideo genus praedicatur de specie, non pro se sed pro specie.

1.19. DE INDIVIDUO QUOD CONTINETUR SUB QUOLIBET UNIVERSALI

His praemissis de uniuersali dicendum est de quinque uniuersalibus in speciali. Primo tamen dicendum est de indiuiduo, quod continetur sub quolibet uniuersali.

Et est sciendum primo quod apud Iogicos ista nomina conuertibilia sunt 'indiuiduunm', 'singulare', 'suppositum', quamuis apud theologos 'indiuiduum' et 'suppositum' non conuertantur, quia apud eos suppositum non est nisi substantia, accidens autem est indiuiduum. Sed in isto capitulo utendum est istis nominibus illo modo quo logici utuntur eis.

Apud logicum autem 'indiuiduum' tripliciter accipitur. Nam uno modo dicitur indiuiduum illud quod est una res numero et non plures, et sic potest concedi quod quodlibet uniuersale est indiuiduum. Aliter dicitur indiuiduum res extra animam, quae est una et non plures, nec est signum alicuius; et sic quaelibet substantia est indiuiduum. Tertio modo dicitur indiuiduum signum proprium uni, quod uocatur terminus discretus; et sic dicit Porphyrius quod indiuiduum est quod praedicatur de uno solo. Ista autem definitio non potest intelligi de re exsistente extra animam, puta de Sorte et Platone et huiusmodi, quia res talis non praedicatur de uno nec de pluribus, ideo oportet quod intelligatur de aliquo signo proprio uni, quod non potest

praedicari nisi de uno; hoc est non praedicatur de aliquo conuertibiliter, quod potest supponere pro pluribus in eadem propositione.

Tale autem indiuiduum tripliciter potest assignari. Quia aliquod est nomen proprium alicuius, sicut hoc nomen 'Sortes' et hoc nomen 'Plato'. Aliquod autem est pronomen demonstratiuum, sicut hic 'hoc est homo', demonstrando Sortem. Aliquando autem est pronomen demonstratiuum sumptum cum aliquo termino communi, sicut 'hic homo', 'hoc animal', 'iste lapis', et sic de aliis.

Et sicut distinguitur de hoc nomine 'indiuiduum', ita potest distingui de hoc nomine 'singulare' et de hoc nomine 'suppositum'. Unde et apud antiquos, sicut puerulus didici, supposita termini communis alicuius duplicia sunt, scilicet per se et per accidens. Sicut istius termini 'album' supposita per se sunt 'hoc album', 'illud album', supposita per accidens sunt Sortes et Plato et iste asinus. Quod non potest intelligi nisi accipiendo hoc nomen 'suppositum' pro indiuiduis quae sunt signa rerum; quia loquendo de supposito quod est a parte rei et non signum alicuius, impossibile est quod aliqua sint supposita alicuius termini per se et aliqua per accidens. Sed aliter accipiendo suppositum, scilicet pro termino proprio uni, quod dicitur suppositum quia de illo praedicatur illud commune, non pro se sed pro suo significato, illa dicuntur supposita per se alicuius termini communis quae sunt pronomina demonstratiua sumpta cum eodem termino communi; nomina autem propria et pronomina demonstratiua dicuntur supposita per accidens eiusdem termini. Et est differentia magna inter ista indiuidua siue supposita et illa, nam impossibile est unum contrariorum uere praedicari de supposito per se alterius contrarii, sicut haec est impossibilis 'hoc album est nigrum', sed de supposito per accidens unius contrarii potest praedicari aliud contrarium, quaimuis non dum est suppositum illius, sicut si Sortes sit modo suppositum albi, adhuc est haec possibilis 'Sortes est niger', et hoc quia idem potest esse suppositum per accidens duorum contrariorum successiue, quamuis non simul

1.20. DE GENERE: QUID EST GENUS?

Post haec dicendum est de quinque uniuersalibus, et primo, sequendo Porphyrium, dicendum est de genere.

Definitur autem genus a Philosopho et a Porphyrio sic "Genus est quod praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid".

Circa quam definitionem primo notandum est quod genus non est aliqua res extra animam, de essentia illorum de quibus praedicatur, sed est quaedam intentio animae, praedicabilis de multis, non quidem pro se sed pro rebus quas significat. Unde sicut quando profero istam propositionem 'homo est animal', uox praedicatur de uoce, non tamen praedicatur uox de uoce pro uoce, quia non intendimus uti ipsa uoce pro se ipsa, sed pro re quam significat, et ita praedicatur de re. Sic est de intentione generis, quia non praedicatur pro se sed pro re quam significat. Et ideo quando genus praedicatur de specie non denotatur quod subiectum sit praedicatum

nec quod praedicatum realiter conueniat subiecto in esse reali, sed denotatur quod illud quod importatur per subiectum est illud quod importatur per praedicatum.

Ista autem intentio quae est genus non praedicatur de rebus extra animam, quia illae non subiciuntur, sed praedicatur de signis talium rerum, de quarum essentia tamen non est genus, sicut nec intentio animae est de essentia rei extra.

Ex quo sequitur quod genus non est pars speciei. Et non solum hoc, sed etiam nec genus importat partem speciei, immo genus importat totum. Non enim illa intentio plus importat materiam quam formam nec e conuerso, proprie loquendo de 'importare' seu 'significare'. Improprie tamen utendo uocabulo potest dici quod genus aliquando importat materiam et non formam; quod non est aliud quam dicere quod in quolibet significato per tale genus inuenitur materia eiusdem rationis, non autem aliqua forma eiusdem rationis.

Verumtamen non omne genus, etiam isto modo loquendo, significat materiam rei, quia aliquod est genus quod est commune praecise ad simplicia, carentia compositione ex materia et forma, sicut est de 'colore', quod non est commune nisi ad colores, qui non componuntur ex materia et forma. Et ideo omnes auctoritates philosophorum quae ponunt quod genus est pars rei uel quod est materia ret uel consimilia, sic glossari debent quod ideo genus dicitur pars rei uel materia, quia est quasi pars materialis definitionis uel descriptionis. Sicut enim in naturalibus materia praesupponitur formae et forma aduenit sibi, ita si aliqua res debeat definiri, primo ponendum est genus, secundo addendae sunt differentiae essentiales uel accidentales. Et ideo genus est pars definitionis et primum in definitione, ad modum, aliquo modo, quo materia est primum in composito. Et propter hoc, et propter nihil aliud, dicunt auctores quod genus est materia et pars rei.

Et si dicas: si genus est pars definitionis et definitio est eadem realiter cum definito, igitur est pars definiti, dicendum est quod de uirtute sermonis ista est simpliciter falsa 'definitio est eadem realiter cum definito'; sed ista est simpliciter uera 'definitio et definitum significant idem'. Nec aliud intendunt auctores.

Secundo notandum est quod genus praedicatur de speciebus et indiuiduis. Tamen aliter est de genere stricte sumpto et large sumpto. Nam omne genus stricte sumptum requirit res distinctas dissimiles, pro quibus illa de quibus praedicatur genus supponunt. Non sic autem est de genere large sumpto, immo sufficit quod illa de quibus praedicatur et quae supponunt pro aliis sint communia et ab inuicem se remouentia. Sicut si non esset possibile quod esset aliqua res substantialis nisi homo, adhuc 'numerus' uel 'multitudo' propria substantiis posset poni genus. 'Multa' enim uel 'multitudo' praedicaretur de istis communibus 'duo', 'tres', 'quatuor' et sic de aliis, quorum nullum praedicatur de alio. Tamen multae auctoritates de isto genere non intelliguntur

1.21. DE SPECIE

Speciem similiter definiunt philosophi dicentes quod "species est illud quod praedicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid ".

Circa quam dicendum est, sicut de genere, quod species est intentio animae, quae non est de essentia indiuiduorum, quamuis sit praedicabilis de eis.

Differt autem ista intentio ab intentione quae est genus, non tamquam totum a parte, quia realiter et proprie Ioquendo nec genus est pars speciei nec species est pars generis, sed in hoc differunt quod species est communis ad pauciora quam genus suum, ita quod genus est signum plurium et species pauciorum. Unde sicut hoc nomen 'animal' significat plura, quia significat omnia animalia, hoc autem nomen 'homo' significat pauciora, quia significat tantum homines, ita est de genere et specie. Et hoc est speciem esse partem subiectiuam generis, scilicet speciem significare pauciora quam genus. Sic etiam haec uox 'homo' potest dici pars huius uocis 'animal', hoc est haec uox 'homo' significat pauciora quam haec uox 'animal'. Et sic accipiunt omnes recte loquentes istum terminum 'pars subiectiua'.

Similiter sicut genus non praedicatur de speciebus pro se sed pro rebus quas significat, ita species non praedicatur de pluribus pro se sed pro rebus. Ipsa enim species non est plura, quamuis praedicetur de pluribus. Nec etiam species est realiter in indiuiduo, tunc enim esset pars indiuidui, quod manifestum est esse falsum: tum quia nec est materia nec forma; tum quia aliqua sunt indiuidua quae non habent partes, et per consequens species non est pars indiuidui, sed est signum indiuidui, immo significat omnes res indiuiduales contentas sub ea.

Est autem sciendum quod intentionum, quae sunt genera et species, quaedam sunt genera generalissima, quaedam sunt genera et species subalternae, quaedam sunt species specialissimae.

Est autem genus generalissimum quod non habet genus supra se, hoc est genus generallsstimum est illud de quo uniuersaliter Sumpto non praedicatur aliud genus et simul de alio, quamuis secundum aliquam opinionem de genere generalissimo praedicetur particulariter aliquod aliud genus. Unde aliqui ponunt quod haec est uera 'substantia est quantitas', quia tamen non ponunt istam esse ueram 'omnis substantia est quantitas', ideo possunt saluare quod substantia est genus generalissimum. Quamuis etiam aliter possent saluare, scilicet dicendo quod genus generalissimum est illud de quo uniuersaliter sumpto non praedicatur in quid aliud genus. Nunc autem quamuis dicerent istam esse ueram 'substantia est quantitas', non tamen dicerent quod quantitas praedicatur in quid de substantia uniuersaliter sumpta.

Species autem specialissima est intentio non habens speciem sub se, hoc est species specialissima de nullo communi praedicatur in quid, quamuis de multis

singularibus possit praedicari in quid. Media autem inter speciem specialissimam et genus generalissimum uocantur genera et species subalternae

1.22. DE COMPARATIONE GENERIS ET SPECIEI AD INVICEM

Viso quid est genus et quid species, istae intentiones secundum communes proprietates et proprias sunt ad inuicem comparandae.

Differunt autem in hoc quod genus praedicatur de specie, sed species non praedicatur de genere. Quod non est intelligendum quod species nullo modo praedicetur de genere: hoc enim impossibile est, cum genus praedicetur de specie, et per consequens species de genere. Sequitur enim per conuersionem 'homo est animal, igitur animal est homo'; et ita si genus praedicatur de specie sequitur necessario quod species praedicatur de genere. Et ideo sic intelligenda est differentia quod quando genus actualiter continet sub se diuersa indiuidua diuersarum specierum tunc genus uere praedicatur de specie uniuersaliter sumpta, sed species tunc non praedicatur de genere uniuersaliter sumpto, quamuis praedicetur de genere particulariter sumpto. Unde haec modo est uera 'ontnis homo est animal', sed haec est falsa 'omne animal est homo', quamuis haec sit uera 'animal est homo', ex quo haec particularis, quae cum indcfinita conuertitur, uera est 'aliquod animal est homo'.

Verumtamen si nullum animal esset in rerum natura nisi homo, haec tunc esset uera 'omne animal est homo' sicut ista 'omnis homo est animal'. Et ita species potest praedicari de genere non tantum particulariter sed etiam uniuersaliter, sed non quando diuersa indiuidua diuersarum specierum sunt in rerum natura.

Est etiam aduertendum quod quamuis genus praedicetur de Specie, praedicatio tamen illa non semper est necessaria, sicut haec non est necessaria 'homo est animal'. Si enim nullus homo esset, haec esset falsa 'homo est animal' sicut haec esset falsa 'aliquod compositum ex corpore et anima intellectiua est animal', propter falsam implicationem. Quamuis autem ista sit contingens 'homo est animal', ista tamen condicionalis est necessaria 'si homo est, animal est'.

Alia diiferentia ponitur, uidelicet quod genus continet speciem, species autem non continet genus. Quod est sic intelligendum quod genus natum est praedicari de pluribus, — hoc enim hic 'continere' uocatur —, species autem non potest praedicari de pluribus quam genus suum.

Alia differentia ponitur quod genus est prius naturaliter quam species. Quae non est intelligenda sicut sonat, quasi prius natura sit illa intentio quae est genus quam illa intentio quae est species, quia illa intentio quae est species potest esse in anima sine illa intentione quae est genus sicut e conuerso. Unde non quilibet quando format propositionem talem 'Sortes est homo' oportet quod habeat omnes intentiones in anima quae sunt genera ad Sortem. Sed per istam propositionem 'genus est prius natura quam species' nihil aliud intendunt auctores nisi quod genus

est communius quam species. Propter quod non oportet quamuis esse exsistere praedicetur de genere quod praedicetur de qualibet eius specie, immo potest uere negari ab aliqua specie, quamuis uere praedicetur de genere, sed e conuerso est impossibile. Et hoc non est aliud quam dicere quod tales consequentiae sunt bonae 'homo est, igitur animal est', sed non e conuerso; 'lapis est, igitur substantia est' et non e conuerso.

Alia differentia ponitur, quae est quod interemptis generibus interimuntur species. Quae non est intelligenda de interemptione reali, sic quod si genus corrumpatur oportet speciem corrumpi realiter et non e conuerso. Hoc enim falsum est. Quamuis enim haec intentio 'animal', quae est genus praedicabile de homine et asino, cesset esse in anima mea et per consequens corrumpatur, non oportet hanc intentionem 'homo', quae est species, desinere esse in anima mea. Sed praedicta differentia intelligenda est de interemptione logicali, hoc est: a negatione generis ad negationem Speciei est bona consequentia. Sicut sequitur 'animal non est, igitur homo non est', sed e conuerso non sequitur. Similiter sequitur 'a non est animal, igitur a non est homo', sed non e conuerso. Similiter sequitur 'nullum animal currit, igitur nullus homo currit', sed non e conuerso.

Aliae differentiae multae ponuntur, de quibus alibi dixi, et quarum intellectus elici possunt ex dictis et dicendis, ideo de ipsis pertranseo.

Conueniunt autem genus et species in hoc quod utrumque de pluribus est praedicabile. Quod quidem secundum ueritatem theologiae uerum est. Quamuis enim non sit nisi unus sol, possunt tamen per diuinam potelitiam esse plures. Similiter, quamuis non esset nisi unus angelus in una specie, posset tamen Deus, si sibi placeret, producere plures angelos eiusdem speciei, quamuis Philosophus hoc negaret.

Ponitur autem alia conuenientia inter genus et speciem, scilicet quod utrumque prius est ad illud de quo praedicatur. Quae non est intelligenda sic quod prius in rerum natura sit tam genus quam species quam indiuiduum. Hoc enim falsum est. Potest enim indiuiduum esse sine anima, species autem et genus sine anima esse non possunt. Sed ideo utrumque dicitur prius, quia ab indiuiduo ad genus et speciem est bona consequentia, et non e conuerso.

Tertia conuenientia ponitur quod tam genus quam species est quoddam totum. Quae intelligenda est accipiendo 'totum' pro 'communiori'.

1.23. DE DIFFERENTIA

Tertia species uniuersalium est differentia. Quae ut sciatur perfectius, sciendum est quod, sicut dicit Porphyrius, hoc nomen differentia tripliciter accipitur, scilicet communiter, proprie et magis proprie.

Communiter dicitur differentia omne illud quod non praedicatur in quid de aliquo, praedicatur tamen de eo et ab alio remouetur. Et differentia sic accepta communis est ad differentiam magis proprie dictam et ad proprium et ad accidens. Unde commune est ad tres species uniuersalium, scilicet differentiam, proprium et accidens.

Proprie dicitur differentia illud quod est proprium uni et non potest competere alteri. Vel, secundum Porphyrium, differentia proprie dicta est illud quod competit alicui, et non potest sibi exsistenti successiue competere et non competere; quod uocatur accidens inseparabile, de quo dicetur inferius.

Differentia uero magis proprie dicta est differentia specifica.

Potest autem et alia diuisio differentiae assignari, quae tamen praecedenti non repugnat, ut dicatur quod hoc uocabulum 'differentia' potest quadrupliciter accipi, scilicet stricte, large, largius et largissime.

Stricte dicitur differentia quae per se primo modo praedicatur de aliquo, et non indicat aliquid extrinsecum rei, pro qua supponit illud de quo praedicatur. Et sic est unum quinque uniuersalium, de quo in hac parte loquendum est.

Large dicitur differentia illud quod necessario praedicatur de aliquo, quod non omnibus potest conuenire. Et sic potest dici quod 'risibile' est differentia hominis, quia haec est necessaria 'homo est risibilis'.

Largius dicitur differentia illud quod praedicatur de aliquo et non potest uirtute naturae successiue affirmari et negari de illo, [illo] remanente. Et tale uocatur accidens inseparabile.

Largissime dicitur differentia omne illud quod praedicatur de uno et non de omnibus. Et sic etiam accidens separabile dicitur diiferentia. Sicut si Sortes sit albus et Plato niger, dici potest quod 'album' est differentia Sortis, quia Sortes est albus et non Plato.

Dimittendo autem pro nunc ista ultima membra, dicendum est de primo.

Et est intelligendum quod differentia non est de essentia rei, sed est quaedam intentio animae, praedicabilis de contentis non in quid. Quae intentio ideo dicitur differentia quia cum non praedicetur in quid, est tamen medium concludendi negatiuam, in qua negatur illud cuius est differentia ab alio. Sicut 'rationale' est medium concludendi negatiuam, quae negat hominem ab asino et aliis quae non sunt homines, sic arguendo 'omnis homo est rationalis; nullus asinus est rationalis; igitur nullus asinus est homo'.

Unde non est imaginandum quod differentia est aliquid intrinsecum speciei per quod una species distinguitur ab alia; tunc enim differentia non esset uniuersale, sed

esset materia uel forma uel totum compositum ex materia et forma. Sed differentia est quoddam praedicabile proprium uni speciei et non conueniens alteri, et uocatur differentia essentialis, non quia est de essentia rei, sed quia exprimit partem essentiae rei et nihil extrinsecum rei. Unde differentia, de qua est nunc sermo, semper exprimit partem rei, et aliqua differentia exprimit partem materialem, aliqua exprimit partem formalem. Sicut ista differentia hominis 'rationale' exprimit animam intellectiuam, ad modum quo 'album' exprimit albedinem et 'animatum' animam. Haec autem differentia 'materiale' exprimit, consimiliter et proportionaliter materiam et eodem modo quo 'animatum' animam. Et ideo eodem modo est differentia. Et ideo falsum est de ui uocis quod multi moderni dicunt quod differentia accipitur tantum a forma et non a materia, quia differentia ita accipitur a materia sicut a forma.

Quamuis tamen aliqua differentia accipitur a materia et aliqua a forma, omnis tamen differentia quando ponitur in definitione assimilatur formae. Quia sicut forma aduenit materiae et praesupponit eam, ita omnis differentia in definitione aduenit generi, et primo ponendum est genus, secundo differentia, siue differentia ponenda accipiatur a forma siue a materia. Unde si corpus debeat definiri, sic debet definiri 'corpus est substantia materialis', ubi primo ponitur 'substantia' tamquam genus, secundo 'materialis' tamquam differentia, et tamen sumitur [a materia] et importat principaliter materiam.

Ex praedictis sequitur quod nulla species, quae est praecise communis simplicibus carentibus compositione ex materia et forma, habet differentiam essentialem, quia non habet partem, quamuis multas possit habere differentias accidentales. Ex isto sequitur ulterius quod nulla species, quae est praecise simplicium, est definibilis definitione proprie dicta siue sit in genere substantiae siue in quocumque alio praedicamento, quamuis definitione data per additamentum talis species definiri possit. Et ideo omnes auctoritates quae uolunt quod omne genus diuiditur per differentias et quod species habet differentiam constitutiuam et huiusmodi, dupliciter exponi possunt. Uno modo ut Ioquantur tantum de generibus et speciebus habentibus differentias tales, ut sensus istius 'omne genus diuiditur per differentias' sit iste 'omne genus habens differentias tales per eas diuiditur'. Aliter exponi possunt, ut omnes tales propositiones auctorum intelligantur accipiendo indifferenter differentiam pro differentia essentiali et accidentali, siue pro differentia stricte et largius dicta.

Ulterius sciendum est quod per tales propositiones 'differentia est qua abundat species a genere', 'differentia est constitutiua speciei', 'differentia diuidit genus in suas species', 'differentia est illud quo differunt singula', 'differentia est pars speciei', et per huiusmodi, non intelligunt auctores quod differentia sit aliquid reale in specie, sed praecise intendunt quod differentia est praedicabile proprium alicui, quod debet esse pars definitionis ipsius. Et ideo 'species differentia abundat a genere', hoc est differentia ponitur in definitione speciei et non in definitione generis. Similiter 'differentia est constitutiua speciei', hoc est differentia complet definitionem speciei.

Similiter 'differentia est illud quo differunt singula', hoc est differentia est propria per praedicationem uni et non alteri, et est medium concludendi unum negari ab alio. Similiter 'differentia est pars speciei', hoc est differentia exprimit partem illius quod significatur per speciem uel est pars definitionis quae significat idem quod species. Similiter, quando dicit Porphyrius quod differentiae sunt potestate in genere, non intendit nisi quod differentia non praedicatur de genere uiuersaliter sumpto sed tantum particulariter sumpto.

Est igitur differentia quaedam intentio animae, exprimens determinatam partem rei, praedicabilis in quale de eisdem de quibus species, cum qua conuertitur, praedicatur in quid. Quod autem differentia sit quaedam intentio animae, patet per hoc quod est quoddam uniuersale. Sed uniuersale, sicut ostensum est prius, non est nisi intentio animae nisi forte signum uoluntarie institutum uocetur uniuersale; sed de tali uniuersali, quod est ad placitum uniuersale, nunc non loquor, sed de illo quod ex natura sua habet quod sit uniuersale.

Quod sit exprimens partem rei patet, quia oportet quod significet aliquid a parte rei. Et non significat raecise totum, quia tunc nullo modo distingueretur a specie; igitur significat partem rei uel aliquid extrinsecum. Sed nullum extrinsecum significat, quia tunc esset proprium uel accidens; relinquitur igitur quod significat partem rei. Unde semper differentia exprimit partem rei, isto modo quo album exprimit albedinem. Et ideo semper differentia est unum concretum, uel deberet esse concretum, cui correspondere deberet unum abstractum, significans praecise partem rei, ad modum quo albedo correspondet albo; et semper illud abstractum deberet supponere pro parte et concretum pro toto composito ex alia parte et illa.

Quod autem differentia praedicatur in quale patet, quia per differentiam non respondetur ad quaestionem factam per quid de aliquo, sed per quale. Si enim quaeras, qualis est homo, conuenienter respondetur quod est rationalis uel materialis; praedicatur igitur in quale, et de eisdem praedicatur de quibus praedicatur species, quia conuertibilis est cum specie. Ex quo patet quod nullo modo concedendum est quod anima est differentia corporis, sed animatum; nec ratio est differentia hominis, sed rationale.

1.24. DE PROPRIO

Postquam tractatum est de differentia, sequitur uidere de proprio, quod quatuor modis accipitur.

Uno modo dicitur proprium illud quod conuenit uni speciei uel uni generi, non tamen oportet quod conuenit omnibus contentis sub illa specie uel sub illo genere. Sicut hoc commune 'grammaticum' dicitur proprium homini, quia conuenit soli homini, non tamen conuenit onuii honiini; non enim omnis homo est grammaticus. Similiter 'moueri motu progressiuo' dicitur proprium animali, quia non conuenit nisi animali; non tamen conuenit omni animali.

Secundo modo dicitur proprium illud quod conuenit omni indiuiduo alicuius speciei, non tamen soli, sicut si dicerem quod 'bipes' est proprium homini.

Tertio modo dicitur proprium quod conuenit alicui uniuersaliter sumpto, non tamen omni tempore, sed aliquo tempore conuenit cuilibet indiuiduo et aliquo tempore sibi non conuenit. Sicut si omnis homo in senectute canesceret, tunc 'canescere' esset proprium homini isto tertio modo.

Quarto modo dicitur proprium omne illud quod conuenit alicui communi uniuersaliter sumpto, et nulli alii nisi illi communi et contentis sub illo, ita quod est conuertibile cum illo, necessario praedicabile de eodem, saltem si esse exsistere praedicetur de illo. Et proprium sic acceptum est unum de quinque uniuersalibus, alia autem magis continentur sub accidente. Et sic 'risibile' est proprium homini; sic enim competit omni homini et soli et semper quod Deus non posset facere aliquem hominem exsistere quin ille esset risibilis, quia uere posset ridere, ita quod non includeret contradictionem ipsum ridere, et per consequens esset risibilis; hoc enim uoco risibile. Et ita 'risibile' est proprium homini, 'ridens' autem non est proprium homini, sed magis est accidens. Et ideo non sunt idem ista duo praedicabilia 'ridens' et 'risibile'; in tantum enim differunt quod unum illorum affirmatur de aliquo a quo negatur reliquum.

Ad istum autem quartum modum pertinent illae passiones quae non tantum conueniunt superioribus sed etiam inferioribus. Unde omne proprium est alicui proprium, non tamen est cuilibet proprium, et ideo passio generis praedicatur de specie, non tamen est propria speciei.

Est autem notandum quod proprium non est aliqua res inhaerens realiter illi cuius est proprium; tunc enim non esset uniuersale, nec competeret alicui communi uniuersaliter sumpto, nec praedicaretur de pluribus. Non solum autem tenendum est quod proprium non semper est inhaerens subiecto cuius dicitur proprium, immo etiam tenendum est quod proprium non semper importat rem absolutam inhaerentem illi quod importatur per subiectum, sed aliquando importat rem distinctam ab illa re importata per subiectum et extrinsecum sibi. Et hoc aliquando affirmatiue, aliquando negatiue. Affirmatiue, sicut 'calefactiuum', 'creatiuum' et huiusmodi. Unde 'calefactiuum' non importat rem inhaerentem illi quod est calefactiuum, sed importat rem quae produci potest ab eo; et hoc loquendo de primo subiecto ipsius. Similiter 'creatiuum' non importat rem inhaerentem Deo, sed importat rem natam produci a Deo. Negatiuae passiones sunt sicut 'immortale', 'incorruptibile', 'immateriale' et huiusmodi. Aliquando tamen propria important res inhaerentes uel natas esse inhaerentes illi quod importatur per subiectum, sicut huiusmodi passiones 'dealbabile', 'alterabile', 'calefactibile', 'beatificabile' et huiusmodi.

Secundo est notandum quod quaelibet propositio affirmatiua simpliciter, non aequiualens negatiuae, in qua praedicatur proprium, est aequiualens uni de possibili. Et hoc quia si non aequiualeret propositioni de possibili, illa posset per diuinam

potentiam esse falsa simul cum ueritate propositionis in qua esse exsistere enuntiatur de subiecto. Unde quaelibet talis est contingens 'substantia est quanta', 'omnis ignis est calidus', 'homo ridet', et sic de allis. Sed tales propositiones 'omnis homo est susceptibilis disciplinae', omne corpus est mobile', omnis homo est risibilis necessariae sunt, sic quod non possunt esse falsae cum ueritate propositionis in qua enuntiatur esse de subiecto, et aequiualent propositionibus de possibili. Sicut ista 'Omnis homo est risibilis aequiualet isti 'omnis homo potest ridere'; et hoc forte accipiendo subiectum in illa de possibili pro eo quod est, per quod una cauillatio puerilis excludi posset.

Ratio autem quare aliae propositiones sunt contingentes, ita quod possunt esse falsae simul cum ueritate propositionis in qua enuntiatur esse de subiecto, est quia Deus potest omnem rem creatam facere sine alia, saltem priorem sine posteriore.

Breuiter igitur, quasi recapitulando, dicendum est quod proprium, secundum quod hic loquimur de proprio quod est distinctum uniuersale ab aliis uniuersalibus, est quaedam intentio praedicabilis de aliquo adaequate et coiiuertibiliter in quale, connotans affirmatiue uel negatiue aliquid extrinsecum illi quod importatur per subiectum. Non tamen oportet quod semper illud extrinsecum sit aliqua res extra animam, exsistens realiter in rerum natura, sed forte aliquando sufficit quod sit aliquid possibile in rerum natura, uel forte aliqua propositio exsistens uel potens in mente exsistere. Et consimiliter debet dici, proportionaliter, de passione quae praedicatur per se secundo modo de subiecto, quia non est res inhaerens rei extra animam, — tunc enim non esset praedicabilis de aliquo, nec esset uniuersale, nec posset esse praedicatum conclusionis demonstrationis, nec principii demonstrationis, quae tamen omnia competunt passioni —, sed est intentio animae.

1.25. DE ACCIDENTE

Accidens ponitur esse quintum contentum sub uniuersali. Et definiunt philosophi sic accidens: "Accidens est quod adest et abest praeter subiecti corruptionem".

Ad cuius definitionis euidentiam sciendum est quod accidens quadrupliciter accipi potest. Uno modo dicitur accidens aliqua res realiter inhaerens substantiae, ad modum quo calor est realiter in igne et albedo in pariete. Et sic accipiendo 'accidens' uerificatur praedicta definitio, quia nullum accidens est in aliquo subiecto quin saltem per diuinam potentiam possit ab illo subiecto auferri sine corruptione subiecti. Sed sic accipiendo 'accidens' pro aliquo extra animam, non ponitur quintum uniuersale, nam accidens quod est unum quinque uniuersalium est praedicabile de pluribus quale non est accidens extra animam, nisi forte uox uel aliquod signum uoluntarie institutum.

Aliter dicitur accidens omne illud quod contingenter potest praedicari de aliquo, ita quod stante ueritate propositionis in qua enuntiatur esse de subiecto p otest illud praedicari et non praedicari de illo. Et tam generaliter accipiendo accidens non est inconueniens attribuere aliquod accidens Deo, immo tale accidens attribuit

Anselmus Deo, sicut patet Monologion, cap. 24. Verumtamen Deus non suscipit tale accidens realiter in se, sicut declarat ibidem, quia accidens sic dictum non est nisi quoddam praedicabile quod potest contingenter praedicari de aliquo. Et tunc in definitione accidentis non accipitur 'adesse et abesse' pro aduenire et recedere realiter, sed pro aduenire et recedere per praedicationem, hoc est quod aliquando praedicatur et aliquando non praedicatur.

Tertio modo dicitur accidens aliquod praedicabile quod contingenter praedicatur de aliquo et potest successiue affirmari et negari de eodem, tam per mutationem propriam illius quod importatur per subiectum quam alienam. Et sic, secundum Anselmum, relationes multae sunt accidentia, quia possunt aduenire et recedere, hoc est praedicari et negari per mutationem illius quod importatur per subiectum et per mutationem alterius.

Quarto dicitur accidens aliquod praedicabile quod non importat aliquam rem absolutam inhaerentem substantiae, sed potest contingenter praedicari de aliquo, sed nonnisi per mutationem illius quod importatur per subiectum. Et sic dicerent tenentes quod quantitas non est aliqua res distincta a substantia et qualitate quod quantitas est accidens, quia non potest successiue affirmari et negari de subiecto nisi per mutationem, saltem localem, illius quod importatur per subiectum. Unde dicerent quod aliquid est maior quantitas nunc quam prius, per hoc solum quod partes illius magis distant nunc quam prius, quod per solum motum localem partium contingere potest secundum eos.

Verumtamen sciendum quod quamuis secundum ueritatem nullum est accidens quin possit per diuinam potentiam auferri a substantia, ipsa manente, tamen Philosophus hoc negaret. Unde diceret quod multa sunt accidentia in corporibus caelestibus quae ab eis auferri non possunt.

Accidens autem diuiditur in accidens separabile et accidens inseparabile. Accidens separabile est quod per naturam auferri potest sine corruptione subiecti; accidens autem inseparabile est illud quod per naturam auferri non potest sine corruptione subiecti, quamuis per diuinam potentiam possit auferri.

Differt autem accidens inseparabile a proprio, quia quamuis accidens inseparabile non possit auferri naturaliter a subiecto illo cuius dicitur accidens inseparabile, tamen consimile accidens auferri potest ab alio subiecto sine illius corruptione. Sicut quamuis nigredo corui non possit naturaliter auferri a coruo sine corruptione corui, tamen nigredo potest naturaliter auferri a Sorte, sine corruptione Sortis. Proprium autem de nullo potest auferri sine corruptione rei, ita quod non plus est separabile ab uno quam ab alio sine corruptione rei.

Recapitulando igitur aliqua quae dicta sunt de uniuersalibus, dicendum est quod quodlibet uniuersale est quaedam intentio animae significans plura, pro quibus significatis potest supponere. Et ideo una intentio distincta ab alia praedicatur de ea, non quidem pro se sed pro re quam significat. Et ideo per tales propositiones ubi

una intentio praedicatur de alia non denotatur quod una intentio sit alia, sed denotatur frequenter quod illud quod importatur per unam intentionem est illud quod importatur per aliam.

Huiusmodi autem uniuersalia non sunt res extra animam. Propter quod non sunt de essentia rerum nec partes rerum extra, sed sunt quaedam entia in anima, distincta inter se et a rebus extra, quarum aliqua sunt signa rerum extra, aliqua sunt signa illorum signorum. Sicut hoc nomen 'uniuersale' est commune ad omnia uniuersalia, et per consequens est signum omnium aliorum uniuersalium a se. Et ideo potest concedi quod illud uniuersale quod est praedicabile de quinque uniuersalibus, non tamen pro se sed pro uniuersalibus, est genus ad uniuersalia; sicut aliqua dictio praedicabilis de omnibus dictionibus est nomen, et non uerbum, nec participium, nec coniunctio etc.

Et haec de uniuersalibus sufficiant. Qui autem pleniorem notitiam uoluerit habere de uniuersalibus et proprietatibus eorum, poterit legere librum Porphyrii, ubi istam materiam multo diffusius pertractaui. Ideo illa quae sunt hic dimissa, ibi poterunt inueniri.

1.26. DE DEFINTIONE: QUOT MODIS DICITUR DEFINITIO?

Quoniam logici non solum utuntur praedictis uocabulis secundae intentionis, sed etiam multi termini alii secundae intentionis et etiam secundae impositionis frequenter in usum ueniunt, ne studentes per ignorantiam significationis eorum in inquisitione ueritatis retardentur, uolo nunc compendiose de aliquibus eorum ad instructionem simplicium pertractare.

Terminorum autem quibus utuntur logici quidam sunt communes omnibus uniuersalibus, quidam sunt proprii aliquibus eorum, quidam competunt aliquibus eorum simul acceptis, quidam competunt uni respectu alterius. Termini qui competunt pluribus simul acceptis sunt ut definitio et descriptio.

Definitio autem dupliciter accipitur. Quaedam est definitio exprimens quid rei et quaedam est definitio exprtmens quid nominis. Definitio exprimens quid rei dupliciter accipitur, scilicet large, et sic comprehendit definitionem stricte sumptam et etiam descriptiuam definitionem. Aliter accipitur hoc nomen 'definitio' stricte, et sic est sermo compendiosus, exprimens totam naturam rei, nec aliquid extrinsecum rei definitae declarans.

Hoc autem dupliciter fieri potest. Nam quandoque in tali sermone ponuntur casus obliqui exprimentes partes rei essentiales, sicut si definiam hominem sic dicendo 'homo est substantia composita ex corpore et anima intellectiua'; isti enim obliqui 'corpore et anima intellectiua' partes rei exprimunt. Et ista potest uocari definitio naturalis.

Alia est definitio in qua nullus ponitur casus obliquus, sed ponitur genus in recto et similiter in recto ponitur differentia, uel ponuntur differentiae exprimentes partes rei definitae, ad modum quo 'album' exprimit albedinem. Et ideo sicut 'album' quamuis exprimat albedinem non tamen supponit pro albedine sed tantum pro subiecto albedinis, ita differentiae illae quamuis exprimant partes rei non tamen supponunt pro partibus rei sed praecise pro toto composito ex partibus illis. Talis est ista definitio hominis 'anirmal rationale' uel ista 'substantia animata sensibilis rationalis'. Nam istae differentiae 'animata', 'sensibilis', 'rationalis' supponunt pro homine, quia homo est rationalis, animatus et sensibilis, tamen important partem hominis, sicut abstracta correspondentia eis important partem uel partes hominis, quamuis non eodem modo. Et ista potest uocari definitio metaphysicalis, quia sic metaphysicus definiret hominem.

Sed praeter istas duas definitiones nulla potest esse alia nisi forte illa cuius quaelibet pars est in plus et totum aequale. Et ideo truffaticum est illud quod dicunt aliqui quod hominis quaedam est definitio logicalis, quaedam naturalis, quaedam metaphysicalis; quia logicus cum non tractet de homine, eo quod non tractat de rebus quae non sunt signa, non habet hominem definire, sed habet docere quomodo aliae scientiae tractantes de homine ipsum definire debent. Et ideo logicus nullam definitionem hominis assignare debet, nisi forte gratia exempli, et tunc illa definitio quae gratia exempli ponitur debet esse naturalis uel metaphysicalis.

Et sicut uanum est dicere quod quaedam est definitio naturalis, quaedam metaphysicalis, quaedam logicalis, ita uanum est dicere quod quidam homo est naturalis, quidam metaphysicalis, quidam logicalis.

Et similiter, quamuis posset dici quod quaedam definitio hominis est naturalis, quaedam metaphysicalis propter diuersitatem partium istarum orationum, tamen totaliter irrationale et falsum est ponere quod quidam homo est naturalis, quidam metaphysicalis. Nam si sit quidam homo naturalis, quidam metaphysicalis, aut intelligitur quod est aliqua res extra animam et uera substantia quae est homo naturalis, et alia uera substantia quae est homo metaphysicalis, aut intelligitur quod aliquis conceptus mentis uel uox est homo naturalis et alius metaphysicalis. Primum dari non potest, quia quaero. quomodo illi homines qui sunt substantiae distinguuntur? Aut unus est pars alterius, aut sunt quaedam tota secundum se tota distincta, aut aliquid est pars utriusque, quamuis non omne quod est pars unius sit pars alterius. Primum et secundum dari non possunt, sicut euidenter patet. Nec tertium dici potest, quia cum homo naturalis non componatur nisi ex materia et forma, oporteret quod uel materia uel forma non esset pars alterius illorum hominum, et tunc alter illorum, scilicet homo metaphysicalis uel naturalis esset materia tantum uel forina tantum, quod est absurdum.

Nec ualet dicere quod aliter considerat metaphysicus hominem et aliter naturalis, et propter hoc homo consideratus a metaphysico distinguitur ab homine considerato a naturali. Quia quamuis ita esset, ex hoc non sequeretur quod unus homo esset metaphysicalis et alius naturalis, sed sequeretur quod tantum esset

diuersa consideratio eiusdem hominis. Sicut si Sortes uideat Platonem clare et Socrates obscure, quamuis uisio unius et alterius sit diuersa, tamen Plato uisus non est alius, ita quamuis consideratio naturalis de homine et metaphysicalis sit alia, tamen homo consideratus non est alius. Sic igitur non est alia res quae sit homo naturalis et alia quae sit homo metaphysicalis.

Nec potest dici quod sit alius conceptus uel uox, quia iste conceptus uel erit definitio uel pars definitionis uel aliquod praedicabile de homine, et patet quod quidquid dicatur, nihil est ad propositum.

Ex quibus omnibus constat quod definitiones possunt esse distinctae, quamuis definitum sit idem. Verumtamen licet definitiones sint distinctae, tamen illae definitiones idem significant, et quidquid significatur per unam uel per partem unius significatur per aliam uel per partem alterius, quamuis partes differunt in modo significandi, quia aliqua pars unius est alterius casus a parte alterius.

Est autem sciendum quod quamuis de quocumque praedicatur definitito significatiue sumpta de eodem praedicatur definitum significatiue sumptum et e conuerso, et quamuis aliqua propositio composita ex definitione et definito hypothetica et etiam de possibili uel aequiualens tali sit necessaria, sicut ista est necessaria 'si homo est, animal rationale est' et e conuerso, et similiter ista 'omnis homo potest esse animal rationale' — sumendo subiectum pro eo quod potest esse — et e conuerso, tamen nulla propositio talis affirmatiua mere de inesse et mere de praesenti est necessaria. Unde ista est simpliciter contingens 'homo est animal rationale' sicut ista 'homo est substantia composita ex corpore et anima intellectiua', et hoc quia si nullus homo esset, quaelibet talis esset falsa. Verumtamen Aristoteles qui ponit quod tales sunt necessariae 'homo est animal', 'asinus est animal', poneret quod tales sunt necessariae.

Ex praedictis colligi potest quod definitio non est eadem cum definito, quia, secundum omnes, definitio est sermo uel mentalis uel uocalis uel scriptus, et per consequens non est eadem realiter cum re nec cum una dictione. Verumtamen definitio significat idem quod definitum. Et sic intelligunt recte loquentes quando dicunt quod definitio et definitum sunt idem realiter, hoc est significant idem.

Sciendum est autem quod definitio sic stricte Sumpta non est nisi solius substantiae tamquam rei expressae per definitionem, et ideo accipiendo definitum pro nomine conuertibili cum definitione, talis deftnitio non est nisi nominum, non uerborum nec aliarum partium orationis.

Definitio autem exprimens quid nominis est oratio explicite declarans quid per unam dictionem importatur, sicut aliquis uolens docere alium quid significat hoc nomen 'album' dicit quod significat idem quod haec oratio 'aliquid habens albedinem'. Et ista definitio potest esse nominum, non solum illorum de quibus potest uere affirmari esse in rerum natura sed etiam illorum de quibus talis praedicatio est impossibilis. Et sic 'uacuum', 'non ens', 'impossibile', 'infinitum',

'hircoceruus' habent definitiones, hoc est istis nominibus correspondent aliquae orationes significantes idem quod istae dictiones.

Ex quo sequitur quod sic accipiendo definitionem aliquando praedicatio definitionis de definito per hoc uerbum 'est', utroque significatiue sumpto, est impossibilis, sicut haec est impossibilis 'chimaera est animal compositum ex capra et boue'; sit haec eius definitio. Et hoc propter implicationem impossibilem, qua scilicet implicatur aliquid compom ex capra et boue. Tamen ista propositio in qua illi termini matertaliter supponunt "chimaera' et 'animal compositum ex capra et boue' idem significant' uera est. Et per illam primam communiter loquentes intelligunt istam secundam, quae tamen secundum proprietatem sermonis alia est. Unde sicut, secundum Priscianum, frequenter una dictio ponitur pro alia, sicut exemplificat in I Constructionum, ita frequenter una oratio pro alia ponitur. Verumtamen condicionalis ex tali definito et definitione composita uera est. Ista enim uera est 'si aliquid est chimaera, ipsum est compositum ex homine et leone' et e conuerso.

Non solum autem nomina possunt definiri definitione tali, sed etiam omnes partes orationis sic possunt definiri, scilicet uerba, coniunctiones etc. Sic definiuntur talia aduerbia 'ubi' 'quando', 'quot', coniunctiones et huiusmodi. Et tunc non debet definitio praedicari de definito mediante hoc uerbo 'est', utroque significatiue sumpto, sed hoc totum 'idem significare' uel aliquid tale debet de illis, materialiter sumpis, uerificari; uel alia oratio debet de illo uerificari, ipso materialiter sumpto, sic dicendo 'ubi: est aduerbium interrogatiuum loci', 'quando: est aduerbium interrogatiuum temporis', et sic de aliis.

1.27. DE HOC NOMINE 'DESCRIPTIO'

Descriptio est sermo compendiosus ex accidentibus et propriis compositus. Unde dicit Damascenus in Logica sua, cap.14: "Descriptio ex accidentibus componitur, id est propriis et accidentibus. Verbi gratia 'homo est risibile, erecte ambulatiuum, latas habens ungues'. Haec enim omnia accidentalia sunt. Propter quod et descriptio dicitur ut obumbrans et non substantialem exsistentiam subiecti manifestans sed consequentia".

Ex uerbis huius auctoritatis euidenter datur intelligi quod in descriptione nihil debet poni quod praedicatur in quid uel per se primo modo de descripto; et in hoc differt descriptio a definitione.

Secundo, ex praedicta auctoritate sequitur quod accidens non solum accipitur pro aliqua re inhaerente alteri sed pro praedicabili de aliquo contingenter, sicut dictum est prius, quia cum secundum praedictum Doctorem descriptio componatur ex accidentibus subiecti, et descriptio non componatur nisi ex praedicabilibus de subiecto, oportet quod uocet ipsa praedicabilia de descripto accidentia, quae non possunt esse nisi conceptus uel uoces uel scripta.

Sequitur, tertio, ex praedictis quod non semper descriptio et descriptum sunt conuertibilia, quia cum accidentia contingenter praedicentur de aliquo, potest descriptum praedicari de aliquo quamuis descriptio non praedicetur de eo. Tamen hoc non contingit nisi propter imperfectionem illius de quo praedicatur descriptum. Unde potest homo sic describi 'homo est bipes, duas habens manus', addendo sibi aliqua alia quae non possunt competere nisi homini; quo facto illa descriptio potest negari ab aliquo carente manibus, de quo tamen praedicatur descriptum. Sed hoc est propter hoc quod illud indiuiduum non est perfectum.

Verumtamen potest dici quod descriptio dupliciter accipi potest, scilicet large, et sic loquitur iste Doctor de descriptione, uel potest accipi stricte, et sic non componitur ex accidentibus sed ex propriis; et sic semper conuertuntur descriptio et descriptum

1.28. DE DESCRIPTIVA DEFINITIONE

Descriptiua autem definitio est mixta ex substantialibus et accidentalibus. Verbi gratia 'homo est animal rationale, erecte ambulatiuum, latas habens ungues', secundum Damascenum, ubi prius. Ex quo patet quod aliquis sermo praecise componitur ex praedicabilibus per se primo modo, et ille est definitto; aliquis ex illis quae non praedicantur per se primo modo, et ille aliquando est descriptio; aliquis componitur ex utrisque, et ille est descriptiua definitio. Quia tamen omnis definitio et omnis descriptio et omnis descriptiua definitio est sermo, ideo nulla talis est eadem realiter cum definito uel descripto, quamuis significent idem.

1.29. DE ISTIS TERMINIS 'DEFINITUM' ET 'DESCRIPTUM'

Quia ostensum est quid est definitio et quid descriptio, ideo uidendum est quid est definitum et quid descriptum. Sciendum est autem quod 'definitum' dupliciter accipitur. Uno modo pro illo cuius partes uel essentia per definitionem exprimuntur, et sic definitio est ipsarum substantiarum singularium, sicut ista definitio 'animal rationale' est definitio omnium hominum, quia essentia omnium hominum per istam definitionem importatur. Unde per istam definitionem nullius rei essentia importatur nisi hominis particularis, quia nulla res est quae sit animal rationale nisi iste homo uel ille, et sic de singulis. Et isto modo accipiendo definitum, concedendum est quod substantia particularis defniitur.

Aliter accipitur 'definitum' pro aliquo conuertibili cum definitione, de quo definitio adaequate praedicatur. Et sic definitum est una dictio conuertibilis cum definitione, stgnificans illud idem praecise quod significat definitio. Et isto modo non definiuntur singularia sed praecise species, quia sola species est conuertibilis cum definitione et nullum singulare.

Et per istam distinctionem de definito possunt glossari multae auctoritates Aristotelis et Commentatoris, quarum aliquae dicunt quod definitiones sunt singularium et aliquae nonnisi specierum.

Et sicut dictum est de definito, ita debet distingui de descripto: quod potest accipi uel pro dictione de qua primo, non pro se sed pro re, dicitur descriptio; uel potest accipi pro re importata per illud nomen et per illam descriptionem.

1.30. DE ISTO TERMINO 'SUBIECTUM'

Dicto de terminis qui non competunt alicui uni uniuersali, cuiusmodi sunt 'definitio' et 'descriptio' et huiusmodi, quia nullum unum uniuersale est definitio uel descriptio sed quaelibet definitio et descriptio ex pluribus uniuersalibus est composita, dicendum est nunc de terminis consequentibus quodlibet uniuersale, cuiusmodi termini sunt 'subiectum' et 'praedicatum' et huiusmodi.

Et de subiecto quidem est primo sciendum quod, sicut dicit Damascenus in Logica sua, cap. 8: "subiectum dicitur dupliciter: hoc quidem ad exsistentiam, hoc autem ad praedicationem. Et ad exsistentiam quidem, quemadinodum subicitur substantia accidentibus. In ipsa enim habent esse et extra ipsam non substant. Quod autem ad praedicationem, subiectum est particulare". Ex quo colligi potest quod aliquid dicitur subiectum, quia realiter substat alteri rei inhaerenti sibi et sibi aduenienti realiter. Et sic subiectum accipitur dupliciter, stricte scilicet, et sic dicitur subiectum respectu accidentium realiter inhaerentium sibi, sine quibus potest subsistere. Large autem dicitur subiectum omnis res quae alteri substat, siue illa res cui substat sit accidens inhaerens realiter siue sit forma substantialis informans rem cui adhaeret, et sic materia dicitur subiectum respectu formarum substantialium.

Aliter autem dicitur subiectum, quia est pars propositionis praececedens copulam, de quo aliquid praedicatur, sicut in ista propositione 'homo est animal', 'homo' est subiectum, quia de homine praedicatur animal. Et subiectum sic acceptum potest multipliciter accipi. Uno modo dicitur subiectum large omne illud quod potest in quacumque propositione uera uel falsa subici. Et sic quodlibet uniuersale respectu alterius potest esse subiectum, sicut patet in talibus propositionibus 'omne aninial est asinus', 'omnis albedo est coruus', et sic de aliis.

Aliter accipitur subiectum stricte, et sic dicitur subiectum illud quod subicitur in propositione uera ubi est directa praedicatio; et sic est homo subiectum respectu animalis, sed non e conuerso.

Tertio dicitur subiectum magis stricte, scilicet illud quod est subiectum in conclusione demonstrata, quae scitur uel nata est sciri scientia proprie dicta. Et sic accipiendo subiectum, quot sunt conclusiones habentes distincta subiecta, tot sunt subiecta in ista scientia aggregata; et sic in logica sunt multa subiecta, et similiter in metaphysica et in naturali philosophia.

Aliter accipitur subiectum strictissime pro aliquo primo aliqua primitate inter talia subiecta. Et sic aliquando subiectum comunissimum inter talia subiecta uocatur subiectum, et aliquando illud quod est perfectius, et sic de aliis primitatibus. Hoc

tanten est commune omnibus quod quodlibet istorum est subiectum per praedicationem.

1.31. DE ISTO TERMINO 'PRAEDICATUM'

Sicut subiectum dicitur illa pars propositionis quae praecedit copulam, ita illa pars propositionis quae sequitur copulam dicitur praedicatum.

Volunt tamen aliqui quod praedicatum est copula cum illo quod sequitur copulam. sed quia ista controuersia dependet ex significato uocabuli, quod ad placitum est utentium, ideo de hoc nunc pertranseo.

Et qualitercumque dicatur praedicatum, multipliciter accipitur. Uno modo omne illud quod est alterum extremum propositionis et non est subiectum; et sic quilibet terminus potest esse praedicatum qui praedicari potest in propositione uera uel falsa. Aliter accipitur praedicatum quod praedicatur in propositione uera in qua est directa praedicatio. Et sic 'animal' est praedicatum respectu 'hominis' sed non respectu 'lapidis'. Tertio dicitur praedicatum illud quod praedicatur de aliquo subiecto praedicatione directa, de quo subiecto potest esse scientia proprie dicta. Et sic accipit Philosophus praedicatum I Topicorum', ubi distinguit quatuor praedicata, scilicet genus, definitionem, proprium et accidens, et sub genere comprehendit differentiam. Ubi non enumeratur species, quia quamuis species praedicetur de indiuiduis, quia tamen indiuidua non possunt esse subiecta in propositionibus scitis scientia proprie dicta, ideo inter illa praedicata species non enumeratur.

Copula autem uocatur uerbum copulans praedicatum cum subiecto.

1.32. QUOMODO PRAEDICATUM DICITUR INESSE SUBIECTO?

Sicut autem praedicatum praedicatur de subiecto, ita dicimus praedicatum esse in subiecto, et praedicatum conuenire subiecto, et praedicatum inesse subiecto, et praedicatum inhaerere subiecto. Quae non sunt intelligenda ac si praedicatum poneretur realiter inhaerere subiecto, illo modo quo albedo inest parieti, sed omnia talia significant idem quod 'praedicari', nec aliter accipienda sunt nisi pro 'praedicari'. Et isto modo omnia accidentia, quae sunt nouem praedicamenta, possunt dici esse in substantia sicut in subiecto, non quidem per realem inhaerentiam, secundum opinionem multorum, sed per praedicationem ueram. Sic enim quantitas est accidens, secundum opinionem aliquorum, et est in substantia, non quia semper inhaeret realiter ipsi substantiae, sed quia contingenter praedicatur de substantia, ita quod substantia permanente est haec uera, secundum aliquos, 'substantia est quantitas' et eadem permanente poterit esse falsa.

Consimiliter talia uocabula 'aduenire', 'recedere', 'accedere', 'adesse', 'abesse' frequenter pro 'praedicari' accipiuntur. Sic enim dicit uenerabilis Anselmus, Monologion, cap. 25: "Omnium quippe quae accidentia dicuntur, quaedam nonnisi cum aliqua participantis uariatione adesse uel abesse posse intelliguntur, ut omnes

colores; alia nullam omnino accedendo uel recedendo mutationem circa illud de quo dicuntur efficere noscuntur, ut quaedam relationes". Ubi Anselmus accipit 'adesse' et 'abesse', 'accedere' et 'recedere' pro 'praedicari'. Sic etiam 'participare' apud logicos accipitur pro 'subici'.

1.33. DE ISTO TERMINO 'SIGNIFICARE'

'Significare' multipliciter accipitur apud logicos. Nam uno modo dicitur Signum aliquid signiflcare quando supponit uel natum est supponere pro illo, ita scilicet quod de pronomine demonstrante illud per hoc uerbum 'est' illud nomen praedicatur. Et sic 'album' significat Sortem; haec enim est uera 'iste est albus', demonstrando Sortem. Sic 'rationale' significat hominem; haec enim est uera 'iste est rationalis', demonstrando honminem. Et sic de multis aliis concretis.

Aliter accipitur 'significare' quando illud signum in aliqua propositione de praeterito uel de futuro uel de praesenti uel in aliqua propositione uera de modo potest pro illo supponere. Et sic 'album' non tantum significat illud quod nunc est album, sed etiam illud quod potest esse album; nam in ista propositione album potest currere, accipiendo subiectum pro eo quod potest esse, subtectum supponit pro his quae possunt esse alba. Accipiendo significate primo modo et significatum sibi correspondens, per solam mutationem rei frequenter uox et etiam conceptus cadit a suo significato, hoc est, aliquid cessat significari quod prius significabatur. Secundo modo accipiendo 'significare' et 'significatum' sibi correspondens, uox uel conceptus per solam mutationem rei extra non cadit a suo significato.

Aliter accipitur 'significare' quando illud dicitur significari a quo ipsa uox imponitur uel illud quod primo modo significatur per conceptum principalem uel uocem principalem. Et sic dicimus quod 'album' significat albedinem, quia 'albedo' significat albedinem, pro qua tamen albedine non supponit hoc signum 'album'. Sic 'rationale', si sit differentia, significat animam intellectiuam.

Aliter accipitur 'significare' communissime quando aliquod signum quod est natum esse pars propositionis uel natum est esse propositio uel oratio aliquid importat, siue principaliter siue secundario, siue in recto siue in obliquo, siue det intelligere siue connotet illud, uel quocumque alio modo significet, siue significet illud affimatiue siue negatiue, quo modo hoc nomen 'caecus' significat uisum, quia negatiue, et hoc nomen 'immateriale' significat negatiue materiam, et hoc nomen 'nihil' siue 'non—aliquid' significat aliquid, sed tamen negatiue; de quo modo significandi Ioquitur Anselmus, De casu diaboli.

Significare igitur secundum aliquam sui significationem competit cuilibet uniuersali. 'niuersale enim', secundum Damascenum in Logica sua, cap.48, 'est quod multa significat, ut 'homo', 'animal'" Omne enim uniuersale uel significat plura primo modo uel secundo, quia omne uniuersale praedicatur de pluribus, uel in propositione de inesse et de praesenti, uel in propositione de praeterito uel de futuro, uel de modo. Ex quo patet quod errant illi qui dicunt quod haec uox 'homo'

non significat omnes homines. Cum enim hoc uniuersale 'homo', secundum praefatum Doctorem, significet plura, et non significet plures res quae non sunt homines, oportet quod significet plures homines. Quod concedendum est, quia nihil significatur per hominem nisi homo, et non plus unus homo quam alius.

Uniuersale igitur omne significat plura. Sed uniuersale quod est genus uel species, quod praedicatur de pronomine demonstrante aliquam rem, non significat plura nisi primo modo uel secundo accipiendo 'significare'. Reliqua autem uniuersalia significant aliqua primo modo uel secundo, et aliqua etiam tertio modo uel quarto, quia omne aliud uniuersale significat aliquid in recto et aliquid in obliquo, sicut patet de 'rationali', 'risibili', 'albo' et sic de consimilibus.

1.34. DE ISTO TERMINO 'DIVIDI'

Non solum autem uniuersale significat plura, sed etiam in plura diuiditur.

Sed 'diuidi' multipliciter accipitur. Aliquid enim diuidi dicitur quando alicuius totius per realem sectionem una pars ab alia separatur, sicut carpentarius diuidit lignum et latomus lapidem et faber ferrum. Aliter accipitur 'diuidi' quando sub aliquo uno, cuius una pars non separatur ab alia, plura sumuntur, sicut si diuidam hanc uocem 'canis' in sua significata, sic dicendo 'canis alius latrabile animal, alius caeleste sidus' etc., non separo utiam partem istius uocis ab alia, sed plura ad quae est ista uox communis sub illo communi accipio. Et sic loquuntur logici de diuisione."Sunt autem", secundum Damascenum, in Logica sua, cap. 12, "octo modi diuisiui: uel ut genus in species, ut animal diuiditur in rationale et irrationale. Vel ut species in indiuidua, ut 'homo' diuiditur in Petrum et Paulum et reliquos secundum partem hominis. Vel ut totum in partes, et hoc dupliciter: uel in similes partes uel in dissimiles partes. Similes quidem partes illae sunt quando partes suscipiunt nomen et definitionem totius et ad inuicem, ut cum diuidimus carnem in multas carnes et unaquaeque pars carnis caro dicitur et definitionem carnis suscipit. Dissimiles partes sunt cum partes neque nomen neque definitionem, neque totius neque ad inuicem, suscipiunt, ut quando diuidimus Socratem in caput et manus et pedes. Neque enim caput neque manus neque pedes suscipiunt nomen uel definitionem Socratis, neque ad inuicem. Vel ut aequiuoca uox in diuersa significata; et hoc dupliciter: uel ut totum uel ut pars". Et exemplificat ibidem: "Vel ut substantia in accidentia, ut cuni dico 'hominum hi quidem sunt albi hi autem nigri. Vel ut accidens in substantias, ut cum dico 'alborum haec quidem animata haec autem inanimata'. Vel ut accidens in accidentia, ut cum dico 'frigidorum haec quidem sicca haec autem humida'. Vel ut ab uno et ad unum: ab uno quidem ut a medicinali medicinalis liber, medicinale instrumentum; ad unum autem ut sanatiuum [pharmacum] sanatiuus cibus ad sanitatem".

Est autem aduertendum quod quamuis in praedictis modis diuidendi accipiatur unum, sub quo sine reali diuisione et reali separatione unius partis ab alia accipiuntur plura, tamen in aliquibus modis illud quod diuiditur importat aliquid quod potest realiter diuidi in illa quae importantur per diuidentia, scilicet in tertio et

quarto modo. In aliis autem modis non sic: non enim quando dicitur 'hominum alii albi, alii nigri' aliquod totum diuiditur in suas partes reales ubi illae partes separantur realiter inter se.

Est autem aduertendum quod quando diuiditur substantia in accidentia uel accidens in substantias uel accidens in accidentia, accipitur ibi hoc nomen 'accidens' pro praedicabili contingenter de aliquo, ipso quod importatur per subiectum permanente in rerum natura. Et ita patet quod frequenter in auctoritatibus accipitur accidens non pro aliqua re accidentali realiter inhaerente substantiae, sed pro contingenter praedicabili de substantia. Si enim praedictus auctor accepisset 'accidens' pro re realiter alteri inhaerente, debuit dixisse quod 'homo diuiditur in albedinem et nigredinem', non 'in homines albos et nigros', et similiter debuit dixisse de aliis.

1.35. DE ISTO TERMINO 'TOTUM'

'Totum' multipliciter accipitur. Uno modo dicitur aliquid complectens plures partes, sine quibus in rerum natura esse non potest. Sicut impossibile est quod homo sit sine anima rationali exsistente et corpore; et similiter impossibile est quod aer sit nisi tam materia quam forma sit; similiter impossibile est quod hoc lignum sit nisi haec pars sit. Et tunc semper pars est de essentia totius et non e conuerso. Aliter accipitur 'totum' pro aliquo communi ad multa. Et sic genus dicitur totum respectu specierum; et species dicitur totum respectu indiuiduorum. Et tunc 'totum' idem est quod 'commune'. Et sic logici communiter utuntur 'toto'.

Et quot modis dicitur 'totum', tot modis, proportionaliter, dicitur 'pars'. Unde quaedam pars est de essentia totius, quaedam pars non propter aliud dicitur pars nisi quia est minus communis quam illud cuius dicitur pars. Et ista uocatur 'pars subiectiua', quae non plus est de essentia totius quam e conuerso; et sicut illa pars potest esse sine toto, ita totum potest esse sine parte illa.

Et quamuis aliis modis posset accipi 'totum' et 'pars', tamen isti modi ad praesens sufficiant.

1.36. DE ISTO TERMINO 'OPPOSITA'

Post praedicta dicendum est de oppositis . Et est sciendum quod hoc nomen 'opposita' significat tam res extra animam et in anima, quam signa rerum. Sed omnes res extra animam, quae non sunt signa, si sint oppositae, non opponuntur nisi contrarie; uel secundum unam opinionem aliquae opponuntur relatiue. Hoc patet: nam omnes res quae sunt oppositae uel sunt res absolutae, et tunc non potest inter eas esse oppositio nisi contraria tantum, sicut inductiue patet; uel sunt relatiuae, et tunc non possunt esse oppositae nisi uel contrarie uel relatiue; uel una est absoluta et alia relatiua, et si ita sit, non opponuntur. Unde quando aliquae res sic se habent quod possunt sibi succedere in eodem subiecto, si non possunt esse simul in eo, si

sint formae absolutae sunt contrariae. Tamen, sicut dicetur inferius, in tali contrarietate sunt gradus.

Sed si loquamur de oppositione quae est inter signa rerum, cuiusmodi sunt conceptus, uoces et scripturae, sic hoc nomen 'opposita' secundum Peripateticos tam de complexis quam de incomplexis praedicatur.

Complexorum autem oppositorum potest triplex modus assignari. Quaedam enim opponuntur contradictorie, quando scilicet aliquae propositiones habent idem subiectum et idem praedicatum sed una est affirmatiua et alia negatiua. Sed hoc non sufficit, sed oportet quod una sit uniuersalis et alia particularis uel indefinita, uel quod utraque sit singularis. Verbi gratia istae opponuntur contradictorie 'omnis homo est animal', 'aliquis homo non est animal', similiter istae 'omnis homo est animal', 'homo non est animal', et hoc quia indefinita, quando subiectum sumitur significatiue, semper conuertitur cum particulari. Et ideo uniuersalis contradicit tam particulari quam indefinitae. Similiter istae contradicunt 'nullus homo est animal' et 'aliquis homo est animal' siue 'homo est animal'. Istae etiam contradicunt 'Sortes est animal', 'Sortes non est animal'.

Aliquae autem propositiones opponuntur contrarie, scilicet uniuersalis affirmatiua et uniuersalis negatiua. Et hoc uerum est quando subiecta sumuntur significatiue, aliter non oportet. Sicut istae non opponuntur contrarie 'omnis homo: est terminus communis cum signo uniuersali', 'nullus homo: est terminus communis cum signo uniuersali'.

Pro tertio modo oppositionis non habemus nomen impositum. Est tamen tertius modus quando aliquae propositiones nec sunt contradictoriae nec contrariae, sed inferunt propositiones contradictorias, uel una infert contradictoriam alterius; et propter hoc nullo modo possunt esse simul uerae. Sicut istae propositiones opponuntur 'nullum animal currit', 'aliquis homo currit', non tamen contrarie nec contradictorie, quia non habent idem subiectum. Sed opponuntur, quia ista 'aliquis homo currit' infert contradictoriam istius 'nullum animal currit', quia sequitur 'aliquis homo currit, ergo aliquod animal currit'.

Ex praedictis patet quod propositiones subalternae et subcontrariae non opponuntur, quia possunt simul esse uerae.

Oppositorum autem incomplexorum quatuor modi ponuntur. Quia quaedam incomplexa sunt contraria, scilicet illa quae significant quidquid significant positiue et affirmatiue, non negatiue; hoc est in definitione exprimente quid nominis eorum nulla negatio nec aliquid aequiualens negationi debet poni, et simul cum hoc quod illa non possunt uerificari de eodem pro eodem simul sed successiue; uel significant res quae possunt successiue inesse eidem, non simul, quamuis non possint uerificari de eodem nec simul nec successiue. Exemplum primi: sicut est de 'albo' et 'nigro', quia isti termini nihil significant negatiue et tamen isti termini significatiue sumpti non possunt uerificari de eodem pro eodem simul, sed successiue possunt.

Verumtamen, sicut dicetur inferius, in isto modo sunt gradus. Exemplum secundi est de 'albedine' et 'nigredine', quia isti termini significant tales res, qui tamen termini nec simul nec successiue possunt uerificari de eodem pro eodem. Et in isto modo, sicut in priori, sunt gradus.

Quaedam autem opposita incomplexa sunt priuatio et habitus, et sunt illa quorum unum significat quidquid significat positiue, alterum autem aliquid significat positiue, et illud idem quod suum oppositum significat affirmatiue ipsum significat negatiue. Quod patere potest ex definitione exprimente quid nominis ipsius, quia in illa definitione negatio praecedit habitum oppositum sibi. Sic se habent 'uisus' et 'caecitas'; nam 'uisus' quidquid significat affirmatiue significat, quia in sua definitione exprimente quid nominis nulla negatio debet poni; sed 'caecitas' uel 'caecus' significat aliquid affirmatiue et aliquid negatiue, quia 'caecus' definitur sic 'caecus est ille qui non habet uisum quem natus est habere', ubi aliquid praeponitur negationi et significatum illius importatur per 'caecum' affirmatiue, et aliquid sequitur negationem et significatum illius importatur per 'caecum' negatiue. Si autem illud idem, propter sequentem particulam, dicatur importari affirmatiue, non curo; sufficit enim mihi quod negatiue importetur. Nec est inconueniens idem per idem importari affirmatiue et negatiue, sicut dictum est prius quod idem per idem potest significari in recto et in obliquo.

Istam autem distinctionem, scilicet significare aliquid affirmatiue uel negatiue, insinuat Anselmus, De casu diaboli, cap.11, ubi dicit sic: "Constat, quoniam, haec uox, scilicet 'nihil', quantum ad significationem nullatenus differt ab eo quod dico 'non aliquid'. Nihil quoque hoc apertius quam quod haec uox, scilicet 'non aliquid', omnem rem penitus et omne quod est aliquid in intellectu remouendum, nec omnino ullam rem aut penitus quod aliquid sit in intellectu retinendum sua significatione constituit. Sed quoniam remotio alicuius rei nullatenus significari potest nisi cum significatione ipsius cuius significatur remotio, — nullus enim intelligit quid significet 'non—homo' nisi intelligendo quid sit 'homo' —, necesse est ut haec uox quae est 'non—aliquid', destruendo illud quod est aliquid significet aliquid". Et sequitur: "Significat aliquid remouendo, et non significat aliquid constituendo". Et sequitur: "Hoc itaque modo non repugnat malum nihil esse et mali nomen esse significatiuum, si sic aliquid perimendo significat ut nullius rei sit constitutiuum".

Ex his uerbis aliisque pluribus quae ibidem scribit Anselmus euidenter habetur quod aliquod incomplexum aliquid significat remouendo, perimendo, negando et aliquod incomplexum aliquid significat constituendo et affirmando.

Ex quo sequitur quod priuatio non est aliquid in re extra animam, distinctum quocumque modo a quolibet positiuo, sicut caecitas non est a parte rei in oculo, dicente Anselmo, ubi prius: "Multa dicuntur secundum formam quae non sunt secundum rem, ut 'timere' secundum formam uocis dicitur actiuum, cum sit passiuum secundum rem. Ita quoque dicitur 'caecitas' aliquid secundum formam loquendi, cum non sit aliquid secundum rem. Sicut enim dicimus de aliquo quia habet uisum et uisus est in eo, ita dicimus quia habet caecitatem et caecitas est in eo,

cum haec non sit aliquid sed potius non—aliquid; et hanc habere non est aliquid, immo eo carere quod est aliquid. Caecitas namque non est aliud quam non—uisus aut absentia uisus ubi uisus debet esse. Non—uisus uero uel absentia uisus non magis est aliquid ubi debet esse uisus quam ubi non debet esse. Quare caecitas non magis est aliquid in oculo quia ibi debet esse uisus quam non—uisus uel absentia uisus in lapide ubi uisus non debet esse".

Ex ista auctoritate patet quod caecitas non est aliquid a parte rei in oculo exsistens, et per consequens nullibi est a parte rei. Et ideo illa quae sunt extra animam non opponuntur priuatiue, sed signa rerum, quorum unum significat aliquid affirmatiue et aliquid negatiue reliquum uero significat aliquid tantum affirmatiue, priuatiue opponuntur.

Relatiue autem opponuntur nomina relatiua quae non possunt de eodem respectu eiusdem uerificari. Et hoc uerum est siue res extra animam aliquae opponantur relatiue siue non. Nec propter hoc quod dico 'nomina relatiua' nego relationem esse extra animam, quia 'relatiuum' potest dici tam de re quam de nomine ret. Quod enim sint aliqua nomina relatiua patet per grammaticos, qui nomen relatiuum ponunt esse unam speciem nominum.

Incomplexa autem contradictoria sunt illa quorum unum significat aliquid uel aliqua affirmatiue et aliud significat praecise illud uel illa negatiue, nihil affirmatiue significando. Sicut 'homo' significat omnes homines affirmatiue et 'non—homo' significat eosdem homines negatiue, nihil determinate uel finite affirmatiue significando. Quod addo propter cauillationem quae posset fieri, dicendo quod 'non—homo' significat asinum, ex quo supponit pro asino, sic dicendo 'asinus est nonhomo.

Et est sciendum quod quodlibet istorum oppositorum est uere in se quoddam ens positiuum et absolutum, et de quolibet eorum pro se sumpto uerificatur 'ens reale'. Unde si in ista 'non—ens est ens' subiectum supponeret pro se, uera esset, quia illud subiectum uere est ens, cum sit subiectum et pars propositionis; nulla autem propositio componitur ex non—entibus.

Et si proteruiatur quod tunc unum oppositorum praedicaretur de reliquo, dicendum est quod non est inconueniens unum oppositorum praedicari de reliquo, non significatiue sed simpliciter uel materialiter sumpto. Sic enim tales sunt uerae 'non—dictio est dictio', 'non—incomplexum est incomplexum', 'non—pars est pars', et sic de multis aliis, sicut haec est uera quando profertur 'non—uox est uox'. Si enim subiectum supponat pro se, certum est quod illud est uox, quia haec uox quam profero non—uox' est uox.

Et ista de oppositis ad praesens sufficiant, quia multa hic omissa super librum Praedicamentorum exposui.

1.37. DE ISTO TERMINO 'PASSIO'

Restat nunc de uno uocabulo, quo logici tractando de demonstratione frequenter utuntur, disserere, scilicet de isto uocabulo 'passio'.

Et est sciendum quod quamuis multipliciter accipi possit, sicut dixi super Praedicamenta', tamen secundum quod logicus utitur 'passione' passio non est aliqua res extra animam, inhaerens illi cuius dicitur passio, sed passio est quoddam praedicabile mentale uel uocale uel scriptum, praedicabile per se secundo modo de subiecto cuius dicitur passio. Quamuis proprie et stricte loquendo passio non sit nisi tale praedicabile mentale et non uocale neque scriptum, secundario tamen et improprie uox uel scriptura potest dici passio, illo modo quo dicimus quod in ista propositione prolata 'omnis homo est risibilis' praedicatur passio de suo subiecto.

Quod autem passio non sit res extra animam, quae non est signum praedicabile, patet. Quia secundum philosophos passio praedicatur per se secundo modo de suo subiecto, sed solus conceptus uel uox uel scriptum praedicatur, cum propositio non componatur nisi ex talibus et non ex rebus extra, igitur res extra non est passio.

Item, entis sunt passiones; sed non inhaerent illi communi, manifestum est; igitur etc.

Item, secundum philosophos omnis passio est primo alicuius uniuersalis; sed nulla res extra est inhaerens primo alicui uniuersali; igitur etc.

Item, de Deo praedicantur passiones propriae sibi; sed Deo non inhaerent aliquae aliae res; igitur passio non est talis res inhaerens suo subiecto.

Dicendum est igitur quod passio non est nisi quoddam praedicabile secundo modo dicendi per se de suo subiecto, et ideo omnis passio potest esse pars propositionis, et per consequens non est talis res extra. Ex quo sequitur quod non est impossibile subiectum esse in rerum natura sine sua passione, nec est impossibile passionem esse in rerum natura sine suo subiecto. Et ideo quod dicunt auctores quod subiectum non potest esse sine sua passione, exponendum est quod nihil aliud intendunt nisi quod passio non potest uere per propositionem negatiuam remoueri a suo subiecto, maxime si esse exsistere praedicetur de illo subiecto. Unde ista propositio est impossibilis 'Deus non est creatiuus', et tamen Deus potest esse et fuit quando praedicatum non erat in rerum natura.

Est etiam scietidum quod semper passio supponit pro illo eodem pro quo subiectum supponit, quamuis aliquid aliud ab illo significet aliquo modo, scilicet in recto uel in obliquo, uel affirmatiue uel negatiue. Unde et quaedam passiones uocantur positiuae et quaedam negatiuae.

Ex praedictis patere potest quomodo 'unum' est passio entis et realiter distinguitur ab illo ente cuius est passio, scilicet ab illo communi, et tamen idem significat quod illud commune; tamen alio modo, sicut patet per definitionem exprimentem quid nominis. Unde generaliter uerum est quod subiectum et passio

sua non sunt idem realiter, quamuis supponant pro eodem, et quamuis praedicatio unius de alio sit necessaria.

1.38. DE ISTO TERMINO 'ENS'

Dicto de terminis quibusdam secundae intentionis et quibusdam secundae impositionis, uidendum est de terminis primae intentionis, cuiusmodi ponuntur praedicamenta. Primo tamen dicendum est de quibusdam communibus omnibus, siue sint res quae non sunt signa siue sint signa, cuiusmodi sunt 'ens' et 'unum'.

Circa 'ens' autem est primo sciendum quod ens dupliciter accipi potest. Uno modo accipitur hoc nomen 'ens' secundum quod sibi correspondet unus conceptus communis omnibus rebus, praedicabilis de omnibus in quid, illo modo quo transcendens potest in quid praedicari.

Quod enim omnibus rebus sit unus conceptus communis praedicabilis de omnibus rebus ex hoc persuaderi potest: quia si non sit aliquis talis conceptus communis, ergo diuersis rebus sunt diuersi conceptus communes, qui sunt a et b. Sed ostendo quod aliquis conceptus est communior tam a quam b, praedicabilis de quocumque, puta de c, gratia exempli: quia sicut possunt formari tales tres propositiones uocales 'c est b', 'c est a', 'c est aliquid', ita possunt in mente tales tres propositiones formari quarum duae sunt dubiae et tertia est scita. Nam possibile est quod aliquis dubitet utramque istarum 'c est b', 'c est a' et tamen quod sciat istam 'c est aliquid'. Quo dato arguo sic: duae istarum propositionum sunt dubiae et una est scita, et istae tres habent idem subiectum, igitur habent distincta praedicata; quia si non, eadem propositio esset scita et dubia, ex quo duae sunt hic dubiae. Si habent distincta praedicata, igitur aliud praedicatum est in ista 'c est aliquid' quod non est praedicatum in aliqua istarum 'c est b', 'c est a', igitur illud praedicatum est distinctum ab illis. Sed manifestum est quod illud praedicatum non est minus commune nec conuertibile cum aliquo illorum, igitur est communius quam aliquod illorum. Quod est propositum: scilicet quod aliquis conceptus mentis alius ab istis inferioribus est communis cuilibet enti. Quod concedendum est, nam de omni ente uel de pronomine demonstrante quodcumque ens potest idem conceptus mentis uere praedicari, sicut eadem uox potest de quolibet uere praedicari.

Tamen non obstante quod sic sit unus conceptus communis omni enti, tamen hoc nomen 'ens' est aequiuocum, quia non praedicatur de omnibus subicibilibus, quando significatiue sumuntur, secundum unum conceptum, sed sibi diuersi conceptus correspondent, sicut super Porphyrium declaraui.

Ulterius sciendum est quod secundum Philosophum, V Metaphysicae: "Ens dicitur hoc quidem secundum accidens, illud uero secundum se". Quae distinctio non est intelligenda quod aliquod ens sit per se, aliud per accidens, sed ostendit ibi diuersum modum praedicandi unius de reliquo mediante hoc uerbo 'est'. Quod satis claret per exempla Philosophi, quia dicit quod dicimus 'musicum secundum accidens est iustum', et similiter 'musicum secundum accidens est homo', et

musicum dicimus aedificare secundum accidens. Ex quo patet quod non loquitur nisi de diuerso modo praedicandi alicuius de aliquo, quia aliquid dicitur de aliquo per se et aliquid dicitur de aliquo per accidens.

Quod enim aliqua res non sit ens per se et aliqua per accidens patet, quia nulla res est quin sit substantia uel accidens; sed tam substantia quam accidens est ens per se; igitur etc.

Hoc tamen non obstante aliquid praedicatur de aliquo per se et aliquid per accidens.

Similiter diuiditur ens in ens in potentia et in ens in actu. Quod non est intelligendum quod aliquid quod non est in rerum natura, sed potest esse, sit uere ens, et aliquid aliud quod est in rerum natura sit etiam ens. Sed Aristoteles diuidendo 'ens' in potentiam et in actum, V Metaphysicae, intendit quod hoc nomen 'ens' de aliquo praedicatur mediante hoc uerbo 'est' in propositione mere de inesse, non aequiualenti propositioni de possibili, sic dicendo 'Sortes est ens', 'albedo est ens'; de aliquo autem non praedicatur nisi in propositione de possibili, uel aequiualenti propositioni de possibili, sic dicendo 'Antichristus potest esse ens' siue 'Antichristus est ens in potentia', et sic de aliis. Unde uult ibidem quod ens est dicibile potestate et actu, sicut sciens et quiescens, et tamen nihil est sciens uel quiescens nisi actualiter sit sciens uel quiescens.

De aliis diuisionibus entis alias patebit. Et ista causa breuitatis ad praesens sufficiant.

1.39. DE ISTO TERMINO 'UNUM'

'Unum' autem est passio entis, quia est praedicabile de ente per se secundo modo, et hoc quia significat aliquid quod non eodem modo significatur per ens, quamuis alio modo significatur per ens. Nam 'ens' quidquid significat positiue et affirmatiue significat; 'unum' uero significat quodlibet significatum per 'ens' tam positiue et affirmatiue quam negatiue et remotiue. Quod patet per definitionem exprimentem quid nominis ipsius.

'Unum' tamen multipliciter dicitur, quia secundum Philosophum, V Metaphysicae: "Unum dicitur aliud secundum accidens, aliud secundum se". Quod sic est intelligendum quod hoc nomen 'unum' de aliquibus praedicatur per accidens, ita quod propositio illa est per accidens, sicut haec est per accidens 'Coriscus et musicus sunt unum', similiter ista est per accidens 'iustum et musicum sunt unum'. Cum hoc tamen stat quod tales sunt uerae 'musicum et iustum sunt per se unum' et 'musicus et Coriscus sunt per se unum'. Et si inueniantur in auctoribus tales propositiones 'musicum et album sunt unum per accidens', 'musicus per accidens est unum cum Corisco', debent exponi, ut per istas intelligantur tales 'haec est per accidens: musicum et album sunt unum', 'haec est per accidens: musicus et Coriscus

sunt unum'. Qualiter autem istae propositiones distinguuntur et non aequipollent, ostendetur inferius.

'Unum secundum se dicitur illud de quo uel de quibus dicitur unum non per accidens sed per se. Et quamuis Philosophus, V Metaphysicae, ponat multos modos unius per se, tamen ad praesens sufficiat ponere tres modos unius quibus logici frequenter utuntur.

Unde quaedam dicuntur unum numero, hoc est de quibusdam terminis supponentibus pro eodem uerificatur hoc praedicabile 'unum numero', sic dicendo 'iste homo et Sortes sunt unum numero', 'Marcus et Tullius sunt unum numero'. Et ideo quod dicit Aristoteles, V Metaphysicae, quod "unum numero sunt quorum materia est una", intelligendum est quod tunc dicuntur unum numero quando non sunt distincta nec secundum materiam nec secundum formam.

Quaedam autem dicuntur unum specie, quorum scilicet est eadem species, ita quod semper quaecumque sunt unum specie sunt simpliciter plura uel unum numero, dicente Aristotele, I Topicorum "Idem specie sunt quae cum sint plura", ita, supple, si non sint unum numero, "sub eadem specie continentur".

Genere autem sunt illa unum quae sub eodem genere continentur, ita quod quaecumque sunt unum genere sunt simpliciter plura specie et numero, uel sunt unum specie, dicente Aristotele: "Quaecumque numero, specie unum; sed quaecumque specie, non omnia numero. sed genere omnia sunt unum, quaecumque et specie; quaecumque uero genere, non omnia specie".

Ex istis uerbis sequitur quod nihil est unum specie nisi sit unum numero uel plura numero. Et ideo impossibile est quod sit aliqua natura quae sit una specie et non sit una numero nec plures res numero. Similiter impossibile est quod sit aliqua natura una genete nisi illa sit una specie uel plura specie.

Et ideo dicendum est quod plura indiuidua sunt unum specte, et quod unum indiuiduum est unum specie cum alio indiuiduo. Similiter plura indiuidua diuersarum specierum sunt unum genere, et unum indiuiduum unius speciei est unum genere cum alio indiuiduo alterius speciei, sicut Sortes et iste asinus sunt unum genere, hoc est de Sorte et isto asino natum est unum genus praedicari. Similiter Sortes et Plato sunt unum specie, hoc est Sortes et Plato sub una specie continentur, uel Sortes et Plato sunt illa a quibus potest abstrahi una species communis eis.

Et si dicatur quod tunc non essent unum realiter, dicendum est quod sunt unum realiter, accipiendo 'unum' secundum quod dicitur de illis quae sunt unum specie; quia Sortes et Plato sunt realiter illa a quibus potest abstrahi una species. Et ita concedendum est quod est aliqua unitas minor unitate numerali, sed ipsamet indiuidua sunt unum realiter, illo modo accipiendo unum, ita quod nihil imaginabile distinctum ab indiuiduo uel indiuiduis est unum, illo modo accipiendo unum.

1.40. DE ISTO TERMINO 'PRAEDICAMENTUM'

Post praedicta restat dicere de inferioribus ad 'ens', quae ponuntur decem praedicamenta.

Est autem sciendum quod hoc nomen 'praedicamentum' est nomen secundae intentionis sicut hoc nomen 'genus', quamuis illa de quibus praedicatur sint incomplexa primae intentionis.

Verumtamen praedicamentum dupliciter accipitur. Uno modo pro toto ordine aliquorum ordinatorum secundum superius et inferius, alio modo accipitur pro primo et communissimo in ordine illo. Et isto secundo modo accipiendo praedicamentum, quodlibet praedicamentum est unum incomplexum primae intentionis, et hoc quia significat res quae non sunt signa. Accipiendo autem praedicamentum primo modo, sic potest dici quod quandoque in aliquo tali ordine sunt incoiplexa primae intentionis, et aliqua sunt incomplexa secundae intentionis. Vel potest dici quod aliqua talia sunt primae intentionis et ariqua secundae intentionis. Sicut secundum opinionem quae ponit quod intentio uel conceptus est qualitas subiectiue exsistens in mente, hoc commune 'genus' est in praedicamento qualitatis uel relationis, nam omne genus est qualitas secundum illam opinionem. Et hoc commune 'genus' est secunda intentio uel nomen secundae intentionis, hoc autem commune 'color' est prima intentio. Et consimiliter potest dici de multis aliis.

Et si dicas quod intentio prima non est superior ad intentionem secundam:

similiter, intentio prima non praedicatur de intentione secunda nec e conuerso:

Similiter, ens rationis non potest esse in praedicamento reali; intentio autem secunda est ens rationis; igitur non est in praedicamento reali:

Ad primum istorum dicendum est quod intentio prima est superior ad intentionem secundam, sicut 'ens' est intentio prima et tamen est superius ad intentionem secundam; Omnis enim intentio secunda est ens, et non e conuerso.

Ad secundum dicendum est quod quamuis intentio prima non praedicetur de intentione secunda si utraque intentio supponat pro se ipsa, — tunc enim oporteret concedere quod intentio secunda esset intentio prima, quod falsum est —, tamen intentio prima potest praedicari de intentione secunda, non pro se sed pro intentione secunda. Unde ista 'genus substantiae est qualitas' uera est, non tamen uerificatur hoc praedicatum 'qualitas' pro se sed pro intentione secunda, quae est genus. Sicut in ista propositione prolata 'nomen est qualitas' praedicatur nomen primae impositionis de nomine secundae impositionis, non pro se sed pro nomine secundae impositionis, et tamen nullum nomen secundae impositionis est nomen primae impositionis.

Ad tertium dicendum quod iste termius 'esse in praedicamento' dupliciter accipitur. Uno modo pro illo quod sic est in praedicamento quod de pronomine demonstrante ipsum praedicatur primum illius praedicamenti sumptum significatiue. Et sic accipiendo 'esse in praedicamento' nihil est in genere substantiae nisi substantia particularis, quia nihil est substantia nisi substantia particularis. Et sic accipiendo 'esse in praedicamento' omnia uniuersalia, etiam importantia praecise substantias, sunt in praedicamento qualitatis, quia quodlibet uniuersale est qualitas. Aliter accipitur 'esse in praedicamento' pro illo de quo significatiue sumpto praedicatur primum illius praedicamenti significatiue sumptum. Et sic quaedam uniuersalia sunt in genere substantiae, quia de quibusdam uniuersalibus significatiue sumptis praedicatur 'substantia' quando sumitur significatiue, sic dicendo 'omnis homo est substantia', 'omne animal est substantia', 'omnis lapis est substantia' et sic de aliis. Quaedam autem uniuersalia sic sunt in praedicamento qualitatis, et sic de aliis. Et ideo illa propositio accepta 'ens rationis non potest esse in praedicamento reali' falsa est, siue accipiatur 'esse in praedicamento' uno modo siue alio.

Verumtamen sciendum est quod secundum opinionem quae ponit quod intentio, conceptus siue passio animae est qualitas mentis, non ideo dicitur aliquid 'ens rationis' quia non sit uera res exsistens in rerum natura, sed ideo dicitur ens rationis quia non est nisi in ratione, quo mens utitur pro alio uel propter aliud. Et sic omnes propositiones et consequentiae et termini mentales sunt entia rationis, et tamen uere sunt realiter exsistentia in rerum natura, et entia perfectiora et realiora quam qualitates quaecumque corporales. Et ideo quod Commentator et Philosophus diuidunt ens primo in ens reale et in ens rationis, siue in ens in anima et in ens extra animam, et postea ens reale in decem praedicamenta, non est diuisio per simpliciter opposita, illo modo quo animal diuiditur in animal rationale et irrationale, sed magis est diuisio uocis in significationes, illo modo quo Aristoteles in I Priorum diuidit contingens in contingens necessarium et ad utrumlibet et possibile commune. Et ideo sicut unum istorum trium membrorum praedicatur de alio, — haec enim est uera contingens necessarium est possibile', similiter ista 'contingens ad utrumlibet est possibile'—, ita non obstante illa diuisione entis haec est uera 'ens rationis est ens reale', accipiendo 'ens reale' pro illo quod est uera qualitas exsistens in rerum natura. Si tamen accipiatur 'ens reale' uel 'extra animam' praecise pro illo quod non est in anima, tunc diuisio entis in decem praedicamenta non est diuisio per se communis in sua inferiora, sed est consimilis et aequiualens isti diuisioni 'ens reale extra animam quoddam importatur per hoc praedicamentum, quoddam per illud', et sic de singulis; uel tali 'omne reale ens extra animam uel est in tali praedicamento uel in tali'. Cum hoc tamen stat quod etiam in illis praedicamentis sunt multa quae non sunt entia extra animam.

1.41. DE NUMERO PRAEDICAMENTORUM

His praemissis uidendum est de numero praedicamentorum. Ponuntur autem ab omnibus auctoribus decem praedicamenta, sed in modo ponendi, ut mihi uidetur, multi moderni discordant ab antiquis. Nam multi ponunt quod in omni

praedicamento sunt multa ordinabilia secundum superius et inferius, ita quod superius per se primo modo et in recto praedicatur de quolibet inferiori, tali praedicatione qualis est haec 'omne a est b'. Unde ut talem praedicationem habeant, de aduerbiis fingunt nomina abstracta, sicut de 'quando', quod est aduerbium, fingunt tale abstractum 'quandalitas' et de 'ubi' hoc nomen 'ubitas', et sic de aliis.

Sed antiqui, ut mihi uidetur, non posuerunt talem ordinem in quolibet praedicamento, et ideo hoc nomine 'praedicamentum' et similiter talibus nominibus 'genus', 'species' et consimilibus magis large utebantur quam faciunt multi moderni. Unde quando dixerunt semper superius praedicari de inferiori et quodlibet praedicamentum habere sub se species, extendebant 'praedicari' ad uerba, quo modo dicimus quod 'ambulat' praedicatur de homine, sic dicendo 'homo ambulat', similiter 'iste calceatur', 'iste armatur'. Extendebant etiam praedicationem ad praedicationem aduerbiorum et praepositionum cum casualibus suis, sicut exercemus in talibus propositionibus 'iste est hodie', 'iste fuit heri', 'iste est in domo', 'iste est in ciuitate'. Et ita in quolibet praedicamento inuenitur aliqua talium praedicationum. Non tamen oportet quod ibi sit semper praedicatio propria recti de recto. Et ideo non omnis ordo superioris et inferioris est secundum praedicationem, stricte accipiendo praedicationem, sed aliquis est in consequendo et in praedicando, large accipiendo praedicationem.

Et quia intentio antiquorum mihi uidetur rationabilior, ideo ipsam prosequendo primo ostendam quod haec fuit eorum intentio. Quod probari potest primo per Aristotelem enumerantem praedicamenta, ubi sic exprimit ea: "Eorum quae secundum nullam complexionem dicuntur singulum aut significat substantiam aut qualitatem aut quantitatem aut ad aliquid aut ubi aut quando aut situm esse aut habitum aut facere aut pati". Et postea exemplificans dicit: "Ubi, ut in loco; quando autem, ut in tempore, ut heri; situm esse uero, ut sedet aut iacet; habere, ut calceatus, armatus; facere uero, ut secare, urere; pati, ut secari, uri". Idem etiam patet in capitulo De facere et pati.

Item, Damascenus in Logica sua, cap. 32, dicit sic: "Oportet cognoscere quod decem sunt omnia praedicamenta, id est generalissima genera sub quibus refertur omnis uox simpliciter dicta. Sunt autem haec: substantia, ut lapis; quantum, ut duo, tria; ad aliquid, ut pater, filius; quale, ut album, nigrum; ubi, ut in Tyro, in Damasco, hoc autem loci ostensiuum est; quando, ut heri, cras, hoc autem temporis est ostensiuum; habere, ut uestimentum induere; situm esse, ut stare, sedere; facere, ut urere; pati, ut uri".

Et isti duo auctores, unus sanctus et alius philosophus, sufficiant ad probandum quod per praedicamenta non intelligunt nisi quaedam incomplexa continentia sub se diuersas uoces uel intentiones animae, de quibus tamen non praedicantur praedicatione propria et in recto.

Ad cuius euidentiam sciendum est quod secundum intentionem antiquorum exsistentia in praedicamentis non sunt nisi quaedam incomplexa ex quibus affirmatio

et negatio, scilicet propositiones affirmatiuae et negatiuae, natae sunt constitui. Propter quod dicit Aristoteles, ubi prius: "Singula igitur eorum quae dicta sunt ipsa quidem secundum se in nulla affirmatione dicuntur, horum autem ad se inuicem complexione affirmatio fit".

Et similiter dicit Damascenus, sicut dictum est, quod sub decem praedicamentis "refertur omnis uox simpliciter dicta", hoc est omnis uox categorematica, quae non est affirmatio uel negatio. Et ita constat esse de intentione eorum quod illa quae sunt in praedicamentis sunt incomplexa ex quibus sunt propositiones natae componi. Et hoc est uerum tam de incomplexis mentalibus quam uocalibus; mentalia tamen principaliora sunt, sicut dictum est prius.

Sumitur autem distinctio istorum praedicamentorum, sicut innuit Commentator VII Metaphysicae, ex distinctione interrogatiuorum de substantia siue de indiuiduo substantiae. Unde secundum quod ad diuersas quaestiones factas de substantia per diuersa incomplexa respondetur, secundum hoc diuersa in diuersis praedicamentis collocantur. Unde omnia incomplexa per quae conuenienter respondetur ad quaestionem factam per 'quid est' de aliquo indiuiduo substantiae sunt in praedicamento substantiae, cuiusmodi sunt omnia talia 'homo', 'animal', 'lapis', 'corpus', 'terra', 'ignis', 'sol', 'luna' et huiusmodi. Illa autem per quae conuenienter respondetur ad quaestionem factam per 'quale' de substantia sunt in genere qualitatis, cuiusmodi sunt talia 'album', 'calidum', 'sciens', 'quadratum', 'longum', 'latum', et sic de aliis. Illa autem per quae respondetur ad quaestionem factam per 'quantum' de substantia uel substantiis demonstratis continentur in genere quantitatis, cuiusmodi sunt talia 'bicubitum', 'tricubitum' et huiusmodi. Illa autem per quae respondetur ad quaestionem factam per 'cuius' uel per consimile, quia forte ibi deficit nobis unum interrogatiuum generale, sunt in genere relationis. Illa autem per quae conuenienter respondetur ad quaestionem factam per 'ubi' sunt in genere ubi. Et quia ad quaestionem factam per 'ubi' numquam conuenienter respondetur nisi per aduerbium uel praepositionem cum suo casuali, sicut si quaeratur 'ubi est Sortes' conuenienter respondetur 'ibi uel hic, uel in Tyro uel in Damasco, uel in mari uel in terra', ideo ista incomplexa, pro quanto non sunt affirmationes uel negationes, dicuntur in genere ubi. Similiter ad quaestionem factam de substantia demonstrata per 'quando' numquam respondetur nisi per aduerbia uel per praepositiones cum suis casualibus, sicut si quaeratur 'quando fuit Sortes' conuenienter respondetur quod fuit heri uel in tali die, ideo praecise talia sunt in genere quando. Similiter ad quaestionem factam per hoc totum 'quid facit Sortes' conuenienter respondetur per uerba, sicut quod calefacit uel ambulat, ideo talia sunt in genere actionis. Et sic, proportionaliter, est de aliis, quamuis forte propter penuriam nominum aliquando interrogatiua propria praedicamentis et generalia nobis deficiant.

Ex isto sequitur quod talia concreta 'album', 'nigrum', 'calidum', 'amarum' magis directe sunt in genere qualitatis quam eorum abstracta. Propter quod Philosophius, in Praedicamentis, exemplificans de illis quae sunt in praedicamento qualitatis dicit: " Qualitas, ut album". Verumtamen accipiendo praedicamentum qualitatis pro aliquo

quod uniuersaliter remouetur a substantia, sic talia concreta non sunt in genere qualitatis sed praecise abstracta. Et sic intellexi aliquando, quando dixi talia abstracta esse in genere per se et concreta per reductionem. Sed in talibus magis est difficultas uerbalis quam realis, ideo ad praesens pertranseo.

Et sufficiat scire quod omne incoinplexum per quod responderi potest ad aliquam quaestionem factam de substantia est in aliquo praedicamento, siue illud sit aduerbium siue uerbum siue nomen siue praepositio cum suo casuali. Alia autem incomplexa non sunt in aliquo praedicamento; propter quod coniunctiones et syncategoremata in nullo praedicamento reponuntur. Per talia enim 'si' et', 'omnis', 'nullus' ad nullam quaestionem de indiuiduo substantiae respondetur. Si autem per aliqua talia poterit aliquo modo responderi ad aliquam quaestionem certam, licet non ad omnem, illa possunt ad aliquod praedicamentum reduci.

1.42. DE PRAEDICAMENTO SUBSTANTIAE

Expeditis quibusdam generalibus circa praedicamenta, quamuis multa alia possent dici, de singulis in speciali dicendum est, et primo de substantia.

Circa quam primo considerandum est quod substantia multipliciter accipitur. Uno modo substantia dicitur quaecumque res distincta ab aliis, sicut frequenter talia inueniuntur in auctoribusi'substantia albedinis', 'substantia coloris', et sic de aliis. Aliter dicitur substantia magis stricte omnis res quae non est accidens realiter inhaerens alteri. Et sicsubstantia dicitur tam de materia quam de forma quam etiam de composito ex utrisque. Aliter dicitur substantia strictissime de illo quod nec est accidens alteri inhaerens nec est pars alicuius essentialis, quamuis possit componere cum aliquo accidente. Et isto modo substantia ponitur genus generalissimum.

Quod secundum Aristotelem in diuiditur in substantias primas et secundas. sed non est intelligendum quod ista sit diuisio alicuius communis praedicabilis de suis diuidentibus per se siue de pronominibus demonstrantibus illa diuidentia. Demonstrando enim quaincumque substantiam secundam haec est falsa 'haec est substantia'. Unde de haec est uera 'nulla secunda substantia est substantia', quae patere potest ex prae— cedentibus. Probatum est enim prius quod nullum uniuersale est substantia; omnis autem secunda substantia est quoddam uniuersale, cum sit genus uel species secundum Aristotelem; nulla igitur secunda substantia est substantia.

Item, secundum doctrinam Aristotelis quidquid negatur uniuersaliter ab omnibus contentis immediate sub aliquo communi negatur uniuersaliter ab illo communi; sed substantia secunda negatur ab omnibus immediate contentis sub substantia; igitur negatur uniuersaliter a substantia. Est igitur haec uera 'nulla substantia est secunda substantia', et per consequens nulla secunda substantia est substantia. Assumptum patet, nam haec est uera 'nulla substantia corporea est secunda substantia' et haec similiter 'nulla substantia incorporea est secunda substantia'. Quod prima sit uera, et per consequens secunda, eadem ratione, patet

per eandem regulam, nam haec est uera 'nullum corpus animatum est substantia secunda' et similiter ista 'nullum corpus inanimatum est substantia secunda'. Et quod prima istarum sit uera, et eadem ratione secunda, probari potest per eandem regulam, nam haec est uera 'nullum corpus animatum sensibile est substantia secunda' et haec similiter 'nullum corpus animatum insensibile est secunda substantia'. Et quod prima istarum sit uera, et eadem ratione secunda, adhuc probari potest per eandem regulam, nam haec est uera 'nullum corpus animatum sensibile rationale est secunda substantia' et eadem ratione ista 'nullum corpus animatum sensibile irrationale est secunda substantia'. Et quod prima istarum sit uera patet, nam sua conuertibilis est uera 'nullus homo est secunda substantia', quae euidenter patet ex hoc quod quaelibet singularis est uera. Relinquitur igitur, secundum doctrinam Aristotelis, quod haec est simpliciter uera 'nulla substantia est secunda substantia', et ideo quacumque substantia secunda inferiori ad generalissimum demonstrata, haec est simpliciter falsa 'haec est substantia'.

Et ideo dicendum est quod ista diuisio non est nisi diuisio unius nominis communis in nomina minus communia, ut sit aequiualens isti diuisioni: nominum importantium seu significantium substantias extra animam quaedam sunt nomina propria uni substantiae, et illa nomina uocantur hic primae substantiae; quaedam autem nomina sunt communia multis substantiis, et illa nomina uocantur secundae substantiae. Quae nomina postea diuiduntur, quia quaedam sunt genera et quaedam sunt species, quae tamen omnia uere sutit qualitates. Et ita omnia illa nomina communia quae uocantur secundae substantiae sunt in praedi camento qualitatis, accipiendo 'esse in praedicamento' pro eo de cuius pronomine demonstrante ipsum praedicatur 'qualitas'. Omnia tamen illa sunt in praedicamento substantiae, accipiendo 'esse in praedicamento' pro illo de quo significatiue sumpto praedicatur 'substantia'. Unde in ista propositione 'homo est animal' uel 'homo est substantia', 'homo' non supponit pro se sed pro suo significato. Si enim supponeret pro se haec esset falsa 'homo est substantia' et haec uera 'homo est qualitas'. Sicut si haec uox 'homo' supponat pro se haec est falsa 'homo est substantia' et haec uera 'homo est uox et qualitas'. Et ita secundae substantiae non sunt nisi quaedam nomina et qualitates praecise significantes substantias, et propter hoc et non propter aliud dicuntur esse in praedicamento substantiae.

Et quod illud sit consonum dictis auctorum patet, nam Philosophus dicit in Praedicamentis quod " Omnis substantia uidetur hoc aliquid significare. Et de primis substantiis indubitabile et uerum est quod hoc aliquid significant". Ex quo patet quod Aristoteles uult quod substantia prima significat hoc aliquid; sed substantia particularis exsistens extra aninam non significat hoc aliquid, sed ipsa significatur; igitur primam substantiam uocat hic Aristoteles nomen substantiae particularis exsistentis extra animam. Et eadem ratione, et multo fortius, debet uocare secundas substantias ipsamet nomina.

Item, Boethius uult in diuersis locis super Praedicamenta quod Philosophus in libro illo tractat de uocibus, et ita per consequens uocat primas substantias et secundas ipsas uoces.

Similiter, Aristoteles dicit substantias primas et secundas esse in praedicamento substantiae, et ibidem ponit illa quae sunt in praedicamento substantiae esse incomplexa ex quibus componuntur propositiones. Propositiones autem non componuntur ex substantiis extra animam exsistentibus. Igitur etc.

Item, Damascenus ponit uoces collocari sub praedicamento substantiae. Non est igitur dissonum dictis antiquorum dicere quod Aristoteles uocat substantias secundas nomina communia substantiarum.

Nec istis obstat illud quod dicit Aristoteles quod species sunt magis substantiae quam genera, quia per tales propositiones non plus intendit nisi quod conuenientius respondetur ad quaestionem factam per 'quid est' de substantia demonstrata per speciem quam per genus. Et ideo talis propositio 'species est magis substantia quam genus' falsa est de uirtute sermonis, sed uera est secundum mentem quam habuit de ea Philosophus.

Breuiter igitur dicendum est quod talis diuisio est diuisio in nomina, quorum aliqua sunt propria, aliqua communia. Nomina propria dicuntur substantiae primae, nomina communia dicuntur substantiae secundae.

Verumtamen sciendum est quod Philosophus in Praedicamentis aequiuoce utitur termino 'primae substantiae'. Nam aliquando utitur illo pro ipsis nominibus substantiarum exsistentium extra animam, sicut ibi: "Primae substantiae significant hoc aliquid"; aliquando pro ipsis substantiis exsistentibus extra animam, sicut ibi: "Substantia est quae proprie et principaliter" etc. Propter quod quando Philosophus dicit quod "omnia alia aut de subiectis principalibus dicuntur substantiis aut in subiectis eisdem sunt", uocat ibi subiecta non quidem subsistentia realiter aliis sed subiecta propositionum. Unde sicut dicit Damascenus in Logica sua, cap. 8, subiectum dupliciter accipitur, scilicet secundum exsistentiam, et sic substantia singularis exsistens extra animam est subiectum accidentium; uel ad praedicationem, et sic particulare est subiectum ad uniuersalius. Et isto secundo modo accipit Philosophus subiecta quando dicit secundas substantias dici de subiecto. Et ita substantiae primae non sunt subiecta realiter subsistentia substantiis secundis, sed sunt subiecta per praedicationem. Ex quo patet quod Philosophus quandoque uocat substantias primas nomina et signa substantiarum exsistentium extra animam, nam dicit secundas substantias dici de substantiis primis tamquam de subiectis; quod non potest esse nisi per praedicationem. Igitur substantia prima in praedicatione est subiectum et secunda substantia est praedicatum; sed nulla propositio componitur ex substantiis extra animam; igitur illa prima substantia quae est subiectum propositionis respectu secundae substantiae non est substantia exsistens extra animam.

Propter quod quando dicit Aristoteles quod destructis primis substantiis impossibile est aliquid aliorum remanere, non intelligit de destructione reali et consistentia reali, sed intelligit de destructione per propositionem negatiuam, sub isto sensu: quando esse exsistere non praedicatur de aliquo contento sub aliquo communi tunc esse exsistere uere negatur ab illo communi et a proprietatibus et accidentibus propriis illi communi. Nihil aliud intendens nisi quod tales consequentiae bonae sunt: iste homo non est, ille homo non est, et sic de singulis; igitur nullus homo est; igitur nullum risibile est; igitur nullum grammaticum est; igitur nulla grammatica est; igitur nulla logica est. Si enim intelligeret de destructione reali falsum diceret. Quamuis enim nullus lapis esset, hoc genus 'lapis' posset remanere; adhuc enim posset aliquis formare istam propositionem 'nullus homo est lapis' et istam 'nullus lapis est asinus'; quod non posset facere nisi partes propositionis essent, et per consequens hoc genus 'lapis' esset. Tunc tamen de nullo uere affirmatiue praedicaretur in propositione mere de inesse et mere de praesenti.

1.43. DE PROPRIETATIBUS SUBSTANTIAE

Viso quae ponuntur in linea praedicamentali substantiae, uidendum est de quibusdam proprietatibus substantiae.

Ponit autem Aristoteles in Praedicamentis unam proprietatem substantiae quam dicit esse communem omni substantiae, scilicet tam primae quam secundae, uidelicet quod substantia non est in aliquo subiecto. Quae si intelligatur de substantia exsistente extra animam, manifesta est; nulla enim talis est in aliquo subiecto. Si autem intelligatur de substantiis primis et secundis quae sunt nomina substantiarum exsistentium extra animam, sic per istam propositionem 'substantia non est in subiecto' debet intelligi ista propositio, quae est actus signatus, 'de nullo nomine substantiae proprio uel communi significatiue sumpto praedicatur esse in subiecto, sed remouetur a quolibet tali significatiue sumpto esse in subiecto'. 'Unde quaelibet talis uera est 'homo non est in subiecto', 'animal non est in subiecto', 'Sortes non est in subiecto', et sic de aliis. Tamen si tales termini supponerent pro se et non pro suis significatis uere posset dici quod sunt in subiectis, sicut uere dicitur quod sunt partes propositionum, et per consequens uel sunt conceptus mentis uel uoces uel scripta.

Sed contra illud uidetur esse Aristoteles, nam de secundis substantiis concedit quod dicuntur de subiecto, et negat eas esse in subiecto; sed accipiendo uniformiter secundas substantias, non plus competit eis unum quam aliud:

Dicendum quod Philosophus non uniformiter accipit, nec hoc est necessarium; sed frequenter utile est propter breuitatem difformiter accipere eundem terminum. 'Unde per talem propositionem nihil aliud intelligit nisi quod nomina communia substantiarum praedicantur de subiectis. Et tamen de eisdem eodem modo supponentibus quo supponunt in illis actibus exercitis non uerificatur 'esse in subiecto'. Unde haec est uera 'Sortes est animal', et de animali eodem modo supponente quo supponit in ista 'Sortes est animal' non uerificatur esse in subiecto, quia si sic supponat 'animal' haec est falsa 'animal est in subiecto.

Alia proprietas substantiae ponitur, quae est quod omnibus substantiis secundis conuenit praedicari uniuoce, non tamen conuenit tantum substantiis secundis sed etiam differentiis, quamuis ista proprietas non conueniat primis substantiis.

Sciendum est quod nihil praedicatur uniuoce proprie loquendo nisi quod est commune ad multa, hoc est nisi illud quod significat multa uel natum est significare multa. Et ideo quia substantiae primae sunt propriae, et non significantes multa, ideo noti praedicantur uniuoce. Secundae autem substantiae significant multa. Hoc enim nomen 'homo' non significat primo unam naturam communem omnibus hominibus, sicut multi errantes imaginantur, sed significat primo omnes homines particulares, sicut auctoritate Damasceni prius ostensum est. Ille enim qui primo instituit hanc uocem 'homo', uidens aliquem hominem particularem, instituit hanc uocem ad significandum illum hominem et quamlibet talem substantiam qualis est ille homo. 'Unde de natura communi non oportuit eum cogitare, cum non sit aliqua talis natura communis. Non tamen est haec uox 'homo' aequiuoca, quamuis significet multa aeque primo, quia est signum subordinatum uni conceptui et non pluribus in significando illos plures homines aeque primo.

Tertia proprietas substantiae assignatur haec, scilicet quod prima substantia stgnificat hoc aliquid, secunda autem substantia significat quale quid. Et ex ista proprietate manifeste patet quod cum significare siue hoc aliquid siue quale quid non competat substantiis extra animam exsistentibus sed tantum Signis talium substantiarum, substantiae primae et secundae uocantur signa propria et communia substantiarum extra animam exststentium. Quod concedendum est.

Est tamen aduertendum quod significare hoc aliquid non est aliud quam significare unum et non plura, significare autem quale quid est esse natum significare plura. Et ideo quando dicit Aristoteles quod substantiae secundae significant quale quid, non intendit quod substantiae secundae significant aliquam qualitatem uel aliquid reale adueniens indiuiduo, — hoc enim simpliciter falsum est, sicut potest patere ex praedictis —, sed intendit quod significant plura et non unum solum. Quod euidenter probatur ex littera sua in Praedicamentis, sicut patet in expositione quam edidi super eundem librum.

Quarta proprietas substantiae est quod substantiae nihil est contrarium. Circa quod sciendum est quod contrarietas dupliciter accipitur. Uno modo pro proprietate quadam terminorum, illo modo quo dicimus quod 'album' et 'nigrum' sunt contraria, quia impossibile est istos duos terminos 'album' et 'nigrum' de eodem et pro eodem simul uerificari. Aliter accipitur pro quadam proprietate conueniente rebus, et sic potest accipi tripliciter, scilicet stricte, large et largissime. Stricte dicuntur illae res contrariae quae in eodem subiecto mutuo se expellunt et partibiliter in eodem subiecto adquiruntur uel adquiri possunt, saltem naturaliter; et isto modo nulla substantia contrariatur alteri. Large dicuntur illae res contrariae quae mutuo se expellunt in eodem, quamuis naturaliter partibiliter adquiri non possunt in eodem subiecto primo. Et sic formae substantiales sunt contratiae, quia mutuo se expellunt in eadem materia. Largissime dicuntur illa contraria quae componuntur ex talibus

contrariis. Et sic aer et ignis dicuntur contraria, quia componuntur ex formis substantialibus contrariis, secundo modo loquendo de hoc uocabulo 'contraria'. Primo modo substantiae nihil est contrarium, sed secundo modo et tertio substantia contrariatur substantiae. Primo modo loquitur Philosophus in Praedicamentis, aliter loquitur alibi de contrariis

Quinta proprietas substantiae est quod substantia non suscipit magis et minus. Quae sic est intelligenda: de nulla substantia una numero praedicatur primo aliquod commune in genere substantiae cum hoc aduerbio 'magis' et postea cum hoc aduerbio 'minus', nec e conuerso. Unde non est possibile quod istae duae, uel consimiles, successiue uerificentur 'Sortes est magis homo nunc quam prius uel magis animal nunc quam prius', 'Sortes est minus homo uel minus animal nunc quam prius'. Unde de nullo supponente pro substantia potest aliquod tale praedicatum uerificari 'hoc est magis homo uel magis animal nunc quam prius', 'hoc est minus homo uel minus animal nunc quam prius', sicut de eodem numero contingit uere dicere 'hoc est magis album nunc quam prius'.

Sexta proprietas substantiae est quod substantia, cum sit una et eadem numero, est susceptiua successiue contrariorum, sicut idem homo numero est primo niger et postea albus. Haec autem proprietas ita conuenit substantiae quod nulli alii potest conuenire, sicut dicit Aristoteles in Praedicamentis. Unde dicit ibidem sic:"Maxime uero uidetur proprium esse substantiae quod, cum unum et idem numero sit, susceptibile est contrariorum. Et in aliis quidem non habebit quis quid proferat quaecumque non sunt substantiae, quod cum sit unum et idem nuinero sit susceptibile contrariorum, et uelut color etc, cum sit unum numero, non erit album et nigrum, neque actio aliqua, cum sit una et eadem, erit praua et studiosa; similiter autem et in aliis quae non sunt substantiae. Substantia uero, cum unum et idem numero sit, capax est contrariorum; ut quidam homo, cum unum et idem numero sit, aliquando est niger aliquando albus, sic et calidus et frigidus, prauus et studiosus. In nullis autem aliis aliquid tale uidetur". Ex isto patet quod de intentione Aristotelis fuit quod suscipere realiter contraria successiue soli substantiae competit, ita quod impossibile est aliquid aliud a substantia realiter suscipere contraria.

Ex quo, tamquam ex principio, sequuntur duo esse de mente Aristotelis, siue secundum ueritatem sint uera siue falsa. Primum est quod non est de mente Aristotelis quod quantitas sit quoddam accidens realiter distinctum a substantia, inhaerens realiter illi, et realiter exsistens subiectum qualitatum corporalium, sicut multi moderni dicunt quod quantitas est unum accidens exsistens in substantia et realiter subiectum qualitatum. Si enim ita esset, sequeretur necessario quod aliquid aliud a substantia, exsistens unum etidem numero, esset susceptiuum contrariorum per propriam mutationem, quia illa quantitas primo reciperet unam qualitatem contrariam et postea aliam. Immo, quantitas immediatius et prius susciperet contraria quam substantia, cum substantia, secundum eos, non sit immediatum subiectum qualitatum contrariarum sed mediatum tantum, nec per consequens suscipit contraria nisi mediante quantitate.

Aliud sequitur esse de mente Aristotelis, quod nullum accidens est subiectum alterius accidentis, saltem accidentis habentis contrarium. Si enim sic esset, aliud a substantia susciperet contraria successiue.

Et ex isto Sequitur quod est contra mentem Aristotelis dicere quod intellectus et uoluntas sunt quaedam accidentia ipsius animae intellectiuae, in quibus accidentibus primo recipiantur intellectiones et uolitiones et tales actus et habitus. Et eodem modo potentiae sensitiuae, secundum eum, non sunt quaedam accidentia recipientia alia accidentia. Sequitur etiam, secundum eum, quod relationes non sunt quaedam res distinctae realiter a substantia, subiectiue exsisistentes in quantitate et qualitate, quae sint accidentia realiter exsistentia in substantia.

Unde intentio Aristotelis est quod omne accidens est immediate exsistens in substantia, ita quod inter substantiam et quodcumque accidens suum nihil est medium in ratione subiecti. Unde Aristoteles, ut magis explanet intentionem suam per dubiorum remotionem, obicit contra se ipsum per orationem et opinionem, quae non sunt substantiae et tamen uidentur suscipere contraria; eadem enim oratio est primo uera et postea falsa. Et soluens dicit: "Sed si quis hoc suscipiat sed tamen in modo suscipiendi differt; nam ea quae in substantiis sunt ipsa mutata susceptibilia sunt contrariorum. Frigidum enim de calido factum mutatum est, alteratum enim factum est; et nigrum ex albo et studiosum ex prauo; similiter autem in aliis unumquodque mutationem suscipiens susceptibile est contrariorum. 0ratio autem et opinio ipsa quidem immobilia omnino perseuerant, cum uero res mouetur contrarium fit circa eam, ut quod sedeat aliquis, oratio uero permanet eadem, cum uero res mota, aliquando quidem uera aliquando quidem falsa. Similiter autem et in opinione. Quapropter solummodo substantiae proprium est eo quod secundum sui mutationem captabilis sit contrariorum".

Ex ista solutione patet quod intentio sua est quod nihil aliud a substantia potest moueri ab uno contrariorum ad reliquum, quod tamen falsum esset si quantitas esset immediatum subiectum qualitatum et tamen differret realiter a substantia. Et ideo quod oratio aliquando est uera aliquando falsa, hoc non est quia ipsa oratio mutatur et aliquando recipit realiter ueritatem et aliquando falsitatem, sed hoc est propter mutationem alicuius substantiae, saltem localem.

Unde ad euidentiam istius solutionis est sciendum quod tam hoc nomen 'contraria' quam hoc uerbum 'suscipere' accipitur aequiuoce. Hoc enim nomen 'contraria', sicut tactum est prius, dupliciter, ad praesens, accipitur. Nam uno modo uerificatur de aliquibus pro ipsis rebus extra, sicut dicimus quod albedo et nigredo sunt contraria. Aliter uerificatur de terminis, sicut dicimus quod isti termini 'album' et 'nigrum' sunt contraria. Unde dicimus quod de eodem particulariter sumpto possunt uerificari contraria, sicut sic dicendo 'homo est albus', 'homo est niger', quod non potest uerificari nisi de terminis solis. Et contraria isto modo dicta dupliciter accipi possunt, scilicet stricte, et tuuc dicuntur contraria quia significant res contrarias. Aliter potest hoc uocabulum 'contraria' accipi large, et tunc dicuntur illa contraria quae non possunt de eodem pro eodem simul uerificari sed successiue.

'Suscipere' autem dupliciter accipitur, scilicet per realem inexsistentiam uel per praedicationem. Accipiendo 'contraria' primo modo, oratio nullo modo suscipit contraria. Sed accipiendo 'contraria' secundo modo, scilicet pro terminis, et hoc large, et 'suscipere' secundo modo, sic oratio suscipit contraria, hoc est dictu oratio non recipit in se tamquam accidens in subiecto aliqua contraria, sed de oratione praedicantur contraria successiue, non quidem contraria quae sunt res contrariae mutuo se expellentes, sed termimi qui non possunt de eodem pro eodem simul uerificari sed successiue. Substantia autem recipit realiter per inhaerentiam contraria in se tamquam accidentia in subiecto.

Et hoc est quod subdit Aristoteles: "Si quis autem et hoc recipiat, opinionem scilicet et orationem dicens susceptibilia esse contrariorum", scilicet per realem inhaerentiam, "non est uerum", quia oratio non recipit realiter contraria. Et subdit: "Oratio namque et opinio susceptibilia contrariorum esse dicuntur", hoc est oratio et opinio sunt susceptibilia contrariorum per praedicationem, "non in eo quod ipsamet aliquid contrariorum suscipiant", supple per realem inhaerentiam, "sed in eo quod circa alterum aliqua passio facta sit. Nam in eo quod res est uel non est dicitur oratio uera uel falsa, non in eo quod captabilis sit contrariorum. Simpliciter autem a nullo neque oratio mouetur neque opinio".

Vult dicere quod quamuis ista contraria 'uerum' et 'falsum' successiue uerificentur de eadem oratione, sicut ista oratio manens eadem numero 'tu sedes' est primo uera et postea falsa, tamen ista oratio non recipit realiter contraria, quia per hoc quod ista oratio est falsa quae prius fuit uera, nihil est realiter in oratione ista magis nunc quam prius. Sed ideo praecise nunc dicitur falsa et non prius, quia nunc significat aliter esse a parte rei quam est et prius significauit ita esse a parte rei sicut fuit. Unde nunc significat te sedere, et tamen non sedes, ideo est falsa; et prius fuit uera, quia prius sedisti, sicut ista oratio significauit. Et tamen ista oratio nihil recipit in se nec mutatur in aliquo. Propter quod subdit Aristotelis: 'Quapropter non erunt susceptibilia contrariorum, cum nulla in eis passio facta sit'.

Ex isto processu Aristotelis euideiiter apparet quod de intentione sua non est quod ueritas et falsitas propositionum sunt quaedam qualitates propositionum inhaerentes eis. Si enim ita esset, Sequeretur quod propositio quae est aliquando uera, aliquando falsa, realiter susciperet contraria. Sequeretur etiam quod quandocumque aliquid mouetur extra me et postea quiescit quod una qualitas noua esset in anima cuiuslibet formantis talem propositionem 'hoc mouetur' et alia deperderetur. Immo sequeretur quod propositio scripta uere alteraretur per hoc quod musca uolat. Quae omnia sunt absurda et simpliciter falsa.

Immo uidetur quod in theologia sequeretur haerests manifesta. Nam si ueritas et falsitas propositionum sunt tales qualitates propositionum sicut albedo et nigredo sunt qualitates corporum, tunc quandocumque ueritas aliqua erit, haec erit uera 'haec ueritas est', sicut quandocumque aliqua albedo erit, haec erit uera 'haec albedo est'. Et eodem modo de qualibet falsitate. Tunc accipio falsitatem istius propositionis 'Deus aliquid creat de nouo': haec per illam opinionem est una qlalitas propositionis,

inhaerens sibi, et per consequens est alia res a Deo. Tunc quaero: aut ista res potest creari a Deo aut non potest. Si non potest, igitur est aliquid aliud a Deo quod a Deo creari non potest; quod est contra Euangelistam, dicentem: Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nilil. Si potest creari a Deo de nouo, ponatur in esse. Tunc erit haec uera 'haec falsitas de nouo a Deo creatur'; et sequitur 'haec falsitas de nouo a Deo creatur, igitur aliquid de nouo creatur'; et ultra 'igitur haec est uera: aliquid de nouo creatur a Deo', et per consequens non est falsa; et ultra 'igitur haec falsitas istius propositionis non est'; et ultra 'igitur non creatur a Deo de nouo'. Patet igitur quod falsitas non est talis qualitas propositionis.

Quid igitur est ueritas et falsitas? Dico quod Aristoteles diceret quod ueritas et falsitas non sunt res distinctae realiter a propositione uera uel falsa. Et ideo nisi ista abstracta 'ueritas' et 'falsitas' includant aliqua syncategoremata uel aliquas dictiones aequiualentes, haec est concedenda 'ueritas est propositio uera et falsitas est propositio falsa'.

Sed numquid argumentum praecedens procedit contra istum modum ponendi ueritatem et falsitatem? Dicendum est quod non, quia posito quod haec esset uera 'ueritas est propositio uera et falsitas est propositio falsa', tunc esset haec propositio falsa 'quandocumque haec falsitas erit, haec erit uera: haec falsitas est'. Et ideo concedendum esset quod haec falsitas istius propositionis 'Deus aliquid creat de nouo' potest creari a Deo de nouo. Haec tamen est impossibilis 'haec falsitas creatur a Deo', sicut haec est uera 'album potest esse nigrum', haec tamen est impossibilis 'album est nigrum'.

Et ratio quare ista opinio potest sic dicere, et non praecedens, est ista: quia scilicet ista opinio habet dicere quod ista nomina 'ueritas' et 'falsitas' non sunt nomina simpliciter absoluta sed connotatiua; prior autem opinio habet dicere quod sunt nomina mere absoluta, sicut ista 'albedo', 'nigredo', 'calor' et 'frigus'.

Ista autem secunda opinio est de mente Aristotelis, sicut opinio sua est quod nulla res realiter per inhaerentiam suscipit quaecumque accidentia contraria nisi sola substantia. 'Unde in fine capituli de substantia concludit: "Quare proprium erit substantiae quod, cum sit unum et idem numero, secundum sui mutationem contrariorum esse susceptibilis dicitur. Et de substantia quidem haec dicta sunt".

1.44. DE PRAEDICAMENTO QUANTITATIS

Sequitur nunc disserere de praedicamento quantitatis.

Circa quod est primo sciendum quod hoc commune 'quantitas' est quaedam intentio animae, habetis sub se multa contenta ordinata secundum superius et inferius. Et quia communiter ponitur a modernis quod quaelibet quantitas est quaedam res distincta realiter et totaliter a substantia et qualitate, ita quod quantitas continua est unum accidens medium inter substantiani et qualitatem, quae ponitur esse subiectiue in substantia et esse subiectum qualitatum. similiter ponitur quod

quantitas discreta est quaedam res distincta realiter a substantiis, et idem ponitur de loco et tempore. Ideo de ista opinione perscrutandum est.

Primo autem uolo ostendere quod ista opinio est contra mentem Aristotelis. secundo ponam aliquas rationes contra eam. Tertio recitabo opinionem contrariam, quae mihi uidetur esse de mente Aristotelis, siue sit uera siue falsa, siue catholica siue haeretica.

Quod autem ista opinio sit contra mentem Aristotelis, ostensum est in praecedenti capitulo, quia secundum eum, sicut dictum est ibi, nullum accidens distinctum realiter a substantia est susceptiuum contrariorum per sui mutationem. Si autem quantitas esset accidens et subiectum qualitatum, manifestum est quod mutaretur in recipiendo qualitatem, et ita per mutationem sui in se reciperet contraria, quod est contra mentem Aristotelis.

Item, de mente Aristotelis est, sicut patet IV Physicorum, quod aer potest condensari sine mutatione omnium qualitatum uel aliquarum. Unde quando aer condensatur, non oportet quod deperdat aliquam qualitatem, uel saltem non oportet quod amittat omnem qualitatem quam habuit prius. Ex quo arguo: quando aer condensatur, aut manet tota quantitas praecedens, et praecise illa quae prius, aut non. si sic, igitur eadem quantitas est nunc minor quam prius per hoc solum quod partes quantitatis propinquius iacent nunc quam prius; igitur cum partes substantiae sint eodem modo propinquius iacentes nunc quam prius, et propter aliud non ponitur quantitas, uidetur quantitas esse superflua. Si autem non manet tota quantitas quae prius, igitur aliqua pars deperditur; et cum ad corruptionem subiecti immediati corrumpatur accidens eius, sequitur quod non omnis qualitas manet, quod est contra Aristotelem.

Item, de mente Aristotelis est quod omne accidens est in aliquo subiecto primo, ita quod si sit accidens partibile, una pars illius accidentis est in una parte subiecti et alia pars accidentis in alia parte subiecti, sicut tota albedo est in toto corpore et pars albedinis est in parte corporis. Si autem sit accidens indiuisibile, est in aliquo subiecto indiuisibili primo. Ex quo arguo quod punctus non sit alia res a linea, nec linea alia res a superficie, nec superficies alia res a corpore; et eadem ratione corpus non est alia res a substantia et qualitate secundum eum.

Quod autem ex praedicto principio sequatur quod punctus non sit alia res a linea, probo sic. si punctus sit accidens absolutum, distinctum a substantia, igitur est in aliquo subiecto primo. Tunc quaero: aut in substantia aut in linea. Non in substantia, quia aut in substantia diuisibili, quod est impossibile, quia tunc pars esset in parte, et ita punctus esset accidens diuisibile, quod negant. Aut est in substantia indiuisibili, quod est impossibile, quia secundum Aristotelem in genere substantiae non est nisi materia et forma et compositum, quorum quodlibet, secundum eum, est diuisibile. Sic igitur punctus non est accidens indiuisibile exsistens subiectiue in aliqua substantia immediate tamquam in subiecto primo. Nec est primo in linea, nec in parte lineae, tamquam in subiecto primo, quia linea, et quaelibet pars lineae, est

diuisibilis, et per consequens non est subiectum primum accidentis indiuisibilis. Sic igitur patet quod de mente Aristotelis est quod punctus non est accidens indiuisibile; et eadem ratione linea non est accidens indiuisibile secundum latitudinem distinctum realiter a superficie; et eadem ratione nec superficies est accidens indiuisibile secundum profunditatem distinctum realiter et totaliter a corpore. Et Aristoteles non plus ponit corpus, quod est quantitas, esse distinctum realiter a substantia quam ponit lineam et superficiem distingui a corpore.

Propter quod mihi uidetur quod de intentione Aristotelis est quod quantitas continua non est res absoluta realiter et totaliter distincta a corpore.

Ideo contra istam opinionem communem modernorum intendo aliquas rationes, etiam theologicas, recitare, siue concludant siue non, saltem ualeant quantum ualere possunt.

Unde arguo sic primo: omnem rem absolutam, priorem alia, potest Deus conseruare sine mutatione locali eiusdem et rem posteriorem destruere. Cum igitur, secundum opinionem communem, hoc lignum sit quaedam substantia habens partes, quarum una est sub parte quantitatis inhaerentis toti et alia pars substantiae ligni sub alia parte quantitatis, et ista res substantialis est prior natura illa quantitate inhaerente sibi, poterit Deus sine mutatione locali istis substantiae conseruare eam et destruere illam quantitatem. Quod si sit possibile, ponatur in esse. Quo facto quaero: aut ista substantia habet partem distantem a parte aut non. Si sic, igitur est quanta sine quantitate addita, igitur illa superfiuit. Si non habet partem distantem a parte et prius distabant illae partes, igitur sunt mutatae localiter, quod est contra hypothesim.

Item, omne quod per se ipsum et per partes suas intrinsecas est praesens alicui quanto, ita quod totum est praesens toti et partes partibus, per se ipsum et per partes suas intrinsecas habet partem distantem a parte; omne autem tale per se et per partes suas est quantum. sed substantia materialis per se ipsam et per partes suas est praesens alicui toti quanto, puta saltem illi quantitati informanti eam, si sit talis quantitas informans eam. Igitur per se ipsam et per partes suas habet partem situaliter distantem a parte; igitur per se ipsam et per partes suas est quanta

Item, quod quantitas non sit tale accidens medium inter substantiam et qualitatem et subiectum qualitatum, potest probari per sacramentum Altaris. Quia si sic, qualitates remanentes in sacramento Altaris essent in quantitate subiectiue. Consequens uidetur falsum multis, igitur antecedens. Falsitatem consequentis probo. Primo, quia tunc illae qualitates non essent per se subsistentes, quod est contra Magistrum, libro IV Sententiarum, ubi loquens de colore, sapore, pondere et huiusmodi qualitatibus, dicit quod talia accidentia sunt ibi per se subsistentia.

Similiter, si quantitas esset subiectum illarum qualitatum, illa quantitas uere esset ponderosa et alba et sapida. Consequens est contra Glossam, De consecratione, distinctione secunda, super illud capitulum 'Si per negligentiam', ubi dicit Glossa

quod 'ponderositas remanet ibi cum aliis accidentibus, tamen nihil est ibi ponderosum'.

Istae rationes probant quod quantitas Ionga, lata et profunda non est res distincta a substantia et qualitate.

Quod autem linea non sit distincta a superficie, probo. Quia si linea esset talis res alia, continuans superficies ad inuicem, diuidatur illa superficies. Qua diuisa, quaero: aut est aliqua linea noua aut solum linea prior manet. Si est aliqua linea noua, erunt infinitae nouae, quia diuiso corpore infinitae superficies erunt, habentes infinitas lineas, sicut diuisa superficie erunt infinita puncta terminantia infinitas lineas. Si nulla linea sit noua, igitur remanet illa quae praefuit, et non magis cum una parte superficiei quam cum alia. Igitur uel remanebit per se uel remanebit in distinctis locis cum utraque superficie; quorum utrumque est absurdum, igitur et illud ex quo sequitur.

Item, si linea sit alia res a superficie et punctus a linea, igitur poterit Deus conseruare lineam et destruere punctum. Quo facto, quaero: aut linea est finita aut infinita. Non infinita, manifestum est, igitur finita, et tamen sine puncto. Igitur frustra ponitur punctus terminans lineam.

Similiter, posset Deus conseruare lineam destruendo omnia puncta. Quo facto adhuc linea esset linea, et per consequens quantitas; et non quantitas discreta, igitur continua; igitur uere esset continua, quamuis non esset ibi aliqua alia res a partibus lineae copulans partes ad inuicem. Frustra igitur ponuntur talia puncta distincta a linea. Et eadem ratione frustra ponuntur lineae distinctae a superficiebus, et eadem ratione frustra ponuntur superficies distinctae a corporibus.

Ideo est alia opinio de quantitate, quae mihi uidetur esse de mente Aristotelis, siue sit haeretica siue catholica, quam uolo nunc recitare, quainuis nolim eam asserere. Et ideo quando istam opinionem posui et scripsi super philosophiam, non scripsi eam tamquam meam sed tamquam Aristotelis, quam exposui ut mihi uidebatur, et eodem modo nunc sine assertione recitabo eam.

Est autem ista opinio, quam etiam multi theologi tenent et tenuerunt, scilicet quod nulla quantitas est realiter distincta a substantia et qualitate, siue tales propositiones 'substantia est quantitas', 'qualitas est quantitas' sint concedendae siue non. Et de quantitate quidem continua permanente tenetur per istum modum, scilicet quod quantitas continua pemanens nihil aliud est nisi res una habens partem situaliter distantem a parte, ita quod ista duo 'quantitas continua permanens' et 'res una habens partem distantem a parte' sint aequiualentia in siginficando, in tantum quod erunt termini conuertibiles, nisi aliquis modus syncategorematicus uel aliqua determinatio inclusa aequiualenter in uno impediat conuertibilitatem et praedicationem unius de alio. Et ideo, cuni substantia liabeat partem situaliter distantem a parte, et similiter qualitas, aliqua quantitas non erit alia res a substantia, et aliqua quantitas non erit alia res a qualitate.

Nec uidetur multum consonum theologiae dicere quod Deus non possit facere istas partes substantiae distare situaliter nisi rem aliam absolutam coniungat eisdem. Quod si potest facere, uere ista substantia habebit partem distantem a parte sine re absoluta addita eis, et per consequens erit quanta sine alia re absoluta. Et idem argumentum fieri potest de qualitate. Et ideo, cum substantia possit esse quanta sine quantitate quae sit alia res, et similiter qualitas, quantitas talis media inter substantiam et qualitatem uidetur omnino superfluere.

Propter quod dicunt quod nulla quantitas est alia a substantia et qualitate, sicut nulla est res habens partem situaliter distantem a parte nisi substantia et qualitas. Unde et de sacramento Altaris dicunt quod post consecrationem corporis Christi una quantitas, quae praecessit, erat eadem realiter cum substantia panis, et illa non manet; sed praeter illam manet una quantitas quae est eadem cum qualitate, in qua tamen quantitate non est aliqua qualitas subiectiue, sed omnia accidentia remanentia post consecrationem remanent simul cum corpore Christi sine omni subiecto, quia per se subsistentia. Sic igitur dicunt de quantitate continua.

De quantitate autem discreta dicunt quod numerus nihil aliud est quam ipsae res numeratae. Unde dicunt quod sicut unitas rei non est aliquod accidens additum illi rei quae est una, ita numerus non est aliquod accidens additum illis rebus quae sunt numeratae.

Quod autem unitas non sit aliquod accidens additum rei quae est una, potest ostendi, quia si sit accidens, secundum omnes oportet quod sit respectiuum uel absolutum. Non respectiuum, quia nullum terminum realem habere potest. Unde ad hoc quod aliquid sit unum, non oportet quod sit alicuius unum, nec quod sit alicui unum, et sic de aliis casibus sub quibus aliquid dicitur ad aliud. Nec est accidens absolutum, quia tunc uel esset qualitas, quod euidenter patet esse falsum, uel est quantitas, et tunc uel continua uel discreta, quorum utrumque patet esse falsum. Reliquitur igitur quod unitas non est aliquod accidens realiter distinctum ab illo quod est unum et additum sibi in re extra. Et eadem ratione nec numerus erit accidens additum rebus numeratis.

De loco etiam et tempore dicunt quod non sunt res aliae distinctae. Sed de hoc in libro Physicorum perscrutatum est.

De oratione autem dicunt quod non est nisi ipsae uoces prolatae.

Istis uisis consequenter habent positores praedictae opinionis ponere quod punctus, linea, superficies et corpus et numerus non sunt res totaliter distinctae et realiter nec inter se nec a substantia et qualitate.

Verumtamen, secundum eos, non obstante identitate illorum quae importantur per omnia ista, tamen ista praedicabilia sunt distincta et sunt distinctae species quantitatis. Aliquando enim praedicabilia habent eadem significata et tamen in tantum distinguuntur quod praedicatio unius de alio est impossibilis. Isti enim

termini 'homo' et 'homines' idem significant, et tamen haec est impossibilis 'homo est homines'. Ita est in proposito quod omnia ista easdem res significant et tamen sunt distinctae species et distincta praedicabilia.

1.45. DE OBIECTIONIBUS CONTRA PRAEDICTAM OPINIONEM

Ut autem magis pateat intentio sic opinantium, ponendae sunt aliquae obiectiones propter quas uidetur quod praedicta opinio sit contra mentem Aristotelis et suorum sequacium.

Et primo uidetur dicere oppositum in libro Praedicamentorum, ubi dicit quod multum album non est quantum nisi per accidens. Si tamen quantitas esset qualitas, album esset per se quantum, immo esset per se quantitas.

Item, dicit idem V Metaphysicae: "Secundum accidens uero dictorum quantorum hoc quidem sic dicitur sicut dictum est, quod musicum quantum et album, per esse quantum quidem cui insunt". Ex quo sequitur quod album inest alicui quod est quantum per se, et album est tantum quantum per illud; et ita albedo non est quantitas.

Item, ibidem: "Alia dicuntur secundum se quanta, alia secundum accidens: ut linea quantum aliquid secundum se, musicum uero secundum accidens".

Item, Aristoteles in Praedicamentis ponit quod aliquae sunt quantitates habentes positionem quarum partes copulantur ad aliquem teminum communem, sicut partes lineae ad punctum, partes superfificiei ad lineam et partes corporis ad superficiem. Sed partes alicuius non copulantur ad aliquam partem eiusdem totius; igitur punctus distinguitur a linea et linea a superficie et superficies a corpore.

Item, in libro Posteriorum dicit quod punctus est indiuisibilis; quod non competit lineae neque superficiei.

Item, uult quod unitas est indiuisibilis; et per consequens non est corpus nec linea nec superficies, nec est punctus; igitur est aliquid praeter ista et praeter numerum, quia unitas non est numerus; cuius oppositum asserit praedicta opinio.

Item, I Physicorum contra Parmenidem et Melissum probat plura esse si substantia et quantum sunt; quod non ualeret si substantia esset quantitas.

Sed istis non obstantibus mihi uidetur quod praedicta opinio sequitur ex principiis Aristotelis, siue sit uera siue falsa.

Est autem intelligendum primo quod Philosophus in diuersis locis aequiuoce utitur istis uocabulis 'per se' et 'per accidens'. Quantum autem ad praesens sufficit: Aristoteles in locis allegatis non accipit 'per se' et 'per accidens' ita generaliter sicut in I Posteriorum. Sed illam propositionem dicit esse 'per se' quae uera est, et simul

cum hoc praedicatum nihil connotat quin aliquid tale consimili modo significandi connotetur per subiectum, ita quod euidentem contradictionem includit illam propositionem esse falsam simul cum ueritate propositionis enuntiantis esse de subiecto.

Vel propositionem 'per se' praecise uocat illam in qua praedicatur pars definitionis de definito, uel definitio de deftinto, uel idem de se, uel synonymum de synonymo; aliam autem propositionem uocat propositionem per accidens.

Et per istud patet ad primas instantias. Quando enim dicitur quod 'multum album non est quantum nisi per accidens', intendit Philosophus dicere quod haec est per accidens 'album est quantum', propter hoc quod hoc praedicatum 'quantum' connotat uel significat partem distare a parte, hoc autem subiectum 'album' nihil tale connotat; propter quod hoc praedicatum 'quantum' non debet poni in definitione albi nec e conuerso. Cum hoc tamen stat quod album uere et realiter sit quantum et similiter quod sit uere quantitas. Unde Philo sophus non plus concedit quod album est quantum quam quod album est quantitas: sicut igitur uere et realiter album est quantum, quamuis per accidens, ita uere et realiter, secundum intentionem Philosophi, album est quantitas, quamuis per accidens.

Quod autem haec sit intentio Philosophi patet per eundem, ubi prius. Unde postquam enumerauit species quantitatis et differentias earum dicit sic: "Proprie autem quantitates hae solae sunt quas diximus, alia uero omnia secundum accidens; ad hoc autem aspicientes et alias dicimus quantitates esse, ut multum album dicitur eo quod superficies multa sit". Ex quo colligi potest quod intendit quod de aliis ab illis ibi enumeratis uere dicitur hoc praedicabile 'quantitas', ut album uere dicatur quantitas, quamuis non proprie sed per accidens. Unde dicit: "Ad hoc autem aspicientes et alias dicimus quantitates esse", [id est] et de aliis dicitur hoc nomen 'quantitas', quamuis non per se sed per accidens, de illis autem dicitur per se et proprie, et hoc quia hoc praedicabile 'quantitas' ponitur in definitione eorum. Non sic autem ponitur in definitione albi, nec musici nec hominis nec lapidis.

Unde sciendum est quod numquam Philosophus facit distinctionem quantum ad significationem inter ista duo nomina, quorum unum est abstractum et alterum concretum, 'quantum' et 'quantitas', sed quidquid concedit de uno concedit et de reliquo et indifferenter ponit unum uel aliud. Unde apud eum synonyma sunt, nisi forte abstractum includat aliquod syncategorema uel aliam dictionem aequiualentem quantum ad significationem.

Per idem ad secundam auctoritatem, quod album et musicum dicuntur quanta per accidens, quia istae propositiones 'album es quantum', 'musicum est quantum' et consimiles non sunt per se ita quod in eis praedicetur pars definitionis de definito. Et quando dicitur quod sunt quanta per illud cui insunt, non accipit 'inesse' per realem inexsistentiam sed per praedicationem. Unde haec non est uera 'album est quantum' nisi quia superficies, quae praedicatur de albo, est quanta. Haec enim est

primo uera 'superficies est quanta'. Et propterea quia album praedicatur de superficie et e conuerso, ideo haec est uera 'album est quantum.

Per idem ad aliam auctoritatem: quod ideo dicit alia esse quanta per se, puta lineam, corpus et huiusmodi, quia tales propositiones sunt per se 'linea est quantitas', 'corpus est quantitas' et huiusmodi. Alia autem sunt per accidens, quia tales propositiones sunt per accidens 'album est quantitas', 'musicum est quantitas'.

Ad aliud de Praedicamentis dicendum est quod non est intentio Philosophi dicere quod quantitates habentes positionem habeant partes copulatas ad aliquam rem distinctam totaliter ab illis partibus, quia tali rei, secundum eum, nullum posset subiectum assignari. Oporteret etiam quod esset per se in genere, cum non possit poni pars alicuius exsistentis in genere; et ita esset quantitas uel substantia uel qualitas etc., quorum quodlibet est falsum. Sed intendit Philosophus quod una pars extenditur ad aliam partem, ita quod nihil est penitus medium inter illas partes; et quod hoc est de ratione continui permanentis quod partes sint ad se protensae mutuo, ita quod si una non sit protensa usque ad aliam non erit ex eis unum continuum.

Et ista est differentia inter quantitatem continuam et discretam, secundum Aristotelem, quia ad quantitatem discretam nihil refert an illa quae constituunt quantitatem discretam sint distincta loco et situ uel non, an etiam inter ea sit medium uel non sit medium. Unde ad hoc quod duo homines sint duo nihil refert an inter illos duos homines sit mediuni uel non sit medium. Ita enim sunt duo quando nihil est medium inter eos sicut quando distant ab inuicem per centum leucas, nec in aliquo propter propinquitatem uel distantiam uariatur ista praedicatio istius praedicati 'duo' de istis hominibus, immo si simul essent in eodem loco ita essent duo sicut si non essent in eodem loco. Non sic autem est de partibus continui, quia ad hoc quod sint continuae oportet quod nihil sit medium inter eas, sed oportet quod una sit protensa usque ad aliam, et tamen quod distent situ, et quod faciant unam rem numero, quia aliter non sunt continuae. Si enim non constituant unam rem numero, uel non sint usque ad se protensae mutuo, uel non sint distantes loco uel situ non sunt continuae. Nullum autem praedictorum requiritur ad quantitatem discretam. Et propter lioc dicit Aristoteles quod partes copulantur ad terminum communem, hoc est sunt ad se protensae, simul cum hoc quod non sunt in eodem loco, in tantum quod si esset aliquod indiuisibile, illud terminaret utrumque. Non sic autem est de quantitate discreta, quia partes non sunt necessario ad se protensae, immo ita possunt constituere quantitatem si aliquid sit medium sicut si nihil sit medium.

Et propter idem dicit quod partes quantitatis continuae habent positionem, quia ad hoc quod sint partes quantitatis continuae oportet quod situaliter distet una ab alia, ita quod contingat dicere quod una pars est ibi et alia hic et alia alibi. Ad quantitatem autem discretam non requiritur talis distantia situalis, sicut dictum est. Unde materia et forma uere sunt duae res, et tamen situaliter non distant.

Ad aliud dicendum est quod quando Philosophus dicit punctum esse indiuisibilem, uel loquitur secundum opinionem famosam, uel loquitur condicionaliter: quod punctus esset indiuisibilis si esset alia res a quantitate. Vel per illam propositionem 'punctus est indiuisibilis' intelligit istam 'una pars continui extenditur ad aliam sine aliquo diuisibili medio inter illas partes', sicut per istam 'partes lineae copulantur ad teminum communem' intelligit istam 'partes lineae protenduntur ad se sine aliquo medio intercepto'.

Ad aliud dicendum est quod Philosophus non intendit quod unitas sit quaedam res omni parte carens, quia talis res nulla potest esse in istis inferioribus secundum eum, sed per istam propositionem 'unitas est indiuisibilis' intelligit istam 'illud quod est unum non est plura'. Et quod haec sit intentio sua declaraui per eundem II Physicorum, ideo hic causa breuitatis omitto.

Ad ultimum dicendum est quod Philosophus non intendit probare multa esse si substantia et quantum sint, per hoc quod substantia non est quantitas, sed per hoc quod impossibile est quod aliquid sit quantum nisi contineat partium pluralitatem. Et ita necessarto si substantia et quantum sunt, multa sunt, quia scilicet partes illius quantitatis sunt. Et hoc sufficit Philosopho contra illos antiquos.

Sic igitur dico quod intentio Aristotelis fuit negare omne indiuisibile in istis inferioribus, nisi forte ponat animam intellectiuam indiuisibilem. Voluit etiam ponere quod omnis res uel est substantia uel qualitas. Et si inueniatur aliquando dicere substantiam non esse quantitatem, uel qualitatem non esse quantitatem, intelligit quod haec propositio non est per se 'substantia est quantitas' nec etiam ista 'qualitas est quantitas'. Et hoc quia hoc nomen 'quantitas' si accipiatur pro quantitate continua permanente connotat unam partem ab alia distare situaliter, non stc autem hoc nomen 'substantia' uel 'qualitas'.

Dico igitur quod intentio Aristotelis et multorum aliorum fuit quod omnis quantitas non est aliqua res totaliter distincta a substantia et qualitate, nec punctus, linea, superficies et corpus sunt res inter se secundum se totas distinctae.

Tenentes autem communem opinionem moderunorum dicerent quod punctus est alia res a linea, copulans et continuans partes lineae ad imuicem; linea autem est alia res a superficie, continuans et copulans partes superficiei; superficies autem est alia res a corpore, continuans et copulans partes corporis ad inuicem; numerus quoque est alia res a rebus numeratis, et accidens exsistens in eis; et similiter oratio est alia res a uoce prolata et quantitas eius. Idem etiam dicerent de loco et tempore quod sunt distinctae res inter se et ab omnibus supra dictis.

1.46. DE ILLIS QUAE PONUNTUR IN GENERE QUANTITATIS

Visa uarietate opinionum circa distinctionem et identitatem quantitatis cum substantia et qualitate secundum utramque opinionem, uidendum est de illis quae

ponuntur in genere quantitatis. Et primo secundum opinionem primam, quae mihi uidetur esse Philosophi.

Unde secundum illam opinionem dico quod omne illud per quod responderi potest ad quaestionem factam per 'quantum' reponendum est in genere quantitatis. Et accipio hic hoc interrogatiuum 'quantum' secundum quod est commune et quasi generale ad 'quantum' stricte sumptum et ad 'quot'.

Potest autem per tale interrogatiuum quaeri de pluribus, ita quod interrogatiuum est expressiuum plurium, sicut si quaeram 'quot sunt hic intus', 'quot homines sunt hic'. Et tunc illud per quod respondetur ad talem quaestionem est inter quantitates discretas connumerandum, quando scilicet exprimit pluralitatem. Et isto modo numerus est quantitas discreta, quia si quaeratur 'quot sunt isti homines' et respondeam 'tres', illud per quod respondeo exprimit plura. Isto etiam modo oratio est quantitas discreta, quia quaerendo de oratione 'quanta est', intelligitur quaestio de pluralitate syllabarum et quantitate earum. Aliter enim contingeret uniformiter quaerere de una littera et de una syllaba, cum possit esse longa et breuis, et ideo illud per quod respondetur debet esse expressiuum plurium, et propter hoc inter quantitates discretas connumeratur.

Si autem interrogatiuum quantitatis non sit expressiuum plurium, oportet quod sit expressiuum unius, habentis plures partes distantes situaliter ab inuicem. Et tunc uel exprimit distantiam secundum longitudinem et sic est linea; uel secundum latitudinem, et sic est superficies; uwl secundum profunditatem, et sic est corpus. Vel quaerit de loco uel de tempore, et sic ista duo 'locus' et 'tempus' reponuntur in genere quantitatis.

Ad cuius euidentiam sciendum est quod ista duo 'locus' et 'tempus' non ita per se pertinent ad genus quantitatis sicut alia, sed de loco et tempore diuersa ratio quaerenda est. Unde tempus ideo non ponitur ita per se de genere quantitatis sicut alia, quia tempus non significat praecise rem exsistentem in rerum natura sicut alia. Unde linea, superficies, corpus et numerus significant res praecise exsistentes, non significando nec connotando aliquid nisi rem exsistentem. Tempus autem, sicut motus, connotat uel significat rem non exsistentem uel in actu uel in potentia. Unde secundum istam opinionem tempus non est aliqua res distincta realiter a motu, nec motus est aliqua res distincta realiter a rebus permanentibus. Immo inotus non importat nisi quod una res habet aliam partem post aliam, uel quod una coniungitur uni post aliam, uel quod coniungeretur sibi si aliqua res quiescens esset sibi approximata. Et ita motus non est aliqua res distincta realiter a rebus permanentibus, et eodem modo nec tempus. Et propter hoc non ponitur tempus nisi quasi per accidens uel quasi passio rerum permanentium exsistentium in genere quantitatis. Et consimiliter motus potest poni in genere quantitatis, sicut ponit Aristoteles V Metaphysicae.

De loco autem alia ratio danda est. Unde locus non dicitur esse per se in genere quantitatis, quia locus non est aliquid distinctum a superficie. Et simul cum hoc, cum

ueritate propositionis enuntiantis locum de subiecto aliquo non potest locus uariis modis et cum uariis determinationibus connotantibus quantitatem successiue uerificari de eodem absque consimili uariatione consimilis praedicationis superficiei uel lineae uel corporis de eodem. Verbi gratia sit haec modo uera 'a est locus' stante ista propositione 'a est locus' non possunt tales uerificari successiue 'a est maior locus', 'a est minor locus', 'a est longior', 'a est breuior' et sic de consimilibus, nisi tales etiam successiue uerificentur 'a est maior superficies', 'a est minor superficies'; uel tales 'a est maior linea', 'a est minor linea'; uel tales 'a est longius corpus uel breuius corpus'. Et uniuersaliter nullae tales determinationes repugnantes additae huic praedicabili 'loco' possunt successiue uerificari de loco nisi simul uerificentur si addantur alicui istorum trium 'linea', 'superficies', 'corpus'.

Et ex isto patet ratio quare non obstante quod ista opinio ponat quod linea, corpus et superficies non sunt distinctae res, sicut nec locus distinguitur ab eis, tamen magis per se pertinent ad genus quantitatis quam locus, quia scilicet non obstante quod significent eandem rem, tamen possunt tales successiue uerificari 'a est longior', 'a est breuior', quamuis nullae tales uerificentur 'a est latius', 'a est minus latum', 'a est profundius', 'a est minus profundum'.

Ex praedictis patet quod locus non est ita distinctum praedicabile a linea, superficie et corpore sicut ipsa sunt distincta inter se.

Ex praedictis etiam colligi potest quod prima et essentialior diuisio et distinctio illorum quae sunt in genere quantitatis sumitur per hoc quod illud per quod respondetur ad interrogatiuum factum per 'quantum', large accipiendo 'quantum', uel est expressiuum plurium, et sic est numerus, uel est expressiuum unius compositi ex pluribus, et sic sumitur magnitudo, quae diuiditur aliquo modo in lineam, superficiem et corpus. Et ita nec oratio nec locus nec tempus continentur ibi in ista diuisione, sed magis sunt passiones uel accidentia eorum.

Et isto modo diuidendi utitur Philosophus, V Metaphysicae, ubi enumerando illa quae sunt quanta per se et primo, non ponit nisi numerum, lineam, superficiem et corpus. Unde primo describens 'quantum' dicit sic: 'Quantum uero dicitur quod est diuisibile in ea quae insunt, quorum utrumque aut singulum, unum aliquid et hoc aliquid natum est esse'. Per primam particulam scilicet 'diuisibile in ea quae insunt' excluduntur tempus et oratio et motus, quia quodlibet istorum importat aliquid quod non est uel importat aliquid quod est negatiue, et hoc saltem uel respectu alicuius uel simpliciter. Iste est inodus loquendi Auselmi, De casu diaboli, qui est multum necessarius in diuersis difficultatibus. Et propter hoc ista non ponuntur primo quanta. Per secundam particulam possunt excludi omnia accidentia et omnes formae et materiae, quia talia non sunt nata esse 'hoc aliquid'. Sed tunc accipitur 'quantum' stricte, pro illo scilicet quod est per se exsistelis, non innitens alteri nec tamquam pars nec tamquam accidens alterius.

Et sic, secundum istam opinionem, sumendo 'quantum' stricte, sola substantia composita ex materia et forma — uel, secundum opinionem Aristotelis, corpus

caeleste — est quantum. Et ideo Philosophis postea enumerando illa quae sic dicuntur quanta, dicit sic: 'Multitudo igitur quantum aliquid si numerabilis fuerit; magnitudo autem si mensurabilis fuerit. Dicitur autem multitudo quoddam diuisibile potestate in non continua; magnitudo autem quod in continua. Magnitudinis autem, quae quidem ad unum continua, longitudo; quae autem ad duo, latitudo; quae autem ad tria, profunditas. Horum autem pluralitas finita, numerus; sed longitudo, linea; latitudo, superficies; profunditas, corpus'.

Ex quo patet quod ista quatuor, lineam, superficiem, corpus et numerum praecise enumerat, et ita nec tempus nec orationem nec locum, propter rationes prius positas.

Post praedicta sciendum est quod aliqua quae ponuntur in genere quantitatis sunt illa per quae respondetur ad quaestionem factam per 'quantum', et sic 'bicubitum', 'tricubitum', 'duo', 'tria', et sic de consimilibus, sunt in genere quantitatis. Alia dicuntur in genere quantitatis quia sunt communia per se primo modo ad talia, et sic linea, superficies, corpus, numerus sunt in genere quantitatis

1.47. DE PROPRIETATIBUS QUANTITATIS

Iuxta praedictam opinionem uidendum est de proprietatibus quantitatis.

Ponit autem Aristoteles tria esse propria quantitati. Quorum primum est quod quantitati nihil est contrarium, sicut linea non est contraria superficiei nec bicubitum contrariatur tricubito.

Sed ex ista proprietate euidenter uidetur haberi quod quantitas non est substantia neque qualitas, quia si quantitas esset qualitas, cum qualitati aliquid sit contrarium, quantitati etiam aliquid esset contrarium:

Ad hoc dicendum est — quod dictum est prius — istum terminum 'contraria' multipliciter accipi posse. Verumtamen Philosophus in negando quantitati aliquid esse contrarium accipit 'contrarium' pro termino aliquo importante res contrarias aliis praecise, quae seilicet ideo dicuntur contrariae quia non possunt simul in eodem exsistere sed successiue, et simul cum hoc partibiliter adquiri possunt. Sic autem accipiendo 'contraria' manifestum est quod nulla per se contenta in genere quantitatis tamquam de aliis praedicabilia contrariantur, nam nullum est per contentum in illo genere cuius quodlibet significatum uel consignificatum contrariatur et repugnat significato uel consignificato alterius. Patet inductiue. Et ita concederent sic opinantes quod haec est uera 'alicui quantitati aliquid contrariatur', accipiendo 'contrariari' pro 'repugnare realiter inesse eidem simul, quamuis non successiue'. Haec tamen est uera 'nulla contenta in genere quantitatis per se contrariantur', accipiendo 'contrariari' illo modo quo dictum est. Unde quamuis albedo et nigredo contrarientur, tamen isti termini 'bicubitum', 'tricubitum' non contrariantur, nec isti 'duo', 'tria', nec isti 'linea' et 'superficies', et sic de aliis. Et ita albedo tricubita contrariatur nigredini bicubitae, et ita quantitas una realiter

contrariatur quantitati alteri. Et tamen isti termini 'bicubitum', 'tricubitum' non contrariantur, quia 'bicubitum' significat albedinem eodem modo quo significat nigredimem, quae tamen albedo contrariatur nigredini.

Breuiter igitur dicendum est quod intentio Aristotelis est quod haec est uera 'quantitas contrariatur quantitati' si termini supponant personaliter pro re extra. Haec tamen uera est 'nulli termini per se contenti in genere quantitatis contrariantur sic quod semper important res contrarias'. Et istam propositionem intelligit Aristoteles quando dicit quod quantitati nihil est contrarium.

Secunda proprietas est quod quantitas non suseipit magis et minus, hoc est nullum contentum sub genere quantitatis praedicatur de aliquo aliquando cum hoc aduerbio 'magis', aliquando cum hoc aduerbio 'minus'. Sicut non dicitur quod ista res est aliquando magis bicubita, aliquando minus bicubita, ad modum quo dicimus quod hoc corpus aliquando est magis album, aliquando minus album; nec etiam dicimus quod ista tria sunt magis tria quam illa, sicut dicimus quod hoc est magis album quam illud.

Tertia proprietas est quod quantitas dicitur aequalis uel inaequalis alteri quantitati, sicut unum corpus dicitur aequale uel inaequale alteri. Similiter est de aliis.

Ex ista proprietate patet quod non est intentio Philosophi negare qualitatem esse quantitatem, nec substantiam esse quantitatem, nam secundum Philosophum haec proprietas est maxime propria quantitati, et per consequens est conuertibilis cum quantitate. Igitur de quocumque dicitur haec proprietas, de eodem dicitur quantitas. Sed haec est uera simpliciter, quamuis non sit per se uera 'unum lignum est aequale alteri' et 'unum album est aequale alteri' et 'una nigredo est aequalis alteri nigredini uel albedini'. Igitur haec est simpliciter uera 'substantia est quantitas' et similiter ista 'qualitas est quantitas', quamuis sit per accidens.

Nec ualet dicere quod non omne aequale uel inaequale est quantitas, quia non est proprie proprium quantitati esse aequale uel inaequale, sed est sibi proprie proprium quod secundum eam aliquid dicitur aequale uel inaequale. Quia non dicit Philosophus quod secundum quantitatem aliquid dicitur aequale uel inaequale, sed dicit quod hoc est proprie proprium quantitati quod quantitas est aequalis uel inaequalis. Unde dicit sic: 'Proprium autem quantitatis maxime est quod aequale uel inaequale dicitur. Singulum enim earum quae dictae sunt quantitatum aequale dicitur et inaequale, ut corpus aequale uel inaequale dicitur, et numerus aequalis uel inaequalis dicitur, dicitur tempus aequale uel inaequale; similiter et in aliis singulis quae dicta sunt aequale uel inaequale dicitur'. Ex istis uerbis apparet quod dicit ipsas quantitates esse aequales uel inaequales, et non aliud secundum eas esse aequale uel inaequale.

Et ideo dicendum est quod sicut albedo et substantia est aequalis uel inaequalis alteri, quamuis per accidens, ita substantia, secundum opinionem Aristotelis; et similiter qualitas est quantitas, quamuis per accidens.

Nec istis obstat illud quod postea dicit Philosophus quod in aliis praedicamentis non dicitur aliquid aequale uel inaequale, quia non tntendit negare quin de contentis in aliis praedicamentis praedicetur 'aequale' uel 'inaequale', sed intendit dicere quod in aliis non dicitur per se aequale uel inaequale sed per accidens tantum. Et hoc insinuat cum dicit: 'In ceteris uero quae quantitates non sunt', supple, per se, 'non multum uidetur aequale uel inaequale dici', quia de illis non per se, sed solum per accidens aequale uel inaequale dicitur. Cum hoc tamem stat quod uere de aliis dicitur aequale uel inaequale, et eodem modo quantitas praedicatur de eisdem.

1.48. QUALITER RESPONDENDUM EST SUSTINENDO QUANTITATEM ESSE ALIAM REM ABSOLUTAM, DISTINCTAM A SUESTANTIA ET QUALITATE ET QUOMODO EXPONENDUS EST ARISTOTELES

Secundum opinionem autem quae ponit quantitatem esse aliam rem absolutam a substantia et qualitate, et quod punctus, linea et superficies et corpus inter se realiter distinguuntur', aliter debet dici.

Unde secundum opinionem illam dimensiones sunt quaedam res informantes substantiam et sustentantes qualitates corporales, ita quod substantia non est dimensio sed est subiectum dimensionis; nec qualitas est dimensio sed est subiectiue exsistens in dimensione. Et tunc quantitas uel habet partes copulatas ad terminum communem uel non habet tales partes copulatas ad terminum communem. Si detur primum, uel illae partes omnes sunt permanentes: et tunc uel sunt extensae secundum longitudinem tantum, et sic est linea; uel secundum longitudinem et latitudinem, et sic est superficies; uel secundum longitudinem, latitudinem et profunditatem, et sic est corpus.

Locus autem a multis ponitur esse idem realiter cum superficie.

Si autem non omnes partes sunt permanentes, sic est tempus. Si autem partes non copulantur ad terminum communem, uel igitur illae partes sunt permanentes, et tunc est numerus; uel non sunt permanentes, et tunc est oratio. Et ita ista ponuntur in genere quantitatis: linea, superficies, corpus, locus, tempus, numerus et oratio.

Punctus autem, instans et unitas non ponuntur in genere quantitatis per se sed per reductionem.

Aliter autem diuiditur quantitas, quia quaedam est habens positionem, et sic sunt istae species: linea, superficies, corpus et locus; quaedam autem non habens positionem, et sic sunt istae species: tempus, numerus et oratio.

Prima autem proprietas quantitatis est non habere contrarium, quia quamuis qualitas exsistens subiectiue in quantitate habeat contrarium, ipsa tamen quantitas non habet contrarium, sicut inductiue patet.

Secunda proprietas est quod quantitas non suscipit magis et minus, quia una quantitas non est magis quantitas quam alia.

Tertia proprietas est quod secundum quantitatem aliquid dicitur aequale uel inaequale, ita quod ipsa quantitas per se et primo est aequalis uel inaequalis, et secundario et per accidens substantia sustentans quantitatem et qualitas exsistens in quantitate subiectiue est aequalis uel inaequalis.

Et de quantitate ista sufficiant.

1.49. DE PRAEDICAMENTO 'AD ALIQUID'

Tertium praedicamentum quod ponit Aristoteles uocatur 'ad aliquid' siue relatio.

Et est primo sciendum quod sicut sunt opiniones contrariae de quantitate ita sunt contrariae opiniones de 'ad aliquid' siue de relatione.

Quidam enim ponunt quod relatio non est aliqua res extra animam distincta realiter et totaliter a re absoluta et a rebus absolutis. Et de ista opinione reputo fuisse Aristotelem et alios philosophos sequentes eum.

Alii autem ponunt quod relatio est quaedam res quae non plus est res absoluta quam homo est asinus, sed est distincta realiter et totaliter a re absoluta et a rebus absolutis. Et de ista opinione sunt multi theologi, quain etiam aliquando credidi fuisse opinionem Aristotelis, sed nunc mihi uidetur quod opinio contraria sequitur ex principiis suis. Unde istam materiam de relatiuis primo uolo prosequi secundum opinionem primam, secundo secundum opinionem secundam.

Tractando autem istam materiam iuxta primam opinionem, primo ponam modum ponendi et ostendam quod opinio illa est Aristotelis; secundo confirmabo eam per aliquas rationes; tertio obiciam contra eam et respondebo illo modo quo responderet Aristoteles, ut mihi uidetur; quarto prosequar de illis quae in isto praedicamento ponuntur.

Est autem ista opinio quod praeter res absolutas, scilicet substantias et qualitates nulla res est imaginabilis, nec in actu nec in potentia. Verumtamen illas easdem res diuersa nomina diuersimode significant. Quia aliqua nomina sic sua significata significant quod absolute possunt de aliquo praedicari absque hoc quod addatur eis aliquis casus obliquus, sicut aliquis est homo, quamuis non sit alicuius homo uel alicui homo, et sic de aliis casibus obliquis. Aliqua autem nomina sic sua significata significat quod de nullo uerificari possunt nisi uere et conuenienter possit eis addi casus obliquis alterius dictionis, sicut impossibile est quod aliquis sit pater nisi sit

alicuius pater, et impossibile est quod aliquis sit similis nisi alicui sit similis, ita quod ista nomina 'pater', 'filius', 'causa', 'causatum', 'similis' et huiusmodi de nullo possunt uere affiimari si significatiue sumantur nisi uere et conuenienter possit eis addi respectu eiusdem aliquis casus obliquus. Et omnia talia nomina uocantur nomina relatiua. Et secundum unam opinionem omnis res pro qua potest tale nomen in propositione uera supponere est uera relatio, ut sic 'relatio' non sit nomen secundae intentionis, nec secundae impositionis, sed sit nomen primae intentionis, quia quando significatiue sumitur pro re, quae non est signum, potest supponere, ut sic haec sit uera 'homo est relatio', 'Sortes est relatio', ex hoc ipso quod Sortes est similis uel pater alterius.

Et quamuis secundum usum theologorum oporteat concedere quod aliqua res extra animam, quae non est signum incomplexum alterius ex quo nata est componi propositio, sit relatio, tamen puto quod Alistoteles nihil posuit relatiuum nec 'ad aliquid' nec relationem nisi solum nomen ex quo nata est propositio mentalis, uocalis uel scripta componi. Et ideo secundum opinionem Alistotelis, ut aestimo, 'relatio' siue 'ad aliquid' siue etiam 'relatiuum' erat nomen secundae impositionis uel nomen secundae intentionis et non nomen primae intentionis. Et ideo secundum suam opinionem non debet concedi quod homo est relatio uel albedo est relatio, sed debet concedi quod lioc nomen 'pater' est relatiuum, et non debet concedi quod iste homo qui est pater est relatiuum.

Et quod ista sit opinio Aristotelis potest persuaderi. Primo, quia Philosophus in Praedicamentis definiens 'ad aliquid' dicit quod 'ad aliquid talia dicuntur quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur, uel quomodolibet aliter ad aliud'. Et exemplificat quomodo aliquid dicitur ad aliud diuersimode, quia aliquid sub habitudine casus genitiui, aliquid sub habitudine casus ablatiui uel datiui. Ex hoc arguo sic: nihil dicitur alterius sub habitudine casus genitiui uel ad aliud sub alio casu nisi nomen; sed omne ad aliquid dicitur ad aliud sub aliqua habitudine tali casuali; igitur omne ad aliquid est nomen. Unde et omnes expositores dicunt quod ad aliquid sub aliqua liabitudine casuali ad aliud dicitur; tale autem quid nonnisi nominibus competere potest. Relinquitur igitur, secundum Philosophum, quod 'ad aliquid' est nomen importans suum significatum, sic quod non potest pro eo conuenienter supponere nisi possit sibi addi aliquis casus obliquus.

Nec ualet dicere quod Philosophus istam definitionem relatiuorum reprehendit uersus finem capitul, quia Philosophus ibidem non intendit quod ista definitio ab aliquibus relatiuis remoueatur, sed dicit ibidem quod ista deftnitio conuenit omnibus relatiuis, non tamen est conuertibilis, sed est in plus, sicut patebit inferius. Et ita omne relatiuum est tale nomen secundum eum, sicut patet per ipsum ibidem. Per quem etiam ibidem patet quod substantias primas et secundas uocat nomina substantiarum, quia aliquas substantias ponit quae dicuntur aliorum, sed illae res non dicuntur aliorum sed nomina tantum, quamuis sint aliorum.

Item, Philosophus in Praedicamentis ponit quod omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam si conuenienter assignentur. Ubi etiam ponit quod ubi deficiunt nobis

nomina, licitum est fingere nomina ad quae alia relatiua dicuntur. Ex istis arguo sic: nos non assignamus nisi nomina, sicut nec utimtur nisi nominibus; cum igitur nos assignemus relatiua, ipsa nomina erunt relatiua. Praeterea, secundum intentionem Philosophi, nos fingimus relatiua ad quae dicuntur alia; sed non fingimud nisi nomina; igitur ipsa nomina sunt relatiua.

Et si dicas quod secundum Philosophum non fingimus relatiua sed fingimus nomina relatiuorum; unde dicit Philosophus: 'Aliquotiens et forte nomina fingere necesse est, si non fuerit nomen impositum ad quod conuenienter assignetur'. Igitur uidetur quod possumus fingere nomen relatiuum et non ipsum relatiuum:

Sed istud non ualet ad intentionem Philosophi, quia ipse intendit quod fingimus ipsum relatiuum. Quando enim non est nomen relatiuum impositum ad significandum correspondens alteri correlatiuo, tunc licitum est fingere nomen relatiuum. Unde dicit quod 'necesse est fingere si non fuerit nomen impositum ad quod conuenienter assignetur', et per consequens ad nomen fictum assignatur relatiuum; Sed non assignatur nisi ad relatiuum; igitur ipsum nomen est relatiuum.

Hoc idem patet per eudem, ibidem, nam postquam exemplificauit quomodo relatiua aliqua dicuntur ad conuertentiam, subdit: 'Similiter autem et in aliis; sed casu aliquotiens differunt secundum locutionem'. Ex quo patet quod dicit relatiua differre casu; sed sola nomina differunt casu; igitur secundum eum sola nomina sunt relatiua.

Item, quod non ponat relationes esse alias res, potest persuaderi sic: si relatio esset alia res, quandocumque adueniret alicui, illa res uere haberet rem nouam in se, et per consequens uere mutaretur; quod est contra eum, V Physicorum, ubi ponit relationem aduenire ipso nihil mutato.

Item, secundum Philosophum, V Metaphysicae, 'calefactiuum est ad calefactibile'; igitur si relatio esset alia res in calefactiuo, esset talis res ad illud calefactibile quod nihil est.

Item, tunc essent in eodem res infinitae actualiter. Probatio: nam ista res est calefactiua illius ligni et etiam infinitorum, seilicet sol, secundum Philosophum, quia sol calefacit infinita corpora; igitur cuiuslibet illorum est modo calefactiuus. Si igitur relatio sit alia res, tot erunt res actualiter exsistentes in sole quot erunt celefacta a sole. Sed sol calefacit tnfinita, igitur infinitae res, quarum quaelibet secundum se tota est distincta ab alia, modo sunt in sole. Quod est contra Philosophum, VI Physicorum, negantem talia infinita esse in rerum natura.

Nec ualet dicere quod ad omnia illa calefactibilia est una relatio, et non uariantur relationes secundum uariationem terminorum, quia eadem facilitate dicetur quod respectu omnium non oportet ponere nec unam talem relationem, sed sufficit quod sit una res quae potest appellari diuersis nominiibus, uel eodem nomine, adiectis sibi diuersis casibus obliquis.

Similiter, qua ratione dicis quod respectu omnium eiusdem rationis sufficit unica relatio, eadem ratione et aeque faciliter dicam ego quod respectu quorumcumque, etiam specie et genere distinctorum, sufficit una relatio, ita quod non oportet ponere tales relationes extra animam distinctas specie.

Sic igitur mihi uidetur quod opinio Aristotelis fuit quod sola nomina suiit ad aliquid uel relatiua. Et isti opinioni concordant multi grammatici, ponentes ad aliquid uel relatiuum esse speciem nominis. Unde Priscianus, in Maiori Volumine, libro III, cap. De nomine, enumerans multas species nominis, inter alias enumerat 'ad aliquid', dicens: 'Ad aliquid dictum est quod sine intellectu illius ad quod dictum est proferri non potest, ut 'filius', 'seruus'. Nam dicendo filium etiam patrem, et dicendo seruum dominum quoque intelligo; quod si intereat, una interimit illud quod ab eo intelligitur'. Eandem sententiam dicunt alii grammatici, sequentes praedictum auctorem.

1.50. QUOD RELATIO NON SIT ALIA RES A RE ABSOLUTA

Pro ista opinione possunt nonnullae rationes adduci, siue concludant siue non, ad praesens non curo.

Unde arguitur sic: si relatio esset res extra animam, distincta realiter a re absoluta, sequeretur quod potentia materiae primae, qua potest recipere formam, esset alia res a materia; consequens est falsum, quia tunc essent in materia infinitae res, ex quo potest successiue infinitas formas recipere.

Item, si esset talis alia res, quandocumque asinus inoueretur localiter hic inferius, quodlibet corpus caeleste mutaretur et reciperet aliquam rem de nouo in se, quia aliter distaret ab isto asino nunc quam prius, et si distantia esset alia res, uere perderet unam rem et aliam de nouo reciperet.

Item, tunc in isto corpore essent infinitae res. Probatio: quia a qualibet parte alterius corporis distat realiter; sed partes alterius corporis sunt infinitae; igitur in isto corpore sunt distantiae infinitae ad infinitas partes alterius corporis.

Praeterea, istud lignum est duplum ad suam medietatem. Si igitur illa dupleitas sit talis res alia ab isto duplo, eadem ratione relatio qua istud ligbum excedit medietatem suae medietatis erit res alia existens in isto ligno, et eadem ratione ad quamlibet medietatem cuiuseumque medietatis erit alia res in isto ligno. Cum igitur in isto ligno sint tales partes eiusdem proportionis infinitae, et non est eadem proportio istius totius ligni ad quaseumque duas illarum partium, sequitur quod in isto ligno erunt relationes infinitae, distinctae specie.

Si dicatur: illae partes illius ligni non sunt in actu sed in potentia, et ideo relationes illae non sunt infinitae actu, contra: illae partes sunt in rerum natura, quia aliter eiis componeretur ex non—ente; igitur relationes correspondentes istis partibus

sunt in rerum natura, et per consequens res infinitae, distinctae specie, sunt in isto ligno.

Praeterea, hoc lignum realiter est duplum ad suam medietatem, igitur in hoc ligiio est realiter et actualiter relatio dupleitatis ad suam medietatem. Sed non plus est una pars in actu quam alia, quia omnes partes sunt similes; igitur quaelibet alia pars est in actu, ita quod ad eam potest esse relatio realis. Ergo ad quamlibet erit relatio realis et actualis; et illae partes sunt infinitae; igitur in isto ligno sunt infinitae relationes.

Praeterea, si aliqua relatio sit talis res, dupleitas erit talis res. Tunc quaero: aut illa dupleitas a ad b est accidens diuisibile aut indiuisibile. Non potest dici quod sit accidens indiuisibile: tum quia in isto ligno nullum est accidens indiuisibile quod denominet totum illud lignum; tum quia quaero de primo subiecto illius accidentis: aut est diuisibile aut indiuisibile. Non indiuisibile, manifestum est. Igitur oportet quod sit subiectum diuisibile; sed subiectum diuisibile non potest esse primum subiectum accidentis indiuisibilis; igitur illud accidens non est indiuisibile.

Nec potest dici quod est accidens diuisibile et extensum, quia quaero de partibus illius accidentis: aut sunt similes aut dissimiles. Si similes, igitur conueniunt in nomine et definitione totius, et per consequens quaelibet pars dupleitatis erit dupleitas; et per consequens quaelibet pars erit dupla ad illud ad quod totum est duplum, quod est absurdum. Si sint partes dissimiles, igitur distinguuntur specie, et per consequens si componant unam rem, oportet quod una illarum rerum sit actus et alia se potentia, et per consequens dupleitas componeretur ex actu et potentia. Similiter, si una pars esset actus et alia potentia, et actus et potentia quando faciunt unum non distant situaliter, oporteret quod illae partes non distarent situaliter, et per consequens non constituerent unum extensum nisi ponantur aliae partes praeter illas.

Item, pro ista opinione potest argui theologice: omnem rem quam potest Deus facere mediante causa secunda efficiente potest per se facere sine omni causa secunda efficiente. Cum igitur in isto efficiente ponatur quidam talis respectus efficientiae causatus a Deo mediante causa secunda, poterit Deus illum respectum facere sine hoc quod aliqua causa secunda efficiat simul cum Deo. Ponatur igitur in esse, si sit possibile. Quo posito probo quod positum sit impossibile: quia si Deus efficit istum respectum in isto, igitur illud est efficiens, quia tunc sicut in quocumque est albedo illud est album, ita in quo erit ille respectus efficientiae illud erit efficiens. Sed si illud est efficiens, et non est efficiens nisi respectus, igitur non solus Deus efficit istum respectum. Et ita ex posito sequitur suum oppositum, et per consequens non est possibile.

Praeterea, omnem rem quam Deus conseruat sine alia re, potuit uel potest producere de nouo etsi illa alia res non sit nec unquam fuerit. Si ergo paternitas qua pater refertur ad filium sit alia res a patre et filio, et Deus eam conseruat sine generatione, quia illa praeterita est, igitur potest uel potuit Deus istam paternitatem

de nouo producere etsi numquam fuisset illa generatio, et per consequens poterit aliquis pater esse illius quem non genuit.

Item, ponatur quod Deus creet de nihilo unum hominem, post quem creet alios homines, et postea alii generentur. Quo posito arguo sic: qualis res et in aliquo istorum hominum potest Deus de sua potentia absoluta facere talem rem in isto homine; sed filiatio est in uno illorum, hominum; igitur potest Deus facere talem filiationem in isto. Et per consequens, isto posito, iste erit filius, et nonnisi hominis. Et non est aliquis alius homo ab isto nisi iunior eo, per causum; igitur iste homo erit filius hominis iunioris se, quod contradictionem uidetur includere.

Aliae rationes innumerae possent adduci pro ista opinione, quas causa breuitatis omitto.

1.51. DE OBIECTIONIBUS QUAE POSSENT FIERI CONTRA PRAEDICTA

Et quod haec non sit opinio Aristotelis, fortasse quis obiciet

Primo quidem ex dictis in Categoriis, tibi enumerans praedicamenta dicit: 'Eorum quae secundum nullam complexionem dicuntur singulum aut significat substantiam aut quantitatem aut qualitatem', et sic de aliis. Ex quo uidetur intendere distinctas res distinctis generibus importari, et ita cum relatio sit unum decem generum, importabit rem aliam ab his quae per alia genera importantur.

Praeterea, in eodem dicit: 'Ad aliquid sunt quaecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur'. Per quod excluduntur substantiae, quae licet sint aliorum, non tamen sunt ad aliquid. Hoc autem non uidetur uerum de terminis nec de rebus extra quas absolutas dicunt. Relinquitur igitur esse aliquid aliud ab his cui competat esse ad aliquid.

Adhuc, quomodo uera erunt quae Aristoteles ibidem docet de relatiuis, ut quod contrarietas inest in relatione, et quod relatio suscipit magis et minus, et quod relatiua sunt simul natura? De terminis enim et rebus absolutis, ut uidetur, uerificari non possunt.

Hoc etiam persuaderi uidetur rationibus ex principiis Aristotelis deductis: 'Impossibile enim est idem simul esse et non esse'; sed absoluta sunt relatione transeunte; necesse est igitur ea esse distincta.

Ulterius, passio realiter differt a subiecto, cum realiter demonstretur de eo; et idem non demonstratur realiter de se ipso. Aequale autem et inaequale, et nonnulla relatiua, sunt passiones, cum sit proprium quantitati aequale uel inaequale dici, et qualitati simile uel dissimile, ut docet Aristoteles in Praedicamentis. Igitur etc.

Item, quod est principium operationis realis necesse est esse reale. Relatio autem uidetur esse huiusmodi: aliqua namque aliter et aliter proportionata et

ordinata faciunt delectationmn, quam non facerent indeterminata proportione, uel ordine circumseripto.

Amplius, quomodo saluabitur distinctio decem praedicamentorum, quorum septem ponuntur relatiua; et distinctio entis creati in absolutum et respectiuum; aut entis extra animam in decem categorias? Quomodo etiam consueta et communes locutiones stare poterunt, ut quod pater patemitate est pater; et filius filiatione est filius; et similis similitudine est similis, non enim nihilo est similis; aut quod relatio est accidens, et his similia?

Impossibile quoque uidetur sine respectu unionis astruere quem ad modum uniatur forma materiae, pars parti in continuo, accidens suo subiecto et spiritus naturae corporeae. Unionem namque spirituum ad naturas corporeas non solum Lex Christiana sed et omnis natio, ritus et secta fatetur; et lioc ipsum apud magos, pythones et ceteros superstitionum huiusmodi sectatores familiarissimum est.

Si praedicta etiam opinio esset uera tunc idem esset in diuersis praedicamentis, quod Aristoteles non recipit, ut uidetur, cum apud eum propositio negatiua in qua unum praedicamentum negatur ab alio sit immediata.

Ex his forsan putabit aliquis Philosophum aliter esse opinatum quam superius ostensum est. Sed diligenter consideranti non debet propter has rationes uideri ambiguum Aristotelem talia entia extra animam nullatenus posuisse.

Quod enim primo inducitur non arguit distinctionem rerum correspondentem illis distinctis inconiplexis, sicut nec arguitur distinctio rerum in Deo ex hoc quod dicimus nominum diuinorum alia significare iustitiam, alia sapientiam, alia bonitatem, alia potentiam, et sic de aliis; uel in equo ex hoc quod dicimus nomtnum de equo dictorum aliqua significare equi substantiam, aliqua mobilitatem, aliqua corruptibilitatem, et sic de aliis. Sed est sensus talium locutionutm quod terminorum de Deo dictorum quidam important quod Deus iustus est, quidam quod sapiens, quidam quod bonus, et sic de aliis; et quod terminorum de equo dictorum quidam significant quid equus sit, quidam quod mobilis, quidam quod corruptibilis, et sic de aliis. Eodem modo in proposito: 'Singulum incomplexorum aut significat substatitiam, aut quantitatem etc.', sensus est quod quidam terminorum significant quid res est, quidam qualis est, quidam quanta est, quidam ad quid est, puta cui similis uel aequalis, quidam quid agit, quidam quid patitur etc.

Manifestius igitur Aristoteles expressit naturam praedicamentorum V Metaphysicae, dicens: 'Quoniam igitur praedicamentorum alia quid est significant, alia quale, alia quantum, alia ad aliquid' etc. Est ergo mens Aristotelis non qui termini quas res significent, sed intendit ostendere quomodo aliqui termini sunt absoluti, aliqui connotatiui, aliqui relatiui, sicut alibi sufficienter declaratum est.

Eodem modo ad aliud dicendum est quod secundum mentem Aristotelis ipsi termini proprie dicuntur ad aliquid seu relatiui 'qui hoc ipsum quod sunt aliorum

dicuntur', hoc est ex hoc quod sunt tales termini sic significantes aliquid, aliud dant intelligere, ita quod nulla propositio in qua praedicatur talis terminus de aliquo potest sciri nisi sciatur determinate illud quod dat intelligere. Et propterea tales termini 'caput', 'ala', 'manus' et huiusmodi non sunt ad aliquid: quocumque enim horum uiso potest sciri quid tale sit, puta 'caput', 'ala', 'manus', quamuis ignoretur cuius sit.

Quo modo autem sit in relatione contrarietas: considerandum est quod contraria quandoque dicuntur quorum unum non compatitur secum aliud realiter, ita quod ad utrumque potest esse motus proprie, sicut albedo et nigredo sunt contraria. Quandoque uero dicuntur contraria termini qui non possunt simul de eodem respectu eiusdem uerificari. Et hoc modo contrarietas est in terminis relatiuis, ut 'simile' et 'dissimile', 'aequale' et 'inaequale' contraria sunt, cum de eodem respectu eiusdem uerificari non possint. 'Suscipere quoque magis et minus' sumitur aliquotiens pro uera additione rei ad rem, sicut albedo uel lux suscipit magis et minus; quandoque in praedicatione, puta cum aliquod nomen recipit comparationem, et sic relatio suscipit magis et minus, quod tamen non semper contingit propter additionem rei ad rem sed plerumque propter solam ablationem, sicut inaequale fit magis aequale propter ablationem partis suae. Unde sicut contingit aliquando aliquid denominari nomine relatiuo propter mutationem in altero solum, ita contingit 'magis et minus' sic denominari propter solam mutationem in altero uel ablationem in se ipso seu augmentationem alicuius absoltiti in se ipso.

Similiter etiam relatiua dicuntur simul natura, non quia sint aliquae res quarum una necessario exigat aliam et e conuerso, sed ex hoc quod si esse exsistere praedicatur de uno significatiue accepto, necessario uerificabitur de alio, eodem modo sumpto. Sequitur enim 'duplum est, ergo dimidium est' et e conuerso.

Ad aliud dicendum faciliter, concedendo conclusionem quod absoluta realiter distinguuntur a relationibus, quia relationes dicuntur termini relatiui, qui realiter distinguuntur a rebus extra. Saepe tamen hic modus arguendi decipit imperitos, ut cogat ad pluralitatem. rerum, quas in rei ueritate ponere non oportet; ut 'creatio est, conseruatio non est, igitur creatio distinguitur a conseruatione'. Sed quando talis modus arguendi teneat, in sequentibus apparebit.

Si dicas quod album realiter de non—simili fit simile, circumseripto omni termino, ergo aliquid habet quod non habuit, dico quod album de non—simili fit realiter simile per hoc solum quod fit unum aliud album et non per aduentum cuiuseumque nouae rei in ipso. Quemadmodum enim Deus de non creante fit creans et columna de nondextera fit dextera sine quacumque re noua recepta in eis, sic in proposito existimandum est.

Quod uero inducitur de passione et suo subiecto, faciliter soluitur praecognito quid est passio demonstrabilis: quae non est aliquid realiter exsistens extra in subiecto, sed est quoddam praedicabile per se secundo modo de subiecto, natum

supponere pro eodem pro quo subiectum supponit. Et hoc modo 'simile' uel 'dissimile', 'aequale' uel 'inaequale' dicuntur passiones qualitatis uel quantitatis.

Ex hoc etiam quod experimur diuersos effectus causari per hoc quod aliqua aliter et aliter disponuntur et ordinantur non est putandum relationem, quam significant, esse causam illorum, sed absoluta potius quae sic et aliter proportionantur. Sicut enim causa nunc potest aliquid causare quod non prius fuit ex hoc solo quod est approximata passo, et non propter additionem cuiuseumque nouae rei, sic et in musicis et picturis aliqua diuersimode proportionata causant delectationem quam aliter non causarent.

Quod uero consequenter additur de distinctione praedicamentorum, quibusdam facit difficultatem. Et iam dixit Auicenna illam esse famosam tantum, et ideo nemo cogitur eam sine efficaci probatione tenere. Peripateticorum uero, dictis Aristotelis inhaerentes, habent aliter dicere, uidelicet quod distinctio praedicamentorum non sumitur ex distinctione rerum quas important sed potius ex distinctione interrogatorum de indiuiduo substantiae, ut docet Auerroes VII Metaphysicae. Non enim putandum est decem genera esse res extra animam, aut significare decem res quarum nulla significatur nisi per unum illorum, sed doctrina Peripateticorum astruit decem genera fore decem terminos easdem res aliter et aliter importantes. Quemadmodum enim octo partes orationis possunt esse distinctae et tamen significare idem, ut 'album', 'albescens', 'albescere', 'albe', sic cum distinctione praedicamentorum potest stare identitas rerum quas important.

Similiter distinctio entis per absolutum et respectiuum non est entis in quantum ens sed terminorum, sicut distinctio per abstractum et concretum, per proprium et appellatiuum, per adiectiuum et substantiuum, cum nulla res proprie dicatur absoluta uel respectiua. Quare enim diceretur absoluta? Aut quia distinguitur a quolibet alio: et tunc relatio, quam moderni ponunt extra, esset absoluta, cum ponant eam distingui realiter a quolibet alio. Aut quia non coexigit aliquid aliud seu iion dependet ad aliquid aliud: et sic nullum accidens esset absolutum, nec forma substantialis, nec aliqua creatura; horutn enim quodlibet alio indiget et ab alio dependet ut sit. Aut dicitur absoluta quia potest per se intelligi, non requirens terminum suae cognitionis: et tunc materia et omnia accidentia et diuinitas non essent absoluta, si secundum opinionem mulutorum nec materia sine forma nec accidens sine subiecto nec deitas sine personis potest intelligi. Vel si haec dixeris posse per se intelligi, nulla omnino remanet ratio quin etiam illa forma respectiua possit per se intelligi.

Et quod additur de diuisione entis extra animam, patet euidenter litteram VI Metaphysicae intuenti quod illa non est diuisio rerum extra sed terminorum, sicut et illa quae ponuntur in. Praedicamentis et V Metaphysicae Tum quia dicit compositionem et diuisionem aliud esse ab his quae mens copulat et diuidit; tum quia postremo subiungit quod 'ens dicitur multipliciter, sicut dictum est in his quae de quotiens. Hoc enim significat quid est, hoc autem quale aut quantum' etc. Constat

autem quod haec non possunt competere rebus sed terminis, quorum proprie est compositio, diuisio et significatio.

Quae uero consueta sunt dici de relationibus, multa impropria, nonnulla falsa et fabulosa esse constat, sicut latissime patet perscrutanti uolumina de his edita a modernis, licet eorum aliqua uerum habeant intellectum, ut quod pater paternitate est poter et filius filiatione est filius et similis similitudine est similis, et his similia. In quibus locutionibus non oportet fingere rem aliquam per quam pater sit pater et filius sit filius et similis sit similas. Nec oportet multiplicare res in talibus lucutionibus 'columna est dextera dexteritate', 'Deus est creans creatione, bonus bonitate, iustus iustitia, potens potentia', 'accidetis inhaeret inhaerentia', 'subiectum subicitur subiectione', 'aptum est aptum aptitudine', 'chimaera est nihil nihilitate', 'caecus est caecus caecitate', 'corpus est mobile mobilitate', et sic de aliis innumeris.

Explicite igitur et absque ambiguitate loquendo quaelibet harum propositionum resoluenda est in duas, utendo deseriptione Ioco nominis, ut: Pater est pater patrnitate, id est pater est pater quia genuit filium; filius est filius filiatione, id est filius est filius quia genitus est; similis est similis similitudine, id est similis est similis quia habet qualitatem eiusdem speciei cum alio. Et sic de aliis.

Si uero hic modus ponendi displiceat, possunt aliter saluari huiusmodi locutiones absque rerum multiplicatione, ponendo quod abstractum et concretum, puta pater et paternitas, filius et filiatio, similis et similitudo idem significant. Et tunc erit sensus: pater est pater paternitate, id est se ipso, sicut Deus est creator creatione actiua, id est se ipso, quia creatio actiua non dicit rem additani Deo; et Deus est bonus bonitate, id est se ipso, cum eius bonitas non sit aliud quam ipse.

Qualiter etiam concedendum est relationem esse accidens, docet Anselmus, Monologion, cap. 25. Non enim dicitur accidens quia sit forma realiter informans substantiam de qua dicitur, sicut albedo, sed quia est quoddam praedicabile de aliquo contingenter, quod potest successiue affirmari et negari propter transmutationem illius de quo dicitur uel alterius, ut aequalitas et similitudo, doimnus, creator etc.

Nec illud quod subiungitur de materia et forma, subiecto et acci dente, toto et partibus, et spiritibus unitis corporibus concludit renm relatiuam mediam inter illa unita. Eadem enim quaestio remaneret de illa re media: quomodo facit unum cum eo in quo poneretur? Aut enim se ipsa, et eadem ratione standum fuit ni primis unibilibus; aut alia unione, et tunc procedetur in infinitum. Ponatur enim illa res media per quamcumque potentiam separata ab unibilibus, deinde uniatur illis sicut accidens suo subiecto: quomodo de non unita fiet unita? An per aliam rem mediam? Et redit pristina difficultas.

Ideo dicendum est breuiter sicut docet Aristoteles, VIII Metaphysicae, ubi quaerens quomodo materia et forma faciunt unum, reddit causam dicens quod illud est actus et illud potentia, quia horum quodlibet suo modo est alteri unibile, quia

unum est actus et aliud potentia aut utrumque actus et potentia. Non quidem semper actus informans sed quandoque informans, quandoque mouens, quandoque regens et gubernans. Et aliis modis.

Ex dictis quoque manifestum est quod nulluin est inconueniens apud Aristotelem eandem rem per diuersa praedicamenta importari, cum ponat scibile et scientiam, sensibile et sensum in praedicamento relationis et in aliis praedicamentis.

Nec obstat quod dicit immediatam propositionem in qua unum praedicamentum remouetur ab alio, quia hoc non est propter diuersitatem rerum quas important, sed quia unum non praedicatur de alio praedicatione directa et primo modo dicendi per se sed per accidens. Exemplum: eadem res importatur per creationem et conseruationem, et tamen unum uere negatur ab alio. Sic et hic.

Sic igitur Aristoteles opinatus est de relatiuis quaemadmodum dictum est.

Opinio uero contraria duplicem uidetur habere radicem. Una quidem radix est quia nonnulli nimis innituntur proprietati sermonis uulgatae philosophiae, quae multis praebuit occasionem erroris. Tum quia defectuose translata; tum quia propter obscuritatem Graeci sermonis in Latinum translati male intelligitur et peruersus inde quandoque intellectus elicitur; tum quia dicta auctorum falso saepissime allegantur, cuin tamen etiam ueraciter allegatis fidem non expediat adhibere multorum errorum labe respersis.

Secunda radix est multiplicare entia secundum multitudinem terminorum, et quod quilibet terminus habet quid rei; quod tanien abusiuum est et a ueritate maxime abducens. Non enim quaerendum est in omnibus terminis quid rei sed tantum quid nominis in multis, quales sunt omnes termini relatiui et nonnulli alii, quorum quilibet aequiualet in significando longae orationi. Et ideo propositiones in quibus ponuntur resoluendae sunt et exponendae, utendo aliquotiens descriptione loco nominis, quia uoces et conceptus decipiunt.

1.52. DE ILLIS QUAE SECUNDUM ISTAM OPINIONEM PONUNTUR ESSE IN GENERE RELATIONIS VEL AD ALIQUID

Ista opinione sic declarata, quae mihi uidetur fuisse Aristoteles, uidendum est secundum istam opinionem de illis quae ista opinio ponit esse in genere relationis.

Et est primo sciendum quod secundum istam opinionem, sicut dictum est, nihil est in genere relationis nisi nomen, et hoc uel mentale uel uocale uel scriptum; et hoc nonnisi nomen illud cui potest conuenienter addi in propositione casus obliquus.

Sed sciendum est quod talia nomina quibus conuenienter potest addi casus obliquus sunt in duplici differentia. Quaedam enim sunt quibus semper, quandocumque uere praedicantur de aliquo, conuenienter addi potest sibi solum

suum abstractum, quod est abstractum primo modo abstractorum, de quo modo dictum est prius. Sicut est de talibus nominibus concretis 'album', 'calidum', 'dulce', 'animatum', nam nihil est album nisi sit album albedine, nec aliquid est calidum nisi calore sit calidum, et sic de aliis. Sed talia, quamuis ponantur connotatiua, non tamen dicuntur relatiua.

Alia nomina sulit quae non possunt de aliquo uerificari nisi conuenienter et uere possint addi eis nomina, non abstracta eorum, sed alii casus obliqui qui non sunt eorum abstracta, cuiusmodi sunt talia nomina 'dominus', 'seruus', 'pater' et 'filius', et sic de aliis. Nullus enim est pater nisi sit alicuius pater, nec aliquis est similis nisi sit alicui similis. Et ista uocantur relatiua 'secundum esse', quia scilicet impossibile est quod uerificentur de aliquo nisi tunc eis conuenienter possit addi casus obliquus. Et de istis relatiuis, quando sunt talia quod contingenter praedicantur de aliquo et contingenter uerificantur de illis de quibus praedicantur posita constantia subiecti, impossibile est scire ipsum uerificari de aliquo nisi sciatur determinate ad quid dicittir, sicut impossibile est scire aliquem esse seruuni nisi sciatur cuius est seruus, et impossibile est scire aliquem esse similem nisi sciatur cui est similis. Et de istis intelligit Philosophus quando dicit in Praedicamentis quod qui scit determinate unum relatiuorum, scit determinate reliquum. Si autem tale relatiuum sic uerificetur de aliquo quod non potest non uerificari de ipso posita constantia subiecti, tunc non oportet quod qui determinate scit unum relatiuorum quod determinate sciat reliquum.

Alia autem nomina sunt quibus quandoque addi potest casus obliquus, hoc tamen non semper requiritur. Unde quandoque quidem uere contingit dicere quod iste asinus est asinus Sortis, et quod est asinus alicuius. Quandoque autem quamuis haec sit uera 'iste asinus est asinus', haec tamen est falsa 'iste asinus est asinus alicuius'. Et ista possunt uocari 'relatiua secundum dici', hoc est aliquando possunt dici aliorum uel sub aliqua alia habitudine casuali. Hoc tamen non requiritur, ideo non sunt per se in genere relationis. Talia nomina sunt 'manus', 'caput' et huiusmodi. Unde ista manus aliquando est manus hominis aliquando non est manus hominis, quando scilicet est abscisa; quod si tunc non uocetur manus, hoc nomen 'manus' uere erit in genere relationis, et sic de consimilibus.

Sic igitur omne nomen quod de nullo significatiue sumptum potest uerificart nisi uere et conuenienter possit sibi addi aliquis casus obliquus alicuius alterius dictionis quam sui abstracti, est in genere relationis. Et ista possunt uocari 'relatiua secundum esse', alia autem possunt uocari 'relatiua secundum dici', quia aliquando conuenienter additur eis casus obliquus aliquando non.

Verumtamen istis uocabulis 'relatiua secundum esse' et 'relatiua secundum dici' philosophi non utuntur, sicut nec utuntur aliis uerbis quibus magistri communiter nunc utuntur, scilicet 'relatione reali' et 'relatione rationis'. Unde talis distinctio a Philosopho numquam inuenitur, et ideo secundum eum ita uere et realiter sunt ista relatiua 'causa', 'dominus' et huiusmodi sicut quaecumque alia. Unde semper uel frequenter exemplificat de domino, et hoc quia non potest esse dominus nisi sit

alicuius serui dominus. Et ideo apud Aristotslem nulla erat talis distinctio inter relationem realem et relationem rationis; distinguit tamen diuersos modos relatiuorum V Metaphysicae, de quibus modo non est tractandum. Sed sufficat nunc scire quod [secundum] Aristotelem omne nomen uel habens uim nominis, cuiusmodi est participium, quod de nullo significatiue sumptum potest uerificari nisi uere et conuenienter contingat sibi addere et adiungere casum obliquum alterius dictionis quam sui abstracti, est uere ad aliquid et in praedicamento relationis, siue significet substantiam praecise siue qualitatem siue utrumque siue etiam connotet aliquid aliud in actu siue in potentia, siue affirmatiue siue negatiue siue qualitercumque. Et ideo omnia talia 'dominus—seruus', 'signum—significatum' 'causa—causatum', 'efficienseffectus', 'actiuum—passiuum', 'producens—productum', 'agens—patients', 'calefaciens—calefactum' et omnia talia in praedicamento relationis sunt collocanda.

Ex quo sequitur ulterius quod quandoque uerba sunt in genere actionis uel passionis uel in aliquo alio praedicamento et tamen participia et nomina uerbalia correspondentia eis sunt in praedicamento relationis, secundum principia Aristotelis.

Et quod haec sit intentio sua satis insinuat V Metaphysicae, cap. De ad aliquid, ubi enumerans modos relatiuorum dicit: "Alia", scilicet dicuntur relatiua, "ut calefactiuum ad calefactibile et sectiuum ad secabile et omne actiuum ad passiuum". Et postea sequitur: "Actiua uero et passiua secundum potentiam actiuam et passiuam sunt, et actiones potentiarum: ut calefactiuum ad calefactibile, quia potest; et iterum calefaciens ad id quod calefit, et secans ad id quod secatur, tamquam agentia". Ecce quod calefaciens potest esse de secundo modo relatiuorum.

Unde puto quod apud Aristotelem omnia nomina et participia, quae non possunt de aliquo uerificari nisi conuenienter possit eis addi casus obliquus, correspondentia secundum significationem uerbis actiuis et passiuis, quae non tantum secundum uocem et formam uerborum sunt actiua et passiua sed uere significant quod aliquid realiter agit et aliquid realiter patitur, uel quod aliquid uere facit et aliquid uere fit, sunt relatiua de secundo modo, cuiusmodi sunt 'agens' et 'patiens', 'calefaciens—calefactum', 'creans—creatum', 'actiuum—passiuum' et huiusmodi.

Quod etiam Aristoteles ponat nomina uel participia in genere relationis et uerba correspondentia eis in aliis praedicamentis, patet per eundem in Praedicamentis, cap. De ad aliquid, ubi dicit sic: "Similiter autem accubitus et statio et sessio positiones quaedam, positio uero ad aliquid; iacere uero uel stare uel sedere ipsa quidem positiones non sunt, sed denominatiue ab his quae dictae sunt positionibus nominantur".

Ex quo patet quod stare non est in genere relationis, sed tamen statio est in genere relationis, quia si sit statio, alicuius est statio. Tamen ultimate oportet resoluere talem propositionem in talem 'partes talis corporis sunt sic distantes', et in

tali resolutione habebitur expresse aliquod nomen uel participium quod de nullo uerificari potest nisi sibi conuenienter possit adiungi casus obliquus.

1.53. DE PROPRIETATIBUS RELATIVORUM

Viso quid Aristoteles sensit de relatiuis uidendum est de proprietatibus quas attribuit eis'.

Et est prima proprietas quod aliquibus relatiuis inest contrarietas, non tamen omnibus. Quod aliquibus insit contrarietas patet, nam uirtus et uitium sunt relatiua et tamen sunt contraria.

Sciendum quod 'contraria relatiua' uocantur hic illa quae non possunt simul eidem competere per praedicationem, sed cuicumque competit unum, eidem potest successiue competere aliud. Et isto modo 'pater' et 'filius' non sunt contraria, quia idem potest simul esse pater et filius, quamuis non respectu eiusdem. Sic etiam nihil contrariatur triplo, quia cuicumque competit triplum, eidem uel potest simul alia relatio competere uel numquam.

Secunda proprietas relatiuorum est quod suscipiunt magis et minus, quamuis non omnia, nam aliqua sumpta cum istis aduerbiis 'magis' et 'minus' possunt de aliquo praedicari successiue, sicut aliquid est primo magis simile alicui et postea minus simile uel e conuerso. Sed hoc non est possibile de triplo nec de duplo nec de aequali, et sic de multis aliis.

Tertia proprietas est quod omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam, hoc est cuicumque relatiuo potest addi casus obliquus sui correlatiui, nisi contingat quod nomina nobis deficiant, et tunc licitum est fingere nomen, et tunc recto illius potest conuenienter addi obliquus alterius; et obliquus illius potest conuenienter addi recto alterius. Sicut si iste sit dominus, oportet quod sit serui dominus; et si sit similis, oportet quod sit simili similis. Similiter si 'ala' sit relatiuum, ita quod non sit possibile quod aliquid sit ala nisi sit alicuius ala, tunc licitum est fingere nomen sibi correspondens ad quod dicatur secundum conuertentiam ut dicatur quod est ala alati, et e conuerso quod alatum est ala alatum. Et sic de omnibus aliis.

Sciendum est tamen quod aliquando idem nomen ponitur in recto et in obliquo. Et ista uocantur relatiua similium nominum siue relationes aequiparantiae, sicut 'omne simile est simili simile' et 'omne aequale est aequali aequale' et sic de multis, ubi idem nomen ponitur in recto et in obliquo. Quandoque autem aliud nomen ponitur in recto et in obliquo, sicut si sit pater, est filii pater, et non oportet quod sit patris pater; et si est seruus, est domini seruus, et non oportet quod sit serui seruus. Et ista uocantur relatiua dissimilium nominum siue relatiua disquiparantiae. Hoc tamen generale est quod semper licitum est addere obliquum recto illius relatiui, secundum Damascenum Logica sua, cap.29.

Quarta proprietas relatiuorum est quod relatiua sunt simul natura. Quae est sic intelligenda quod esse exsistere non potest uerificari de uno nisi uerificetur de reliquo, si propositio formetur. Sicut si haec sit uera 'duplum est', haec erit uera 'dimidium est'; et si haec sit uera 'pater est', haec erit uera 'filius est' et e conuerso.

Et eodem modo intelligendum est quando dicitur quod 'relatiua perempta se perimunt', hoc est si negatiua sit uera in qua esse negatur ab uno illorum, alia negatiua erit uera in qua negatur esse a reliquo. Sicut si haec sit uera 'pater non est', haec erit uera 'filius non est', et e conuerso.

Et est sciendum quod istae regulae non sunt generales, secundum Philosophum in Praedicamentis, nam probat ibidem ex intentione quod ista proprietas non conuenit omnibus relatiuis, sicut probat de scientia et scibili et sensu et sensibili. Et quamuis non probet de aliis, nec de aliis exemplificet, tamen in multis aliis capit instantiam sicut in illis. Nam 'calefactiuum' et 'calefactibile' sunt correlatiua, et tamen non sequitur 'calefactiuum est, igitur calefactibile est', nec e conuerso. Similiter non sequitur 'dealbabile non est, ergo dealbatiuum non est'. Et ita in multis capit instantiam.

1.54. DE RELATIVIS: QUOMODO DICENDUM EST SECUNDUM TENENTES CONTRARIAM OPINIONEM, SCILICET QUOD EST QUAEDAM RES DISTINCTA A RE ABSOLUTA

Hactenus dictum est de relatiuis secundum opinionem quae mihi uidetur Aristotelis esse; nunc dicendum est de relatiuis secundum opinionem contrariam praecedenti.

Unde ponit illa opinio quod quaelibet relatio est res distincta realiter a suo fundamento, ita quod ponit quod similitudo qua Sortes albus est similis Platoni albo est quaedam res realiter et totaliter distincta a Sorte et ab albedine quae fundat istam similitudinem. Et consimiliter est de paternitate et filiatione et omnibus aliis quae ponuntur in genere relationis. Unde quamuis istud uocabulum 'fundamentum relationis' non sit uerbum philosophicum, secundum philosophiam Aristotelis, tamen dicunt quod quaelibet relatio habet fundamentum et terminum, a quorum utroque realiter distinguitur.

Et quod relatio sit alia res, probatur multipliciter. Primo, quia distinctum praedicamentum res distinctas significat; relatio autem est distinctum praedicamentum; ergo etc.

Item, albedo potest manere sine similitudine; igitur albedo non est similitudo.

Item, si relatio esset eadem cum suo fundamento, sicut fundamenta sunt in diuersis praedicamentis, scilicet substantia, qualitas et quantitas, ita relationes aliquae essent in praedicamento substatitiae, aliquae in praedicamento qualitatis, aliquae in praedicamento quantitatis; et ita relatio non esset distinctum praedicamentum.

Item, per idem fundamentum Sortes albus est similis Platoni albo et dissimilis Ciceroni nigro; si igitur relatio esset eadem cum suo fundamento, similitudo et dissimilitudo essent eadem res, et per consequens non essent distinctae relationes.

Item, si relatio esset eadem cum suo fundamento, et ad fundamentum est motus, sicut ad albedinem est motus, igitur ad relationem esset motus; quod est contra Philiosophum, V Physicorum.

Item, unitas uniuersi consistit in ordine partium; si ergo relatio non est alia res, ille ordo non erit alia res; et ita uniuersum noti esset unum.

Item, diuisis partibus componentibus aliquod totum, inanent partes et non manet unio, igitur unio est aliud a partibus.

Item, in natura assumpta a Verbo non est aliquod absolutum quin consimile sit in natura mea; cum igitur illa sit unita et non mea, aliquid habet illa natura quod non habet mea; sed illud non potest esse absolutum, igitur est aliquid respectiuum, quod est intentum.

Propter istas rationes et alias multas, quas propter breuitatem omitto, tenetur a mulutis quod relatio est res extra animam, distincta realiter ab omni re absoluta.

Distinguunt tamen de relationibus quia quaedam sunt relationes reales et quaedam sunt relationes rationis, cuiusmodi sunt relationes Dei ad creaturam, et aliae quae sine omni operatione intellectus esse non possunt.

Istis autem relationibus attribuuntur praedictae proprietates. Nam aliquae relationes sunt contrariae, sicut uirtus et uitium, aliquae autem non sunt contrariae, sicut triplo nihil contrariatur.

Item, relatiua suscipiunt magis et minus, non tamen omnia, sicut dictum est.

Item, omnia relatiua dicuntur ad conuertentiam. Verumtamen aliquando uni relationi reali correspondet relatio realis in alio, sicut similitudini Sortis correspondet relatio realis in alio cui est similis. Aliquando autem relationi reali in uno non correspondet relatio realis in alio sed relatio rationis tantum, sicut relationi reali qua creatura dependet a Deo non correspondet relatio realis in Deo sed rationis tantum.

Similiter, relationes ponuntur simul natura, ita quod si una relatio sit, oportet quod alia relatio sit. Et haec proprietas intelligitur quando utraque relatio est realis; si autem una sit realis et alia rationis, non oportet; sicut ponitur de scientia et scibili et de sensu et sensibili.

1.55. DE PRAEDICAMENTO QUALITATIS

Quartum praedicamentum ponitur praedicamentum qualitatis. Et sicut de prioribus ita de isto primo procedendum est secundum opinionem quae mihi uidetur consona

principiis Aristotelis, siue sit uera siue falsa. Secundo de eodem dicendum est secundum opinionem contrariam. Videtur autem mihi quod secundum principia Aristotelis debet poni quod praedicamentum qualitatis est quidam conceptus uel signum continens sub se omnia illa per quae respondetur conuenienter ad quaestionem factam per 'quale' de substantia, quod non exprimit partem substantialem substantiae. Utrum autem magis proprie concreta uel abstracta debeant poni in praedicamento qualitatis, non est ad praesens discutiendum. Sunt autem quaedam in genere qualitatis quae important res distinctas a substantia, ita quod illa res non est substantia, sicut sunt 'albedo' et 'nigredo', 'color', 'scientia', 'lux' et huiusmodi. Quaedam autem sunt quae alias res a praedictis qualitatibus et substantia non important, cuiusmodi sunt 'figura', 'curuitas', 'rectitudo', 'densitas', 'raritas' et huiusmodi. Ad sciendum autem quando qualitas debet poni alia res a substantia et quando non, hac arte conuenit uti: quia quando aliqua praedicabilia possunt successiue uerificari de eodem — quae non possunt simul de eodem uerificari — propter solum motum localem, non oportet quod illa praedicabilia res distinctas significent. Sed talia praedicabilia 'curuum', 'rectum' propter solum motum localem possunt de eodem uerificari successiue: nam quando aliquid est rectum, si postea sine alia re adueniente partes ipsius per motum localem approximentur, ita quod minus distent quam prius, dicitur curuum; et propter hoc curuitas et rectitudo non important alias res a rebus rectis et curuis. Et consimiliter est de figura: quia per solum motum localem aliquarum partium potest aliquid fieri diuersae figurae. Et ita est de raro et denso et consimilibus. Sed non sic est de albedine et nigredine, de calore et frigore et huiusmodi; non enim per hoc solum quod aliquid uel partes alicuius mouentur localiter fit aliquid calidum uel frigidum, et ideo omnia talia important res distinctas a substantia. Hoc uiso sciendum est quod Aristoteles ponit quatuor modos uel quatuor species qualitatis. Primus modus est habitus et dispositio. Et uocatur habitus omnis qualitas de difficili mobilis, siue sit spiritualis siue corporalis. Dispositio autem uocatur omnis qualitas de facili mobilis, siue sit corporalis siue spiritualis. Et secundum hoc qualitas eiusdem speciei in uno est habitus et in alio est dispositio. Et est sciendum quod sub isto modo non tantum comprehenditur illud quod importat aliam rem a substantia sed etiam illud quod quandoque non importat aliam rem. Unde omne illud sub hoc modo continetur quod, faciliter uel difficiliter, propter mutationem rei remouetur a subiecto. Et ut breuiter dicam, omnis qualitas sub hoc modo continetur, et ideo dicitur 'species qualitatis': non quia aliqua sit qualitas quae nec sit habitus nec dispositio, sed quia aliqua qualitas non est habitus et aliqua qualitas non est dispositio; uel dicitur 'species', quia aliquid specialius connotat quam hoc nomen 'qualitas'. Aliud genus qualitatis ponitur potentia naturalis uel impotentia. Unde omnis res qua potest aliquid faciliter agere uel resistere actioni in hoc genere ponitur. Tertia species ponitur passio et passibilis qualitas. 0mnis enim qualitas sensibilis ponitur in tertia specie qualitatis. Quartum autem genus qualitatis ponitur forma et circa aliquid constans figura, et similiter rectum et curuum et huiusimodi. Et sciendum quod 'forma' potest uocari illa qualitas propter quam aliquid dicitur pulcrum uel turpe; et ista nomina non important alias res a praedictis qualitatibus et substantia. Unde notandum est quod secundum intentionem Philosophi idem est in diuersis

speciebus qualitatis, sicut patet, quia ponit quod calor et frigiditas sunt in prima specie qualitatis, et similiter sunt in tertia. Ex quo patet quod non est intentionis suae ponere quod istae a se mutuo uniuersaliter remouentur, sed quod de se mutuo, saltem particularitur, praedicantur. Et sicut ponit de speciebus ita ponit etiam de praedicamentis quod de se mutuo particulariter praedicantur.

Qualitati autem Philosophus multas attribuit proprietates Et ponitur prima proprietas quod qualitas suscipit contraria. Una enim qualitas alteri contrariatur, et similiter nomina concreta, importantia illas qualitates in obliquo, contrariantur. Non tamen omni qualitati contrariatur qualitas, nam aliqua est qualitas quae non habet contrarium, sicut lux non habet contrarium.

Secunda proprietas est quod qualitas suscipit magis et minus, quia concretum de aliquo praedicatur quandoque cum hoc aduerbio 'magis' et quandoque cum hoc aduerbio 'minus'. Quandoque enim haec est uera 'a est magis album quam b' et quandoque ista 'a est minus album quam b'. Sed ista proprietas non inest omnibus qualitatibus: non enim aliquid dicitur magis triangulus quam aliud, nec unum magis quadratum quam aliud.

Tertia proprietas qualitatis est quod secundum qualitatem aliquid dicitur simile uel dissimile. Duo enim alba sunt similia et similiter duo nigra, sed album et nigrum sunt dissimilia.

Et de qualitate secundum opinionem Aristotelis ista sufficiant, quia in Praedicamentis diffuse tractaui de qualitate secundum opinionem Aristotelis. Quidquid enim super philosophiam scribo non tamquam meum sed tamquam Aristotelis, ut mihi uidetur, dico.

1.56. DE PRAEDICAMENTO QUALITATIS SECUNDUM ALIAM OPINIONEM

Alii autem ponunt quod quaelibet qualitas est res distincta realiter a substantia et quantitate et rebus respectiuis. Et assignant quatuor species qualitatis, quarum contenta realiter inter se distinguuntur. Unde ponunt quod habitus et dispositio constituunt primam speciem qualitatis, quae distinguuntur, quia habitus est de difficili mobilis, dispositio uero de facili mobilis est.

Secundam speciem ponunt esse potentiam naturalem uel impotentiam, quae distinguuntur ab habitu et dispositione.

Tertiam speciem ponunt passionem et passibilem qualitatem, omnem scilicet qualitatem sensibilem.

Quartam speciem ponunt formam et figuram, quam ponunt distingui realiter a substantia et qualitatibus aliarum specierum. Unde etiam dicunt quod quando

aliquod corpus rectum curuatur uere unam rem absolutam amitttit et aliam rem absolutam nouam adquirit.

Proprietates autem easdem quas ponit Aristoteles ipsi attribuunt qualitati.

1.57. DE PRAEDICAMENTO ACTIONIS

De sex praedicamentis Aristoteles se breuiter expedit, de quibus tamen ad itiniorum utilitatem est latius disserendum.

Unde quintum praedicamentum ponitur actio, quod tamen Philosophus, quando praedicamenta enumerat uel etiam tractat de illo praedicamento, non per nomen sed per hoc uerbum 'facere' nominauit. Et consimiliter per uerbum, non per nomen, Damascenus in Logica sua nominat hoc praedicamentum.

Unde mihi uidetur quod opinio Aristotelis is erat quod praedicamentum illud non est nisi quaedam ordinatio uerborum importantium quod aliquid facit uel agit aliquid, ita quod unum uerbuin de alio uerbo, sumpto cum hoc pronomine 'qui', praedicatur, sic dicendo 'qui calefacit, agit uel facit'; 'qui mouet facit uel, et sic de cotisimilibus. Et isto modo potest saluari ibi esse genus generalissimum. Et si praecise essent in usu talia uerba et participia eis correspondentia et nomina supponentia pro illis eisdem pro quibus supponunt uerborum participia, de isto praedicamento, sicut de multis aliis, paucae forent difficultates. Tunc enim oporteret, si 'actio' esset nomen, quod supponeret pro eodem pro quo supponit 'agens', et esset planum quod actio esset res absoluta sicut agens, et quod sicut agens est substantia ita actio esset substantia. Tamen illa substantia contingenter esset actio sicut contingenter est agens, et ita uerbum esset in uno praedicamento et nomen in alio, sicut agens est in praedicamento relationis, secondum opinionem Aristotelis, sicut probatum est prius, quia 'agens' potest semper conuenienter recipere obliquum adiunctum sibi, et tamen 'agere' non est in illo praedicamento. Et tunc praedicamentum non importaret aliquam rem quae non esset de praedicamento qualitatis uel substantiae, sed importaret tam rem de praedicamento substantiae quam rem de praedicamento qualitatis.

Unde sic dicendo 'ignis calefacit lignum', hoc uerbum importat calorem, quamuis non nominaliter sed uerbaliter; propter quod non oportet quod praedicetur de calore, sicut 'album' importat albedinem, non tamen praedicatur de albedine.

Pro ista opinione, siue sit uera siue falsa, possunt adduci aliquae persuasiones. Quod enim quando sic dicitur 'ignis agit uel calefacit' non importetur aliqua res quae non sit substantia uel qualitas potest persuaderi. Primo, quia si aliqua alia res importetur, quaero: ubi est illa res? Aut est per se subsistens aut est alteri inhaerens. Si sit per se subsistens, igitur est substantia, et tunc habetur intentum. Si sit alteri inhaerens, aut inhaeret igni calefacienti aut ligno calefacto. Si detur primum, igitur omne agens et omne mouens uere reciperet nouam rem in se quandocumque ageret

uel moueret. Et ita corpus caeleste et intelligentia continue reciperent nouas res in agendo. Similiter, tunc Deus in agendo et producendo reciperet nouam rein in se.

Et si dicas quod non est simile de Deo et aliis creaturis, contra: si Deus nihil recipiendo uere et realiter agit, igitur simpliciter est ibi actio sine tali re alia, igitur frustra ponitur in alio agente, cum possit uere et realiter esse agens sine tali alia re.

Si autem illa res recipiatur in calefacto, igitur non denominaret agens, nec illa re diceretur ignis agens.

Similiter, tunc semper calefactum reciperet in se plures res, scilicet calorem et illam rem quae ponitur esse actio et aliam quae ponitur passio; quod uidetur absurdum, quia ponitur pluralitas sine necessitate et sine ratione.

Item, potest argui sic: illa res aut est causata aut non est causata. Si non est causata, igitur est Deus. Si est causata, quaero: a quo? Nonnisi ab agente, igitur agens producit illam rem. Quo dato quaero de illa productione illius rei sicut prius. Et erit processus in infinitum, uel stabitur quod una res producitur sine productione alia. Et eadem ratione fuit standum in primo, quod calor producitur in ligno sine alia re noua in calefaciente.

Item, theologice potest argui sic: omnem rem quam producit Deus mediante causa secunda potest per se immediate producere; igitur illam rem quae ponitur esse actio quando ignis agit potest Deus producere immediate, sine hoc quod ignis agat. Quo facto quaero: aut ignis agit aut non. Si sic, igitur agit, et tamen solus Deus agit. Si non agit, contra: ibi est actio formaliter exsistens in igne, igitur ignis uere denominatur ab illa actione. Igitur uere agit; et ita agit et non agit, quod est impossibile.

Propter istas rationes et alias multas posset aliquis tenere quod actio non est aliqua res distincta ab agente et passo et producto. Et haec opinio, siue sit uera siue falsa, est opinio Aristotelis, ut mihi uidetur. Et ideo ponit quod hoc nomen 'actio' supponit pro ipso agente, ut haec sit uera 'actio est agens' et consimiliter 'agere est agens'. Vel ponit quod talis propositio resoluenda est in aliam propositionem in qua ponitur uerbum sine nomine tali, ut ista 'actio agentis est' aequiualeat isti 'agens agit', et ista 'calefactio est actio' aequiualeat isti 'quod calefacit, agit', et sic de consimilibus.

Hoc ostenso sciendum est quod secundum opinionem Aristotelis 'agere' sicut et 'facere' multipliciter accipitur. Quandoque enim idem est quod aliquid producere uel causare uel destruere; quandoque idem est quod aliquid in aliquo facere uel destruere; quandoque accipitur communiter et large, secundum quod est commune ad praedicta duo et ad mouere, et sic potest poni praedicamentum.

Conuenit autem isti praedicamento contrarietas, nam frigefacere et calefacere contraria sunt. Quae uerba ideo dicuntur contraria quia important contrarias qualitates et non possunt eidem simul competere, saltem respectu eiusdem.

Suscipit etiam hoc praedicamentum magis et minus, hoc est istis uerbis conuenienter adduntur ista aduerbia 'magis' et 'minus', quamuis forte non omnibus. Unde conuenienter dicitur 'hoc calefacit magis quam illud', et 'illud minus calefacit quam istud', et 'unus gaudet plus et alius minus'. Haec dicta sunt secundum opinionem quae mihi uidetur consona doctrinae Aristotelis.

Alii autem ponunt quod actio est quaedam res distincta ab agente, producto et passo et a ceteris rebus absolutis, et est quidam respectus qui ab aliquibus ponitur esse subiectiue in agente, ab aliquibus autem subiectiue in passo.

Dicunt tamen quod aliquando actio est respectus realis agentis ad passum, aliquando autem est respectus rationis, sicut actio Dei non est nisi quidam respectus rationis. Et proprietates praedictas, scilicet habere contrarium et suscipere magis et minus dicunt tali respectui conuenire.

1.58. DE PRAEDICAMENTO PASSIONIS

Sextum praedicamentum ponitur praedicamentum passionis, quod Aristoteles nominat ubique per uerbum, sicut patet in Praedicamentis, cap.1, et cap. De facere et pati. Et secum concordare uidetur Damascenus in Logica sua, ubi similiter nominat hoc praedicamentum per uerbum.

Et sicut est de praecedenti praedicamento quod in eo, secundum opinionem Aristotelis reponuntur uerba, ita in hoc praedicamento uerba significantia aliquid pati reponuntur. Unde omnia quae dicta sunt de facere proportionaliter dicenda sunt de pati. Et ideo secundum uiam suam pati et passio est illa substantia quae patitur, sicut uidetur dicere Damascenus. Unde dicit: 'Facere autem et pati substantia quaedam est taliter operans uel patiens'.

Vel semper propositio in qua ponitur hoc uerbum infinitiui modi loco nominis uel hoc nomen 'passio' resoluenda est in propositionem in qua ponitur uerbum sine nomine tali et tali infinitiuo modo, ut ista 'calefieri est pati' aequiualeat isti 'quod calefit patitur' et ista 'calefactio est passio' aequiualeat illi eidem.

Sed sciendum est quod 'pati' multipliciter accipitur: scilicet pro recipere aliquid ab aliquo, et sic subiectum patitur et materia recipiens formam patitur. Aliter accipitur magis generaliter, secundum quod est commune ad pati primo modo et moueri, quamuis nihil in se subiectiue recipiat, sicut quando aliquid mouetur localiter. Tertio accipitur secundum quod est commune ad pati praedictis modis et ad causari uel produci, et sic est praedicamentum.

Breuiter igitur, secundum uiam Aristotelis, mihi uidetur quod ipse posuit omnia uerba actiua mentalia in praedicamento 'facere' et omnia uerba passiua mentalia in praedicamento 'pati', siue illa uerba significent substantias siue qualitates, siue tam substantias quam qualitates.

Alii autem dicunt quod passio est quidam respectus exsistens subiectiue in passo, correspondens respectui actionis.

1.59. DE PRAEDICAMENTO 'QUANDO'

Septimum praedicamentum ponitur 'quando', quod est ordinatio aduerbiorum uel aliorum eis aequiualentium, quibus conuenienter respondetur ad quaestionem factam per hoc interrogatiuum 'quando', secundum uiam Aristotelis. Unde semper nominat illud praedicamentum per hoc interrogatiuum 'quando' et non aliter; nec habemus aliquod generale commune ad illa per quae respondetur ad talem quaestionem. Et ideo secundum uiam Aristotelis, ut mihi uidetur, hoc praedicamentum non importat aliquam rem distinctam a substantia et qualitate, sed importat illas easdem res, quarmuis non nominaliter sed aduerbialiter tantum.

Et pro ista opinione, siue sit uera siue falsa, potest argui. Nam si 'quando' sit talis res inhaerens rei temporali, cum non plus debeat poni talis res respectu unius temporis quam respectu alterius, igitur respectu temporis futuri est talis res. Consequens falsum, quia si sit talis res in isto quod erit cras, sine qua non potest dici quod erit cras, sicut non potest aliquid esse album sine albedine, igitur respectu cuiuslibet instantis illius temporis in quo erit, erit aliqua talis res in isto. Et cum illa instantia ponantur infinita, sequitur quod in isto erunt res infinitae.

Similiter, istud fuit in infinitis temporibus et in infinitis instantibus igitur in eo sunt derelictae tales res infinitae.

Et si dicatur quod illa instantia non fuerunt in actu, contra: aut aliquod instans unquam fuit in actu aut nullum. Si nullum, igitur nihil est instans; si aliquod, et non plus unum quam reliquum, igitur infinita fuerunt in actu.

Praeterea, de omni re contingit determinate dicere quod est uel non est; igitur in isto homine uel est determinate talis res — et accipio illam rem quae debet relinqui ex adiacentia crastinae diei — uel non est in isto homine. Si est in ipso, igitur haec est determinate uera 'iste homo erit cras'. Si non est in eo, igitur sua opposita est determinate uera; quae uidentur esse contra Aristotelem, qui in futuris contingentibus negat ueritatem determinatam.

Et potest argui theologice sic. Quaero: aut in isto homine est talis res aut non est in eo. Si est in eo, et sequitur formaliter 'talis res respectu crastinae diei est in isto homine, igitur iste homo erit cras', sicut sequitur formaliter 'in isto subiecto primo est albedo, igitur hoc est album', et antecedens istud 'ista res est in isto homine' est sic uerum quod non potest contingere etiam per diuinam potentiam quin postea sit uerum dicere 'haec res fuit', igitur Semper necessario erit uerum dicere 'iste homo fuit futurus in illa die', et per consequens Deus non potest facere quin erit in illa die. Si autem ista res non sit in isto homine, igitur haec erit necessaria postea 'ista res non fuit in isto homine', et sequitur formaliter 'ista res non fuit in isto homine, igitur iste non fuit futurus in illa die'. Et antecedens est necessarium, igitur consequens est

necessarium. Et per consequens Deus non potest continuare uitam istius hominis usque ad diem crastinam.

Item, si 'quando' esset talis res sicut isti opinantes contrarium imaginantur, tunc sicut calidum est calidum calore ita illud temporale esset tale per illam rem, et per consequens sicut est impossibile aliquid esse calidum sine calore ita impossibile esset aliquid esse tale sine tali re inhaerente sibi. sed consequens est falsum, nam haec est uera 'Antichristus erit ante diem iudicii', et tamen in Anticliristo, cum sit nihil, non est talis res.

Sidicatur ad omnia quod ex tempore futuro non derelinquitur talis res antequam fuerit in illo tempore, et ideo nec iste homo nec Antichristus habet talem rem in se derelictum ex tempore futuro, contra: si sine tali re uere ista res erit cras et in tempore futuro, eadem ratione sine tali re uere fuit in tempore praeterito et uere est nunc; igitur frustra ponuntur tales res.

Praeterea, si in isto homine qui fuit heri est talis res derelicta per quam dicitur fuisse heri, sicut lignum est calidum per calorem, igitur impossibile est quod haec sit uera 'iste homo fuit heri' sitie tali re, sicut impossibile est quod lignum sit calidum sine calore. Sed hoc uidetur falsum, nam nullam contradictionem includit quod Deus conseruet istum hominem sine illa re, quia potest per suam potentiam absolutam istum hominem conseruare et illam rem destruere. Ponatur igitur in esse. Et tunc quaero: aut iste homo fuit heri aut non fuit. Si fuit, igitur uere fuit heri sine tali re, igitur per illam rem non dicitur fuisse heri; quod est intentum. Si non fuit heri, contra: propositio talis de praeterito est necessaria, ita quod Deus non potest facere quin hoc fuerit, ex quo fuit.

Propter ista et multa alia, quae causa breuitatis omitto, posset aliquis catholicus uel haereticus tenere quod 'quando' non est talis res. Et haec fuit opinio Aristotelis, ut mihi uidetur, et ideo numquam hoc praedicamentum per nomen sed per aduerbium nominauit.

Alii autem dicunt quod 'quando' uel 'quandalitas' est quaedam res respectiua, derelicta in re temporali ex adiacentia temporis, propter quam rem dicitur quod res fuit uel erit uel est.

1.60. DE PRAEDICAMENTO 'UBI'

Octauum praedicamentum ponitur 'ubi'. Et de isto dico, sicut de praecedenti, quod, sicut mihi uidetur, consonum est doctrinae Aristotelis quod 'ubi' non est aliqua res distincta a loco et ceteris rebus absolutis, sed semper Philosophus hoc praedicamentum per aduerbium interrogatiuum loci nominauit. In quo praedicamento ponit omnia illa per quae conuenienter respondetur ad quaestionem factam per hoc aduerbium 'ubi'; ut si quaeratur 'ubi est Sortes', conuenienter respondetur quod est in ciuitate uel in domo. Ideo istas praepositiones cum suis casualibus ponit in praedicamento 'ubi'.

Pro ista autem opinione potest argui quod non uidetur contradictionem includere quod Deus destruat illam talem rem, si ponatur, non destruendo locum, nec illud quod locatur, nec transferendo locum uel locatum de loco ad locum. Quo facto quaero: aut illud corpus est in hoc loco aut non. Si est in hoc loco, et non habet talem rem, igitur locatum est in loco sine tali re; igitur frustra ponitur. Si non est in hoc loco, et prius fuit in hoc loco, et nihil est corruptum, igitur aliquid est motum localiter; quod est contra positum.

Alii autem ponunt quod 'ubi' siue 'ubitas' est quidam respectus fundatus in locato, procedens ex circumscriptione loci, ita quod Iocatum fundat talem respectum et locus terminat eum.

1.61. DE PRAEDICAMENTO POSITIONIS

Nonum praedicamentum ponitur positio, quod secundum opinionem Aristotelis non significat rem distinctam a rebus absolutis, sed significat quod partes rei sic uel sic ordinantur et situantur et approximantur. Unde ex hoc ipso quod aliquis est erectus, ita quod partes uel tibiae non incuruantur nec partes earum approximantur, dicitur stare, et e conuerso est de sedere.

In isto autem praedicamento sunt 'sedere', 'stare', 'reclinare', 'iacere' et consimilia. Et nihil in hoc praedicamento potest alicui competere nisi quanto, cuius partes possunt diuersimode approximari, propter quam diuersam approximationem diuersa et contraria siue incompossibilia praedicabilia possunt eidem successiue competere.

Isti autem praedicamento non habemus aliquod interrogatiuum correspondens, sed hoc est propter uocabulorum penuriam.

Alii autem tenent quod positio est quidam respectus inhaerens toti uel partibus, ita quod ex hoc quod surgit qui sedit, habet unam rem in se quam prius non habuit, et unam aliam quam prius habuit perdit.

1.62. DE PRAEDICAMENTO HABITUS

Decimum praedicamentum ponitur habitus. Et de isto, sicut de prioribus, dico quod Aristoteles non posuit quod significet aliquam rem distinctam a rebus permanentibus, sed significat quod una res est circa aliam mobilis ad motum ipsius nisi contingat aliquod impedimentum, quae non est pars rei nec stmul cum re sed loco et situ distincta a re. In quo praedicamento ponit talia 'armatum esse', 'calceatum esse' et sic de aliis.

Tamen 'habere' secundum Philosophum multis modis dicitur, sicut in Praedicamentis exposui.

Alii autem dicunt quod habitus est quidam respectus in ipso corpore circa aliud corpus uel in ipso corpore contento.

Et de istis praedicamentis ista sufficiant.

1.63. DE SUPPOSITIONE TERMINORUM IN PROPOSITIONIBUS

Dicto de significatione terminorum restat dicere de suppositione, quae est proprietas conueniens termino sed numquam nisi in propositione.

Est autem primo sciendum quod suppositio accipitur dupliciter, scilicet large et stricte. Large accepta non distinguitur contra appellationem, sed appellatio est unum contentum sub suppositione. Aliter accipitur stricte, secundum quod distinguitur contra appellationem. Sed sic non intendo loqui de suppositione sed primo modo tantum. Et sic tam subiectum quam praedicatum supponit; et uniuersaliter quidquid potest esse subiectum propositionis uel praedicatum supponit.

Dicitur autem suppositio quasi pro alio positio, ita quod quando terminus in propositione stat pro aliquo, ita quod utimur illo termino pro aliquo de quo, siue de pronomine demonstrante ipsum, ille terminus uel rectus illius termini si sit obliquus uerificatur, supponit pro illo. Et hoc saltem uerum est quando terminus supponens significatiue accipitur.

Et sic uniuersaliter terminus supponit pro illo de quo — uel de pronomine demonstrante ipsum — per propositionem denotatur praedicatum praedicari, si terminus supponens sit subiectum; si autem terminus supponens sit praedicatum, denotatur quod subiectum subicitur respectu illius, uel respectu pronominis demonstrantis ipsum, si propositio formetur. Sicut per istam 'homo est animal' denotatur quod Sortes uere est animal, ita quod haec sit uera si formetur 'hoc est animal', demonstrando Sortem. Per istam autem 'homo est nomen' denotatur quod haec uox 'homo' sit nomen, ideo in ista supponit 'homo' pro illa uoce. Similiter per istam 'album est animal' denotatur quod illa res quae est alba sit animal, ita quod haec sit uera 'hoc est aninial' demonstrando illam rem quae est alba; et propter hoc pro illa re subiectum supponit. Et sic, proportionaliter, dicendum est de praedicato: nam per istam 'Sortes est albus' denotatur quod Sortes est illa res quae habet albedinem, et ideo praedicatum supponit pro illa re quae habet albedinem; et si nulla res haberet albedinem nisi Sortes, tunc praedicatum praecise supponeret pro Sorte.

Est igitur una regula generalis quod numquam terminus in aliqua propositione, saltem quando significatiue accipitur, supponit pro aliquo nisi de quo uere praedicatur.

Ex quo sequitur quod falsum est, quod aliqui ignorantes dicunt, quod concretum a parte praedicati supponit pro forma; uidelicet quod in ista 'Sortes est albus' li albus supponit pro albedine, nam haec est simpliciter falsa 'albedo est alba',

qualitercumque termini supponant. Ideo numquam concretum tale supponit pro forma tali significata per suum abstractum, secundum uiam Aristotelis. In aliis autem concretis, de quibus dictum est, hoc est bene possibile.

Eodem modo in ista 'homo est Deus' 'homo' uere supponit pro Filio Dei, quia ille uere est homo.

1.64. DE DIVISIONE SUPPOSITIONIS

Sciendum est autem quod suppositio primo diuiditur in suppositionem personalem, simplicem et materialem.

Suppositio personalis, uniuersaliter, est illa quando terminus supponit pro suo significato, siue illud significatum sit res extra animam, siue sit uox, siue intentio animae, siue sit scriptum, siue quodcumque aliud imaginabile; ita quod quandocumque subiectum uel praedicatum propositionis supponit pro suo significato, ita quod significatiue tenetur, semper est suppositio personalis. Exemplum primi: sic dicendo 'omnis homo est animal', li homo supponit pro suis significatis, quia 'homo' non imponitur nisi ad significandum istos homines; non enim significat proprie aliquid commune eis sed ipsosmet homines, secundum Damascenum. Exemplum secundi: sic dicendo 'omne nomen uocale est pars orationis', li nomen non supponit nisi pro uocibus; quia tamen imponitur ad significandum illas uoces, ideo supponit personaliter. Exemplum tertii: sic dicendo 'omnis species est uniuersale' uel 'omnis intentio animae est in anima' utrumque subiectu supponit personaliter, quia supponit pro illis quibus imponitur ad significandum. Exemplum quarti: sic dicendo 'omnis dictio scripta est dictio' subiectum non supponit nisi pro significatis suis, puta pro scriptis, ideo supponit personaliter.

Ex quo patet quod non sufficienter describunt suppositionem personalem dicentes quod suppositio personalis est quando terminus supponit pro re. Sed ista est definitio quod 'suppositio personalis est quando terminus supponit pro suo significato et significatiue'.

Suppositio simplex est quando terminus supponit pro intentione animae, sed non tenetur significatiue. Verbi gratia sic dicendo 'homo est species' iste terminus 'homo' supponit pro intentione animae, quia illa intentio est species; et tamen iste terminus 'homo' non significat proprie loquendo illam intentionem, sed illa uox et illa intentio animae sunt tantum signa subordinata in significando idem, secundum modum alibi expositum.

Ex hoc patet falsitas opinionis communiter dicentium quod suppositio simplex est quando terminus supponit pro suo siginficato, quia suppositio simplex est quando terminus supponit pro intentione animae, quae proprie non est significatum termini, quia terminus talis significat ueras res et non intentiones animae.

Suppositio materialis est quando terminus non supponit significatiue, sed supponit uel pro uoce uel pro scripto. Sicut patet hic 'homo est nomen', li homo supponit pro se ipso, et tamen non significat se ipsum. Similiter in ista propositione 'homo scribitur' potest esse suppositio materialis, quia terminus supponit pro illo quod scribitur.

Et est sciendum quod sicut ista triplex suppositio competit uoci prolatae ita potest competere uoci scriptae. Unde si scribantur istae quatuor propositiones 'homo est animal', 'homo est species', 'homo est uox disyllaba', 'homo est dictio scripta', quaelibet istarum poterit uerificari, et tamen nonnisi pro diuersis, quia illud quod est animal nullo modo est species, nec uox disyllaba, nec dictio scripta. Similiter illud quod est species non est animal, nec uox disyllaba, et sic de aliis. Et tamen in duabus ultimis propositionibus habet terminus suppositionem materialem. Sed illa potest subdistingui, eo quod potest supponere pro uoce uel pro scripto; et si essent nomina imposita, ita posset distingui Suppositio pro uoce uel pro scripto sicut suppositio pro significato et pro intentione animae, quarum unam uocamus personalem et aliam simplicem. Sed talia nomina non habemus.

Sicut autem talis diuersitas suppositionis potest competere termino uocali et scripto, ita etiam potest competere termino mentali, quia intentio potest supponere pro illo quod significat et pro se ipsa et pro uoce et pro scripto.

Est autem sciendum quod non dicitur suppositio 'personalis' quia supponit pro persona, nec simplex quia supponit pro siniplici, nec materialis quia Supponit pro materia, sed propter causas dictas. Et ideo isti termini 'materiale', 'personale', 'simplex' aequiuoce usitantur in logica et in aliis scientiis; tamen in logica non usitantur frequenter nisi cum isto addito 'suppositio'.

1.65. QUANDO TERMINUS IN PROPOSITIONE HABERE POTEST SUPPOSITIONEM PERSONALEM, SIMPLICEM VEL MATERIALEM

Notandum est etiam quod semper terminus, in quacumque propositione ponatur, potest habere suppositionem personalem, nisi ex uoluntate utentium arctetur ad aliam, sicut terminus aequiuocus in quacumque propositione potest supponere pro quolibet suo significato nisi ex uoluntate utentium arctetur ad certum significatum. Sed terminus non in omni propositione potest habere suppositionem simplicem uel materialem, sed tunc tantum quando terminus talis comparatur alteri extremo quod respicit intentionem animae uel uocem uel scriptum. Verbi gratia in ista propositione 'homo currit' li homo non potest habere suppositionem simplicem uel materialem, quia 'currere' non respicit intentionem animae nec uocem nec scripturam. Sed in ista propositione 'homo est species', quia 'species' significat intentionem animae ideo potest habere suppositionem simplicem. Et est propositio distinguenda penes tertium modum aequiuocationis, eo quod subiectum potest habere suppositionem simplicem uel personalem. Primo modo est propositio uera, quia tunc denotatur quod una intentio animae siue conceptus sit species, et hoc est

uerum. Secundo modo est propositio simpliciter falsa, quia tunc denotatur quod aliqua res significata per hominem sit species, quod est manifeste falsum.

Eodem modo sunt tales distinguendae 'homo praedicatur de pluribus', 'risibile est passio hominis', 'risibile praedicatur primo de homine'. Et sunt istae distinguendae tam a parte subiecti quam a parte praedicati. Similiter ista propositio est distinguenda 'animal rationale est definitio hominis', quia si habeat suppositionem simplicem est uera, si personalem est falsa. Et sic de multis talibus, sicut de istis 'sapientia est attributum Dei', 'creatiuum est passio Dei', 'bonitas et sapientia sunt attributa diuina', 'bonitas praedicatur de Deo', 'innascibilitas est proprietas Patris' et huiusmodi.

Similiter quando terminus comparatur ad aliquod extremum, respiciens uocem uel scripturam, est propositio distinguenda, eo quod talis terminus potest habere suppositionem personalem uel materialem. Et isto modo sunt istae distinguendae 'Sortes est nomen', 'homo est uox disyllaba', 'paternitas significat proprietatem Patris'. Nam si paternitas supponat materialiter, sic haec est uera 'paternitas significat proprietatem Patris', quia hoc nomen 'paternitas' significat proprietatem Patris; si autem supponat personaliter, sic est falsa, quia paternitas est proprietas Patris uel est ipse Pater. Et isto modo sunt istae distinguendae 'animal rationale significat quidditatem hominis', 'rationale significat partem hominis', 'homo albus significat aggregatum per accidens', 'homo albus est terminus compositus', et sic de multis talibus.

Potest igitur dari ista regula quod quando terminus potens habere praedictam triplicem suppositionem comparatur extremo, communi incomplexis uel complexis, siue prolatis siue scriptis, semper terminus potest habere suppositionem materialem uel personalem; et est talis propositio distinguenda. Quando uero comparatur extremo significanti intentionem animae, est distinguenda, eo quod potest habere suppositionem simplicem uel personalem. Quando autem comparatur extremo communi omnibus praedictis, tunc est distinguenda, eo quod potest habere suppositionem personalem, simplicem uel materialem. Et sic est haec distinguenda 'homo praedicatur de pluribus', quia si 'homo' habeat Suppositionem personalem, est falsa, quia tunc denotatur quod aliqua res significata per hunc terminum 'homo' praedicatur de pluribus. Si habeat suppositionem simplicem uel materialem, siue pro uoce siue pro scripto, est uera, quia tam intentio communis quam uox quam illud quod scribitur praedicatur de pluribus.

1.66. DE OBIECTIONIBUS QUAE FIERI POSSUNT CONTRA PRAEDICTA

Sed contra praedicta potest obici multipliciter. Primo sic. Haec est uera 'homo est dignissima creatura creaturarum'. Quaero, quam suppositionem habet li homo? Non personalem, quia quaelibet singularis est falsa, igitur habet suppositionem simplicem. Sed si suppositio simplex esset pro intentione animae, illa esset falsa, quia intentio animae non est dignissima creaturarum. Igitur suppositio simplex non est pro intentione animae.

Praeterea, haec est uera 'color est primum obiectum uisus'; sed si 'obiectum' habet suppositionem personalem, quaelibet singularis est falsa; igitur habet suppositionem simplicem. Sed si supponeret pro intentione animae, illa esset falsa, quia nulla intentio animae est primum obiectum uisus, quia nulla intentio uidetur; igitur suppositio simplex non est pro intentione animae.

Similiter, ista est uera 'homo est primo risibilis'; et non pro re singulari nec pro intentione animae; igitur pro aliquo alio.

Idem potest argui de istis 'ens est primo unum', 'Deus est primo persona', quia quaelibet talis est uera, et non pro re singulari nec pro intentione animae, igitur pro aliquo alio. Et tamen subiectum habet suppositionem simplicem, igitur suppositio simplex non est pro intentione animae.

Praeterea, uox non praedicatur de uoce nec intentio de intentione, quia tunc quaelibet propositio talis 'homo est animal' esset simpliciter falsa.

Ad primum istorum est dicendum quod opinio dicentium quod in ista 'homo est dignissima creaturarum' subiectum habet suppositionem simplicem, est simpliciter falsa; immo 'homo' habet tantum suppositionem personalem in ista.

Nec ratio eorum ualet, sed est contra eos, nam probant quod si 'homo' haberet suppositionem personalem quod tunc esset falsa, quia quaelibet singularis est falsa. Sed ista ratio est contra ipsos, quia si 'homo' stet simpliciter in ista et non pro aliquo singulari, igitur pro aliquo alio, et per consequens illud esset dignissima creaturarum. Sed hoc est falsum, quia tunc esset nobilius omni homine. Quod est manifeste contra eos, quia numquam commune uel species est nobilius suo singulari, cum secundum modum eorum loquendi inferius semper includat suum superius et plus. Igitur illa forma communis, cum sit pars istius hominis, non est nobilior isto homine. Et ita si subiectum in ista 'homo est dignissima creaturarum' supponeret pro aliquo alio ab homine singulari, ipsa esset simpliciter falsa.

Ideo dicendum est quod 'homo' supponit personaliter, et est de uirtute sermonis falsa, quia quaelibet singularis est falsa. Tamen secundum intentionem ponentium eam uera est, quia non intendunt quod homo sit nobilior omni creatura uniuersaliter, sed quod sit nobilior omni creatura quae non est homo. Et hoc est uerum inter creaturas corporales, non autem est uerum de substantiis intellectualibus. Et ita est frequenter quod propositiones authenticae et magistrales sunt falsae de uirtute sermonis, et uerae in sensu in quo fiunt, hoc est, illi intendebant per eas ueras propositiones. Et ita est de ista.

Ad secundum dicendum quod omnes tales 'color est primum obiectum uisus', 'homo est primo risibilis', 'ens est prmio unum'; similiter 'homo est primo animal rationale', 'triangulus habet primo tres angulos', 'sonus est primum et adaequatum obiectu auditus', et ceterae tales multae, sunt simpliciter falsae de uirtute sermonis, tamen illae quas Philosophus intendebat per istas sunt uerae.

Unde sciendum quod sicut frequenter Philosophus et alii accipiunt concretum pro abstracto et e conuerso, similiter aliquando accipiunt plurale pro singulari et e conuerso, ita frequenter accipiunt actum exercitum pro actu signato et e conuerso. Est autem actus exercitus qui importatur per hoc uerbum 'est', uel aliquod huiusmodi, quod non tantum significat aliquid praedicari de aliquo sed exercet, praedicando unum de alio, sic dicendo 'homo est animal', 'homo currit', 'homo disputat', et sic de aliis. Actus autem signatus est ille qui importatur per hoc uerbum 'praedicari' uel 'subici' uel 'uerificari' uel 'competere' uel huiusmodi, quae idem significant. Verbi gratia sic dicendo 'animal praedicatur de homine', hic non praedicatur animal de homine, quia in ista propositione animal subicitur et non praedicatur, et ideo est actus signatus. Et non est idem dicere 'animal praedicatur de homine' et 'homo est animal', quia una est multiplex et alia non. Sicut non est idem dicere quod genus praedicatur de hoc communi 'homo' et quod hoc commune 'homo' est genus. Nec est idem dicere 'genus praedicatur de specie' uel 'haec uox 'animal' praedicatur de hac uoce 'homo" et 'species est genus' uel 'haec uox 'homo' est haec uox 'animal", nam prmtae duae sunt uerae et secundae duae sunt falsae. Et tamen hoc non obstante Philosophus accipit aliquando actum exercitum pro actu signato et aliquando e conuerso, et ita faciunt multi alii. Et hoc facit multos incidere in errores.

Et ita est in proposito. Nam ista propositio 'homo est primo risibilis', accipiendo 'primo' sicut accipit Plilosophus I Posteriorum, est ita falsa sicut ista 'species est genus', sed tamen actus signatus, in cuius loco ponitur, est simpliciter uerus. Sicut haec est uera 'de homine pradicatur primo hoc praedicatum 'risibile "; et in isto actu signato tam 'homo' quam 'risibile' supponit simpliciter pro intentione animae, nam de hac intentione animae praedicatur primo 'risibile', non tamen pro se sed pro singularibus. Et debet iste actus sic exerceri 'omnis homo est risibilis, et nihil aliud ab homine est risibile'; et ita in isto actu signato 'homo' supponit simpliciter et pro intentione. Sed in actu exercito correspondente 'homo' supponit personaliter et pro rebus singularibus, quia nulla res potest ridere nisi res singularis. Et ideo in actu signato bene ponitur hoc incomplexum 'primo', sed in actu exercito correspondente non debet poni 'primo'. Et quia 'primo' dicit idem quod praedicari de aliquo uniuersaliter et de nullo nisi de quo illud praedicatur, ideo tali actui signato debent correspondere duo actus exerciti. Sic est de ista 'sonus est primum obiectum et adequatum auditus'. Nam falsa est de uirtute sermonis, quia aut 'sonus' Supponit pro re singulari aut pro re communi; si pro re singulari, tunc est falsa, quia quaelibet singularis est falsa; si pro re communi, tunc adhuc est falsa, quia secundum istos nulla res communis apprehenditur a sensu, et ideo est simpliciter falsa de uirtute sermonis. Tamen forte secundum communiter loquentes et bene intelligentes per istam intelligitur unus actus signatus, et est iste 'de sono praedicatur primo esse apprehensibile ab auditu', quia de hoc communi praedicatur primo tale praedicatum. Non tamen pro se sed pro singularibus, quia in tali propositione ubi subicitur hoc commune 'sonus' et praedicatur hoc praedicatum 'apprehensibile a potentia auditiua', 'sonus' non supponit pro se et simpliciter, sed supponit pro singularibus. Sicut in ista 'omnis sonus est apprehensibilis a potentia auditiua'

subicitur hoc commune 'sonus', et tamen non pro se sed pro singularibus. Et ita in actu signato 'sonus' supponit simpliciter et pro intentione animae, sed in actu exercito utroque supponit personaliter et pro singularibus, hoc est pro suis significatis.

Exemplum de praedictis est manifestum in theologia. Nam haec est uera 'substantia intellectualis completa, non dependens ad aliud suppositum, est primo persona' eadem ratione qua ista est uera 'homo est primo risibilis', quia eadem ratio est de una et de alia. Tunc quaero: aut subiectum istius propositionis supponit personaliter et pro singularibus, et tunc est falsa, quia quaelibet singularis est falsa; patet inductiue. Aut supponit simpliciter et pro forma communi, et tunc est falsa, quia nulla forma communis, nec primo nec non primo, est persona, quia omni communi — etiam secundum eos — repugnat ratio personae. Idem est de istis 'singulare est primo unum numero', 'indiuiduum primo distinguitur a communi', et sic de multis talibus, quae falsae sunt de uirtute sermonis, et tamen actus signati correspondentes sunt ueri.

Ideo dicendum est, sicut prius, quod suppositio simplex est quando terminus supponit pro intentione animae, quae est communis per praedicationem pluribus, aliquando autem est propria uni. Et huius ratio est quia nihil est a parte rei quin sit simpliciter singulare.

Unde error istorum omnium qui credebant aliquid esse in re praeter singulare et quod humanitas, quae est distincta a singularibus, est aliquid in indiuiduis et de essentia eorum, induxit eos in istos errores et multos alios logicales. Hoc tamen ad Iogicum non pertinet considerare, sicut dicit Porphyrius in prologo, sed logicus tantum habet dicere quod suppositio simplex non est pro suo significato; sed quando terminus est communis habet dicere quod suppositio simplex est pro aliquo communi suis significatis. Utrum autem illud commune sit in re uel non, ad eum non pertinet.

Ad tertium dicendum est quod uox praedicatur de uoce et similiter intentio de intentione, non tamen pro se sed pro re. Et ideo per talem propositionem 'homo est animal', quamuis uox praedicetur de uoce uel intentio de intentione, non denotatur quod una uox sit alia uel quod una intentio sit alia, sed denotatur quod illud pro quo stat uel supponit subiectum sit illud pro quo stat uel supponit praedicatum.

Si autem adhuc obiciatur contra praedicta quod haec est uera 'piper uenditur hic et Romae', et tamen nulla singularis est uera. Et non est uera nisi secundum quod 'piper' supponit simpliciter; et non pro intentione; igitur suppositio simplex non est pro intentione:

Dicendum quod ista propositio si sit de copulato extremo est simpliciter falsa, quia quaelibet singularis est falsa. Etiam secundum quod habet suppositionem simplicem est falsa, quia nullus uult emere illud commune 'piper', siue sit in re extra siue in anima, sed quilibet intendit emere aliquam rem singularem quam non habet.

Sed illa propositio uera est si sit copulatiua, scilicet ista 'piper uenditur hic et piper uenditur Romae', quia ambae partes sunt uerae pro diuersis singularibus. Unde non plus est ista uera 'piper uenditur hic et Romae' quam ista 'piper singulare uenditur hic et Romae'.

1.67. DE SUPPOSITIONE MATERIALI IN SPECIALI

Praemissa diuisione suppositionis dicendum est de membris in speciali, et primo de suppositione materiali.

Circa quod sciendum quod suppositio materialis cuilibet quod quocumque modo potest esse pars propositionis competere potest. 0mne enim tale potest esse extremum propositionis et pro uoce uel scripto supponere. Et de nominibus quidem est manifestum, sicut patet in istis 'homo: est nomen', 'homo: est numeri singularis'.

Hoc etiam idem patet de aduerbiis, uerbis, pronominibus, coniunctionibus, praepositionibus, interiectionibus, sicut patet in istis 'bene: est aduerbium', 'legit: est indicatiui modi', 'legens: est participium', 'iste: est pronomen', 'si: est coniunctio', 'ex: est praepositio', 'heu: est interiectio'. Similiter etiam propositiones et oratioties talem suppositionem habere possunt, sicut patet in istis 'homo est animal: est propositio uera', 'hominem currere: est oratio', et sic de consimilibus.

Et potest ista suppositio non tantum competere uoci sed etiam scripto et parti propositionis mentalis, siue sit propositio siue pars propositionis et non propositio. Unde breuiter, omni complexo Ct incomplexo competere potest.

Potest autem diuidi suppositio materialis, quia quaedam est quando uox uel scriptum supponit pro se, sicut in istis 'homo: est nomen', 'hominis: est genitiui casus', 'homo est animal: est propositio uera', 'bene: est aduerbium', 'legit: est uerbum' et huiusmodi. Quandoque autem uox uel scriptum uel conceptus mentis non supponit pro se sed pro uoce uel scripto, quod tamen scriptum uel quam uocem non significat. Sicut in ista propositione uocali 'animal: praedicatur de homine', haec uox 'homine' non supponit pro hac uoce 'homine', quia 'animal' non praedicatur de hac uoce 'homine'; sed ibi illud incomplexum 'homine' supponit pro hac uoce 'homo', quia de hac uoce 'homo' praedicatur 'animal', sic dicendo 'homo est animal'. Simibter in ista 'hominem currere est uerum', illud subiectum 'hominem currere' non supponit pro se, sed supponit pro ista propositione 'homo currit', quam tamen non significat.

Similiter in talibus 'homo: praedicatur de asino in obliquo', li homo supponit pro obliquo tali 'hominis' uel 'hominem' uel huiusmodi, quia in ista propositione 'asinus est hominis' non praedicatur haec uox 'homo' sed haec uox 'hominis'. Similiter hic 'qualitas praedicatur de subiecto in concreto', li qualitas supponit pro concretis praedicabilibus de subiecto.

1.68. DE SUPPOSITIONE SIMPLICI

Sicut autem cuilibet complexo et incomplexo potest competere suppositio materialis, ita cuilibet complexo et incomplexo significatiuo uel consignificatiuo potest competere suppositio simplex, nam quolibet tale, siue sit mentale siue uocale siue scriptum, potest supponere pro conceptu mentis, sicut patet inductiue.

Et sicut quandoque suppositio materialis est pro illo quod supponit, et quandoque non pro illo quod supponit sed pro alio, quod tamen non significat, ita terminus mentalis supponens simpliciter quandoque supponit pro se, sicut in istis 'homo est species', 'animal est genus', et sic de aliis; quandoque autem supponit pro alia intentione animae, quam tamen non significat, sicut in tali propositione mentali 'hominem esse animal est propositio uera'. Et sic potest dici de multis aliis.

1.69. DE SUPPOSITIONE PERSONALI

Nunc accedendum est ad suppositionem personalem.

Circa quam est sciendum quod solum categorema, quod est extremum propositionis, significatiue acceptum, supponit personaliter. Per primum excluduntur omnia syncategoremata, siue sint nomina siue coniunctiones siue aduerbia siue praepositiones siue quaecumque alia, si alia sint. Per secundum excluditur omne uerbum, quia numquam uerbum potest esse extremum propositionis quando accipitur significatiue.

Et si dicatur quod sic dicendo 'legere est bonum', li legere accipitur significatiue et tamen supponit, dicendum quod ibi 'legere' non est uerbum sed est nomen, et ita est ex usu quod infinitiuus modus non tantum est uerbum sed nomen. Unde si 'legere' remaneret ibi uerbum, et non plus esset nomen quam 'legit', non magis esset haec uera 'legere est bonum' quam ista 'legit est bonum'.

Sed unde est hoc? Dico quod hoc est ex usu loquentium.

Per illam particulam 'extremum propositionis' excluditur pars extremi, quantucumque sit nomen et categorema. Sicut hic 'homo albus est animal' nec 'homo' supponit nec 'albus' supponit sed totum extremum supponit. Et ideo quantumcumque aliquando partes extremorum se habeant secundum superius et inferius, non oportet consequentiam esse bonam inter illas propositiones, quia illa regula debet intelligi quando ipsa extrema quae supponunt in propositionibus ordinantur secundum superius et inferius. 'Unde non sequitur 'tu es uadens ad forum, ergo tu es exsistens ad forum'; et tamen 'uadens' et 'exsistens' ordinantur secundum superius et inferius; sed ista extrema 'uadens ad forum' et 'exsistens ad forum' non sic ordinantur, ideo consequentia non ualet. Tamen aliquando consequentia ualet, quia aliquando non possunt tales partes ordinari secundum superius et inferius nisi etiam tota extrema sic ordinentur uel possint sic ordinari, sicut patet hic 'homo albus — animal album', 'uidens hominem — uidens animal' et sic de multis aliis. Et ideo frequenter est talis consequentia bona sed non semper, et

ita pars extremi non supponit in tali propositione, tamen in alia propositione supponere potest.

Per tertiam particulam 'significatiue acceptum' excluduntur categoremata talia quando supponunt simpliciter uel materialiter. Tunc enim, quia non accipiuntur significatiue, ideo personaliter non supponunt, sicut hic 'homo est nomen', 'homo est species', et in consimilibus.

1.70. DE DIVISIONIBUS SUPPOSITIONIS PERSONALIS

Suppositio personalis potest diuidi primo in suppositionem discretam et communem. Suppositio discreta est in qua supponit nomen proprium alicuius uel pronomen demonstratiuum significatiue sumptum; et talis suppositio reddit propositionem singularem, sicut hic 'Sortes est homo', 'iste homo est homo', et sic de aliis.

Et si dicatur quod haec est uera 'haec herba crescit in horto meo', et tamen subiectum non habet suppositionem discretam, dicendum est quod ista propositio est falsa de uirtute sermonis; sed per eam intelligitur talis propositio 'talis herba crescit in horto meo', ubi subiectum supponit determinate. Unde aduertendum est quod quando aliqua propositio falsa est de uirtute sermonis, sed tamen aliquem sensum uerum habet, ipsa accepta in illo sensu, debent subiectum et praedicatum habere eandem suppositionem quam habent in illa quae de uirtute sermonis est uera.

Suppositio personalis communis est quando terminus communis supponit, sicut hic 'homo currit', 'omnis homo est animal'.

Suppositio personalis communis diuiditur in suppositionem confusam et determinatam. Suppositio determinata est quando contingit descendere per aliquam disiunctiuam ad singularia; sicut bene sequitur 'homo currit, igitur iste homo currit, uel ille', et sic de singulis. Et ideo dicitur suppositio determinata quia per talem suppositionem denotatur quod talis propositio sit uera pro aliqua singulari determinata; quae singularis determinata sola, sine ueritate alterius singularis, sufficit ad uerificandam talem propositionem. Sicut ad ueritatem istius 'homo currit' requiritur quod aliqua certa singularis sit uera. Et quaelibet sufficit, etiam posito quod quaelibet alia esset falsa; tamen frequenter multae uel omnes sunt uerae. Est igitur regula certa, quod quando sub termino communi contingit descendere ad singularia per propositionem disiunctiuam, et ex qualibet singulari infertur talis propositio, tunc ille terminus habet suppositionem personalem determinatam. Et ideo in ista propositione 'homo est animal' utrumque extremum habet suppositionem determinatam, quia sequitur 'homo est animal, igitur iste homo est animal uel ille', et sic de singulis. Similiter sequitur 'iste homo est animal', quocumque demonstrato, 'igitur homo est animal'. Similiter sequitur 'homo est animal, igitur homo est hoc animal uel illud animal uel illud', et sic de singulis. Et

bene sequitur 'homo est hoc animal', quocumque animali demonstrato, 'igitur homo est animal'. Ideo tam 'homo' quam 'animal' habet suppositionem determinatam.

Suppositio personalis confusa est omnis suppositio personalis termini communis, quae non est determinata. Et illa diuiditur, quia quaedam est suppositio confusa tantum et quaedam est suppositio confusa et distributiua.

Suppositio personalis confusa tantum est quando terminus communis supponit personaliter et non contingit descendere ad singularia per disiunctiuam, nulla uariatione facta a parte alterius extremi, sed per propositionem de disiuncto praedicato, et contingit eam inferri ex quocumque singulari. Verbi gratia in ista 'omnis homo est animal', li animal supponit confuse tantum, quia non contingit descendere sub animali ad sua contenta per disiunctiuam; quia non sequitur 'omnis homo est animal, igitur omnis homo est hoc animal, uel onmis homo est illud animal, uel omnis homo est aliud animal' et sic de singulis. Sed bene contingit descendere ad propositionem de disiuncto praedicato ex singularibus, quia bene sequitur 'omnis homo est animal, igitur omnis homo est hoc animal uel illud', et sic de singulis; quia consequens est una categorica, composita ex hoc subiecto 'homo' et hoc praedicato 'hoc animal uel illud uel illud', et sic de singulis. Et manifestum est quod hoc praedicatum uere praedicatur de omni homine, ideo illa uniuersalis est simpliciter uera. Et similiter ista infertur ex quolibet contento animalis, nam bene sequitur 'omnis homo est hoc animal', quocumque animali demonstrato, 'igitur omnis homo est animal'.

Suppositio confusa et distributiua est quando contingit aliquo modo descendere copulatiue, si habeat multa contenta et ex nullo uno formaliter infertur. Sicut est in ista 'omnis homo est animal', cuius subiectum supponit confuse et distributiue: sequitur enim 'omnis homo est animal, igitur iste homo est animal et ille homo est animal', et sic de singulis; et non sequitur formaliter 'iste homo est animal', quocumque demonstrato, 'igitur omnis homo est animal'.

Quod dixi 'aliquo modo contingit descendere', hoc dixi quia non semper eodem modo contingit descendere. Nam aliquando contingit descendere nulla uariatione facta circa propositiones nisi quod in prima subicitur uel praedicatur terminus communis, et postea accipiuntur singularia, sicut patet in exemplo praedicto. Aliquando autem contingit descendere aliqua uariatione facta, immo aliquo dempto in una propositione quod accipitur in alia, quod nec est terminus communis nec contentum sub termino communi. Verbi gratia sic dicendo 'omnis honio praeter Sortem currit' bene contingit aliquo modo descendere ad aliqua singularia copulatiue; nam bene sequitur 'omnis homo praeter Sortem currit, igitur Plato currit et Cicero currit', et sic de aliis, [aliis] a Sorte. Sed in istis singularibus aliquid dimittitur quod accipiebatur in uniuersali, quod non fuit terminus communis nec signum distribuens ipsum, scilicet dictio exceptiua cum parte extra capta. Et ita non eodem modo contingit descendere sub ista 'omnis homo praeter Sortem currit' et sub ista 'omnis homo currit', nec etiam ad omnia eadem contingit descendere.

Prima suppositio confusa et distributiua uocatur suppositio confusa et distributiua mobilis, secunda uocatur confusa et distributiua immobilis.

1.71. AD VIDENDUM QUANDO TERMINUS COMMUNIS HABET UNAM SUPPOSITIONEM ET QUANDO ALIAM

Istis uisis uidendum est quando terminus communis habet unam suppositionem personalem et quando aliam. Et primo uidendum est de nominibus, secundo de pronominibus relatiuis, quia diuerae regulae dantur de istis et de illis.

Est ergo primo sciendum quod quando in categorica nullum signum uniuersale distribuens totum extremum propositionis additur termino, nec mediate nec immediate, hoc est nec a parte eiusdem extremi nec a parte extremi praecedentis, nec negatio praecedit nec aliqua dictio includens aequiualenter negationem uel signum uniuersale, semper talis terminus communis supponit determinate. Verbi gratia in ista 'homo est animal' nullum signum uniuersale additur, nec negatio nec talis dictio aequiualenter includens negationem uel signum uniuersale, ideo uterque terminus supponit determinate. Idem est dicendum de ista 'aliquis homo currit', quia signum particulare additum uel non additum non uariat suppositionem personalem, quamuis faciat frequenter terminum stare personaliter. Similiter in ista 'animal est omnis homo', quamuis ponatur signum uniuersale, non tamen praecedit hunc terminum 'animal', ideo li animal supponit determinate. Similiter hic 'animal non est homo', quamuis ponatur negatio, quia tamen non praecedit istum terminum 'animal', ideo 'animal' stat determinate.

Sed in ista 'omnis homo est animal', 'homo' non habet suppositionem determinatam, quia distribuitur signo uniuersali, nec 'animal' habet suppositionem determinatam, quia sequitur mediate signum uniuersale. Sed hic 'uidens omnem hominem est animal', quia hoc signum 'omnem' non distribuit totum subiectum, ideo non facit praedicatum stare nisi determinate. Unde bene sequitur 'uidens omnem hominem est animal, igitur uidens omnem hominem est hoc animal, uel uidens omnem hominem est illud animal uel illud', et sic de singulis. Sed in ista 'omnem hominem uidens est animal', quia signum distribuit hoc totum 'hominem uidens', ideo praedicatum non stat determinate. Et consimiliter est de ista 'cuiuslibet hominis asinus currit', nam hic praedicatum supponit confuse tantum; in ista autem 'asinus cuiuslibet hominis currit' praedicatum stat determinate. Similiter in ista 'homo non est animal', quamuis 'homo' stet uel supponat determinate, tamen 'animal', quia negatio determinans uerbum praecedit, ideo non stat deteminate. similiter in ista 'Sortes differt ab homine', praedicatum supponit non determinate, quia hoc uerbum 'differt' includit negationem aequiualenter.

1.72. DE DUBIIS QUAE MOVERI POSSUNT CONTRA PRAEDICTA

Circa praedicta potest dubitari. Primo, quabter supponit 'homo' in ista 'Sortes fuit homo'; ponatur quod Sortes non sit. similiter, qualiter supponunt termini in illis de praeterito et in illis de futuro et de possibili et in aliis propositionibus de modo.

Et est ratio dubitationis, quia dictum est prius quod termilius numquam supponit pro aliquo nisi de quo uerificatur; sed 'homo', si Sortes non sit, non uerificatur de Sorte, quia tunc est haec falsa 'Sortes est homo'; igitur non supponit pro Sorte, et per consequens non supponit determinate.

Secundo est dubium de istis 'homo albus est homo', 'cantans missam est homo', 'creans est Deus', supposito quod nullus sit albus et quod nullus cantet missam et quod Deus non creet. Pro quibus subiecta supponunt? Quia uidetur quod pro nulla re significata, quia de nulla tali uerificantur; nec pro se ipsis, quia tunc non haberent suppositionem personalem; igitur non supponunt determinate pro aliquo, et per consequens non habent suppositionem determinatam.

Tertium dubium est, qualiter subiectum supponit in talibus 'equus tibi promittitur', 'uiginti librae tibi debentur'. Et est ratio dubitationis, quia si terminus supponat pro contentis, uidentur esse falsae, cum quaelibet singularis sit falsa; et ita si terminus subiectus supponat determinate, propositio est falsa.

Quartum dubium est de talibus 'iste priuatur uisu', 'iste est aptus natus habere uisum', et sic de multis talibus.

Qumtum: qualem suppositionem habet praedicatum in ista 'genera et species sunt secundae substantiae'?

Sextum de istis 'actio est res extra animam', 'relatio est uera res', 'creatio est idem reabter cum Deo', et de huiusmodi multis.

Septimum est de ista 'iste bis fuit albus'; quia uidetur quod 'albus' non supponat determinate.

Octauum dubium: quomodo in ista 'tantum animal est homo' subiectum et praedicatum supponant?

Item, de talibus 'Apostolus dicit hoc', 'Anglia pugnat' 'bibe cyphum', 'prora est in mari', 'bonitas tua, misericorditer agit', 'clementia principis gubemat regnum' et huiusmodi.

Ad primum istorum dicendum est quod in omnibus talibus termini supponunt personaliter. Pro quo est intelligendum quod tunc terminus supponit personaliter quando supponit pro suis significatis, uel pro his quae fuerunt sua significata uel erunt uel possunt esse. Et sic intelligendunt est prius dictum; quia dictum est prius quod uno modo 'significare' sic accipitur. Hoc tamen intelligendum est quod non respectu cuiuscumque uerbi supponit pro illis; sed pro illis quae significat stricte accipiendo 'significare' supponere potest respectu cuiuscumque uerbi, si aliqua talia significet.

Sed pro illis quae fuerunt sua significata non potest supponere nisi respectu uerbi de praeterito. Et ideo quaelibet talis propositio est distinguenda, eo quod talis terminus potest supponere pro his quae sunt uel pro his quae fuerunt. Similiter pro his quae erunt non potest supponere nisi respectu uerbi de futuro, et ideo illa propositio est distinguenda, eo quod terminus potest supponere pro his quae sunt uel pro his quae erunt. Similiter pro his quae possunt esse significata et non sunt non potest supponere nisi respectu uerbi de possibili uel de contingenti, et ideo omnes tales sunt distinguendae, eo quod subiectum potest supponere pro his quae sunt uel pro his quae possunt esse uel contingunt esse. Et ideo omnes tales sunt distinguendae 'omnis homo fuit albus', 'omne album erit homo', 'omne album potest esse homo', 'omnem hominem contingit currere'.

Intelligendum est tamen quod ista distinctio non cadit a parte praedicati sed tantum a parte subiecti. Unde ista non est distinguenda 'Sortes fuit albus', 'Sortes potest esse albus'; et hoc quia praedicatum appellat suam formam. Quod est sic intelligendum: non quod supponat pro se uel pro conceptu, sed quod per talem propositionem denotatur quod propositio in qua ipsummet praedicatum sub propria forma, hoc est ipsummet et non aliud, praedicatur de illo pro quo subiectum supponit, uel de pronomine demonstrante illud praecise pro quo subiectum supponit, fuit uera, si talis propositio sit de praeterito; uel quod erit uera, si talis proposito sit de futuro; uel quod sit possibilis, si prima propositio sit de possibili; uel necessaria, si prima propositio sit de necessario; uel tmpossibilis, si prima propositio sit de impossibili; Vel per se, si prima propositio sit de per se; uel per accidens, si prima propositio sit de per accidens. Et sic de aliis propositionibus modalibus. Verbi gratia ad ueritatem istius 'album fuit nigrum' non requiritur quod haec unquam fuerit uera 'album est nigrum', sed requiritur quod haec fuerit uera 'hoc est nigrum', demonstrando aliquid pro quo subiectum supponit in ista 'album fuit nigrum'. Similiter, ad ueritatem istius 'uerum erit impossibile' non requiritur quod haec unquam sit uera 'uerum est impossibile', sed requiritur quod haec erit uera, si formabitur, 'hoc est impossibile', demonstrando aliquid pro quo subiectum supponit in ista 'uerum erit impossibile'. Similiter est de aliis. Sed de istis amplius dicetur in tractatu de propositionibus et de consequentiis. Ad propositum dico quod in ista 'Sortes fuit homo' praedicatum supponit pro Sorte. Et similiter est de omnibus illis de praeterito et de futuro et de modo, quod termini supponentes personaliter supponunt pro illis quae sunt uel fuerunt uel erunt uel possunt esse supposita; et si non sit aliquod signum, nec negatio nec aliquid tale impediens, supponunt determinate.

Sed tunc ad rationem in cotrarium dicendum est quod bene dictum est quod terminus numquam supponit pro aliquo nisi de quo uerificatur. Non tamen fuit dictum quod numquam supponit pro aliquo nisi de quo uerificatur per uerbum de praesenti, sed sufficit quod aliquando uerificetur per uerbum de praeterito, quando supponit pro illo respectu uerbi de praeterito; uel per uerbum de futuro, quando supponit respectu uerbi de futuro, et sic de aliis. Sicut patet in ista 'album fuit homo', posito quod nullus homo modo sit albus, sed quod Sortes fuerit albus, tunc 'album'

supponit pro Sorte, si accipiatur pro his quae fuerunt. Et ideo 'album' uerificatur de Sorte non per uerbum de praesenti sed per uerbum de praeterito, nam haec est uera 'Sortes fuit albus'.

Sed adhuc restat dubitatio: pro quo praedicatum supponit hic 'Sortes fuit albus'? Si pro his quae sunt, falsa est:

Dicendum est quod praedicatum supponit pro his quae fuerunt, siue eadem fuerunt quae sunt siue non. Et ideo in isto casu capit instantiam illa regula quam dixi alias, scilicet quod terminus semper supponit pro his quae sunt, ubicumque ponatur, uel potest pro eis supponere. Nam illam regulam intellexi de termino posito a parte subiecti; sed quando ponitur a parte praedicati non est uniuersaliter uera. Unde posito quod nullus homo modo sit albus, sed quod fuerint multi homines albi antea, in ista tunc 'homo fuit albus' praedicatum non potest supponere pro his quae sunt sed tantum pro his quae fuerunt. Unde generaliter praedicatum in illa de praeterito non supponit pro aliquo alio quam pro illo quod fuit, et in illa de futuro pro eo quod erit, et in illa de possibili pro eo quod potest esse. Cum hoc tamen requiritur quod ipsummet praedicatum praedicetur de illo pro quo subiectum supponit, modo praedicto.

Ad secundum dubium dicendum est quod de uirtute sermonis est concedendum, si nullus homo est albus et si nullus homo cantat missam et si Deus non creat, quod in praedictis propositionibus subiecta pro nullo supponunt. Et tamen sumuntur significatiue, quia 'sumi significatiue' uel 'supponere personaliter' potest dupliciter contingere: uel quia pro aliquo significato terminus supponit, uel quia denotatur supponere pro aliquo uel quia denotatur non supponere pro aliquo. Nam semper in propositionibus talibus affirmatiuis denotatur terminus supponere pro aliquo, et ideo si pro nullo supponit est propositio falsa. In propositionibus autem negatiuis denotatur terminus non supponere pro aliquo, uel supponere pro aliquo a quo uere negatur praedicatum, et ideo talis negatiua habet duas causas ueritatis. Sicut ista 'homo albus non est' habet duas causas ueritatis: uel quia homo non est, et ideo non est albus; uel quia homo est, et tamen non est albus. In ista autem propositione 'homo albus est homo', si nullus homo sit albus subiectum sumitur significatiue et personaliter, non quia supponit pro aliquo, sed quia denotatur supponere pro aliquo; et ideo quia pro nullo supponit, cum tamen denotetur supponere pro aliquo, est propositio simpliciter falsa.

Et ideo si aliquid prius dictum uideatur isti repugnare, intelligendum est in propositione affirmatiua et uera, quia semper in propositione affirmatiua et uera, si terminus stet personaliter, supponit pro aliquo significato, secundum modum praeexpositum.

Et si dicatur: ista non stant simul 'supponit' et 'pro nullo supponit', quia sequitur 'supponit, igitur pro aliquo supponit', dicendum est quod non sequitur, sed sequitur 'supponit, igitur denotatur pro aliquo supponere, uel denotatur pro nullo supponere'.

Ad tertium dicendum quod tales propositiones 'equus tibi promittitur', 'uiginti librae tibi debentur' de uirtute sermonis sunt falsae, quia quaelibet singularis est falsa, ut patet inductiue. Tamen si termini tales ponantur a parte praedicati, possunt aliquo modo concedi. Et tunc oportet dicere quod termini sequentes talia uerba uirtute illorum uerborum habent suppositionem confusam tantum, et ideo non contingit descendere disiunctiue ad singularia sed tantum per disiunctum praedicatum, connumerando non tantum praesentia sed etiam futura. Unde non sequitur 'promitto tibi equum, ergo promitto tibi hunc equum uel promitto tibi illum equum', et sic de singulis praesentibus; sed bene sequitur 'promitto tibi equum, igitur promitto tibi hunc equum uel illum uel illum', et sic de singulis, connumerando omnes, tam praesentes quam futuros, et hoc quia omnia talia uerba aequiualenter includunt uerba de futuro. Unde ista'promitto tibi equum' ualet istam 'tu habebis ex dono meo unum equum', et ideo in ista 'promitto tibi equum' potest li equum supponere pro futuris, sicut in ista 'tu habebis equum'.

Sed numquid ista 'promitto tibi equum' li equum supponit confuse tantum, loquendo de uirtute sermonis? Dicendum quod stricte loquendo li equum non supponit confuse tantum, quia non supponit, cum sit pars extremi. Et praedicta regula de suppositione determinata data est de illis quae stricte loquendo supponunt, quia sunt extrema propositionum et non tantum partes extremorum. Tamen extendendo nomen potest dici quod li equum supponit confuse tantum, et hoc quia sequitur tale uerbum. Et ita est uniuersaliter quod terminus communis sequens uerbum tale, ita tamen quod sit pars extremi tantum, semper supponit confuse tantum et non determinate, personaliter tamen.

Unde sciendum est quod quandocumque in aliqua propositione tali de praesenti uel de praeterito uel de futuro ponitur uerbum uirtute cuius denotatur quod aliqua propositio erit uera, uel deberet esse uera, in qua ponitur a parte praedicati terminus communis, et non denotatur de quacumque propositione in qua ponitur a parte praedicati singulare contentum sub illo communi quod erit uera, tunc ille terminus communis, isto modo accipiendo 'supponere' quo pars extremi potest supponere, non supponit determinate, hoc est non contingit descendere ad singularia per disiunctiuam sed tantum per propositionem de disiuncto extremo uel de parte extremi disiuncta. Nunc autem per istam 'ego promitto tibi equum', uirtute istius uerbi 'promitto' denotatur quod haec erit uera, uel quod debet esse uera aliquando, 'ego do tibi equum' uel consimilis, et non denotatur quod aliqua talis 'ego do tibi istum equum' — quocumque equo demonstrato — erit uel debet esse uera. Et ideo non sequitur 'ego promitto tibi equum, igitur promitto tibi istum equum uel promitto tibi illum equum'. Et consimiliter est de talibus 'ego debeo tibi uiginti libras', 'iste tenetur Sorti in uiginti marchis'.

Sic igitur patet quod ista potest concedi 'ego promitto tibi equum', et tamen ista de uirtute sermonis nullo modo debet condedi 'equus tibi promittitur'. Cuius ratio est quia in ista 'equus tibi promittitur' li equus est subiectum et non est pars subiecti, et ideo oportet quod supponat determinate, cum neque signum neque negatio

neque aliquid includens aliquid tale praecedat, et ideo oportet quod contingat descendere ad singularia. In ista autem 'promitto tibi equum' li equum non est extremum sed pars extremi, quia istud totum est praedicatum 'promittens tibi equum', quia istae aequiualent 'ego promitto tibi equum' et 'ego sum promittens tibi equum'; et ita 'equum' est pars extremi. Et ideo sicut non oportet quod supponat, proprie loquendo, ita non oportet quod supponat determinate, et per consequens non oportet quod contingat descendere ad disiunctiuam.

Sed numquid contingit descendere sub parte extremi? Dicendum est quod quandoque contingit descendere. Sicut bene sequitur 'iste dat Sorti equum, igitur dat sibi istum equum uel dat sibi illum', et sic de singulis. Quandoque autem non contingit descendere propter aliquam rationem specialem, qualis dicta est in proposito. Et ita quamuis ista concedatur 'ego promitto tibi equum', ista tamen de uirtute sermonis non est concedenda 'equus tibi promittitur'. Tamen ipsa conceditur, quia communiter accipitur pro ista 'aliquis tibi promittit equum'. Sed quare ista consequentia non ualet 'aliquis tibi promittit equum, igitur equus tibi promittitur', dicetur in tractatu de propositione.

Ad quartum dicendum est quod in talibus 'iste priuatur uisu' li uisu, quod est pars extremi, non proprie supponit. Verumtamen isto modo quo potest supponere, supponit confuse et distributiue, quia aequiualet isti 'iste nullum uisum habet', ubi 'uisus' negatiue confunditur confuse et distributiue. Tamen non in qualibet propositione exponente illam unam supponit confuse et distributiue, quia non in affirmatiua, scilicet in ista 'iste est aptus natus habere uisum', sed in ista supponit aliquo modo determinate, scilicet pro illis quae aliquando fuerunt possibilia, non tamen pro omnibus illis, sed pro illis quae potuerunt sibi infuisse.

Ad quintum dicendum est quod de uirtute sermonis haec est falsa 'genera et species sunt substantiae'. Sed haec potest concedi 'genera et species sunt secundae substantiae', et tunc li secundae substantiae supponit personaliter et determinate, quia hoc nomen 'secunda substantia' imponitur ad significandum intentiones secundas, importantes ueras substantias.

Et ideo falsa est opinio quae ponit quod 'substantia' potest habere suppositionem simplicem et tamen supponere pro speciebus et generibus. Sed si aliquando inuenitur in aliquo auctore quod genera et species sunt substantiae, debet auctoritas exponi: uel quod per actum exercitum intelligit actum signatum, ut per istam 'genera et species sunt substantiae' intelligatur ista 'de generibus et speciebus praedicatur substantia', et debet sic exerceri 'homo est substantia', 'animal est substantia', et sic de aliis. Vel debet auctoritas exponi, quod 'substantia' est aequiuocum. Aliquando enim significat ueras res, quae sunt substantiae distinctae realiter ab omni accidente reali et ab omni intentione secunda, et tunc accipitur 'substantia' proprie. Aliquando significat ipsas intentiones importantes substantias primo modo dictas. Et tunc sub tali intellectu concederetur ista 'genera et species sunt substantiae', accipiendo praedicatum personaliter; sed tunc non acciperetur proprie sed improprie et transumptiue.

Ad sextum dicendum est quod diuersi diuersimode utuntur talibus abstractis, nam aliquando utuntur eis pro rebus, aliquando utuntur eis pro nominibus. Si primo modo, tunc debet dici quod supponunt pro illis pro quibus supponunt sua concreta, secundum opinionem Aristotelis. Et tunc istae aequipollent 'ignis est calefaciens' et 'ignis est calefactio', similiter 'homo est pater' et 'homo est paternitas'. Immo proprie loquendo talia concreta et abstracta, si abstracta imponalitur ad significandum praecise res, sunt nomina synonyma, secundum intentionem Aristotelis et multorum philosophorum.

Et quod hoc non sit ita mirabile, potest persuaderi. Nam accipio istam propositionem 'creatio est uera res', et quaero: aut 'creatio' supponit pro aliquo aut pro nullo. Si pro nullo, uel non erit propositio uel erit propositio falsa. Si supponit pro aliquo, aut pro re extra, aut pro re in anima, aut pro uno aggregato. Si pro re extra, quaero: pro qua? Et non potest dari nisi Deus; igitur 'creatio' ita supponit pro Deo sicut 'creans'. Et eadem facilitate poterit hoc dici de omni alio. Si supponit pro aliquo in anima, — sicut secundum a liquos supponit pro relatione rationis —, hoc est impossibile, quia tunc haec esset falsa 'creatio est uera res'; et similiter, tunc numquam esset creatio nisi in anima, nec Deus esset creans nisi per actum animae formantis talem relationem rationis. Similiter, eadem facilitate posset dici quod 'calefactio' supponit pro tali ente siue relatione rationis; nec potest esse aliqua ratio ad probandum talem esse relationem in agente creato magis quam increato. Et ideo secundum intentionem Philosophi nulla est res quae poterit significari per tale concretum uel connotari quin eodem modo significetur uel connotetur per abstractum. Et ideo apud eum, si utrumque imponatur ad significandum rem, erunt nomina synonyma.

Nec ualet dicere quod modus significandi impedit synonymitatem, quia diuersitas modi significandi non impedit synonymitatem nisi quando propter diuersum modum significandi aliquid significatur uel connotatur per unum quod non connotatur uel non significatur per reliquum eodem modo. Sicut patet in istis 'homo', 'hominis', 'homines'; similiter 'homo', 'risibilis'; similiter 'intellectus', 'uoluntas' et 'anima'; similiter hic 'creans', 'gubernans', 'damnans', 'beatificans', et sic de omnibus talibus, quae uerificantur de eodem, et tamen non sunt synonyma. Si enim solum diuersitas modi significandi uariaret synonymitatem, dicerem aeque faciliter quod 'tunica' et 'uestis' non sunt synononyma, quia 'tunica' terminatur in 'a' et non 'uestis'; et sic de multis talibus. Et ita talis diuersitas nec quantum ad terminationem nec quantum ad accidentia, cuiusmodi sunt genus et huiusimodi, nec quantum ad alia, cuiusmodi sunt adiectiuum et substantiuum uel huiusmodi, euacuant synonymitatem. Tamen quando est uarius modus significandi proprie loquendo, tunc non est synonymitas. Sed hoc non contingit in proposito, sicut patet manifeste, quia eundem modum significandi omnino possunt habere concretum et abstractum quando non sunt talia concretum et abstractum cuiusmodi sunt illa de primo modo, sicut dictum est in principio istius tractatus.

Sic igitur talia abstracta, quando accipiuntur significatiue pro rebus, sunt nomina synonyma cum concretis, secundum intentionem Aristotelis. Sed secundum theologos aliter forte oportet dicere de aliquibus, quamuis non de omnibus.

Aliquando autem utuntur homines talibus abstractis, ut significent ipsamet concreta, sicut faciunt de istis 'priuatio', 'negatio', 'contradictio' et huiusmodi. Et sic in ista 'homo est relatio', li relatio supponit significatiue et pro nominibus relatiuis. Et similiter 'similitudo' aliquando supponit pro nomine relatiuo, puta pro hoc nomine 'simile'; similiter 'creatio' pro hoc nomine 'creans'; et 'quantitas' pro hoc nomine 'quantum', et sic de multis talibus abstractis quae iion habent concreta sibi correspondentia, supponentia pro rebus distinctis ab illis rebus quae significantur per abstracta, secundum intentionem Aristotelis. Et ideo de omnibus talibus abstractis eodem modo quo conceditur de eis praedicari hoc praedicatum 'res extra animam' debet de eis concedi suum concretum et illud idem pro quo suum concretum supponit, quia, sicut frequenter est dictum, si talia abstracta sint praecise nomina primae intentionis, erunt nomina synonyma cum suis concretis, secundum opinionem Aristotelis, ut mihi uidetur.

Et ista est causa quare pauca talia abstracta inueniuntur ab Aristotele, quia omnia talia 'homo—humanitas', 'equus—equinitas', 'animalanimalitas', 'asinus—asinitas', 'bos—bouitas', 'quantum—quantitas', 'relatiuum—relatio', 'simile—similitudo', 'calefaciens—calefactio', 'pater—paternitas', 'ternarius—trinitas', 'duo—dualitas', et huiusmodi quando sunt nomina praecise primae intentionis synonyma reputauit.

Sed secundum usum loquentium aliquando abstracta sunt nomina secundae intentionis uel secundae impositionis, et tunc non sunt synonyma.

Alii autem dicunt quod omnia talia nomina abstracta significant res distinctas uel relationes rationis et pro illis supponunt.

Ad septimum dubium dicendum est quod in ista 'Sortes bis fuit albus' ponitur una dictio aequiualenter includens negationem scilicet haec dictio 'bis'. Unde uirtute istius dictionis ista 'Sortes bis fuit albus' habet unam negatiuam exponentem; aequiualet enim isti 'Sortes primo fuit albus, et aliquo tempore postea non erat albus, et postea fuit albus'. Et propter istam negatiuam aequiualenter inclusam non stat mere determinate, ut contingat descendere per disiunctiuam ad pronomina uel nomina propria exprimentia illa pro quibus praedicatum supponit.

Et consimiliter est de istis 'Sortes incipit esse albus', 'homo desinit esse grammaticus', et uniuersaliter de talibus habentibus aliquam negatiuam exponentem.

Per idem ad aliud: quod ista 'tantum animal est homo' habet dictionem exclusiuam, propter quam habet unam negatiuam exponentem, et ideo nec subiectum nec praedicatum supponit determinate.

Ad nonum dicendum quod si accipiatur de uirtute uocis, termini eodem modo supponunt sicut in aliis; sed secundum usum loquentium improprie supponunt pro aliis.

1.73. DE SUPPOSITIONE CONFUSA TANTUM ET DE REGULIS EIUS

Viso quae est suppositio determinata, uidendum est de suppositione confusa tantum.

Circa quam diuersae regulae dantur. Una est quod quando terminus communis sequitur signum uniuersale affirmatiuum mediate, tunc stat confuse tantum, hoc est semper in uniuersali affirmatiua praedicatum supponit confuse tantum, sicut in ista 'omnis homo est animal', 'omnis homo est albus', et sic de aliis. Sed quantumcumque signum uniuersale ponatur a parte subiecti, si tamen propositio non sit uniuersalis affirmatiua, nec signum uniuersale distribuit totum subiectum, praedicatum non supponit confuse tantum. Verbi gratia in ista 'uidens omnem hominem est animal', li animal stat determinate, quia signum uniuersale non distribuit totum subiectum, nec reddit istam propositionem uniuersalem, ideo praedicatum non stat confuse tantum. Similiter est de ista 'creator omnium creabilium est ens', li ens stat determinate et non confuse tantum.

Alia regula datur, quod quando aliquod signum uniuersale uel includens aequiualenter signum uniuersale praecedit terminum a parte eiusdem extremi, ita tamen quod non determinat totum praecedens copulam, facit illud quod sequitur a parte eiusdem extremi stare confuse tantum, illo modo loquendo quo pars extremi potest supponere et stare. Ita quod tunc sub illo non contingit descendere ad disiunctiuam, sicut patet hic 'omni tempore aliquod creabile fuit'; simibter hic 'omni tempore post Adam aliquis homo fuit'. Hic li homo supponit confuse tantum, quia si supponeret determinate uel coiifuse et distributiue, esset falsa, quia quaelibet singularis est falsa, patet inductiue. Similiter idem patet hic 'usque ad finem mundi aliquod animal erit' uel 'aliquis asinus erit'. Similiter idem posset dici hic 'usque ad finem mundi homo erit', et hic 'tota die fuit aliquis homo hic intus', posito quod diuersi homines diuersis horis fuerunt hic intus. Similiter in talibus 'semper fuit homo', 'semper erit homo', et sic de multis talibus. Utrum autem istud sit tenendum de uirtute sermonis uel non, non multum curo; tamen secundum usum loquentium, propter quem multum ualet talia scire, oportet sic dicere.

Dixi autem 'quando istud syncategorema non determinat totum extremum', quia si simpliciter determinaret totum extremum, hoc est totum quod ponitur ab una parte uerbi, tunc non esset uerum. Sicut patet in ista 'omnis asinus hominis currit', nam li omnis determinat hoc totum 'asinus hominis' et non distribuit tantum li asinus nec li hominis tantum. Similiter est hic 'cuiuslibet hominis asinus currit': distribuitur hoc totum 'hominis asinus'. 'O'nde isti termini 'homints asinus, asinus hominis' ita sunt distribuibiles unica distributione sicut isti termini 'homo albus', 'animal album', et sic de aliis. Ita non est in istis 'tota die fuit aliquis homo hic intus', 'omni tempore post Adam aliquis homo fuit', nam hoc totum 'tempore post Adam aliquis homo'

non potest esse subiectum respectu cuiuslibet uerbi, sicut hoc totum 'hominis asinus' et similiter hoc totum 'asinus hominis' potest esse subiectum respectu cuiuslibet uerbi.

Siue autem hoc sit proprie dictum siue non, non curo. Hoc tamen sciendum est quod quando etiam a parte eiusdem extremi signum uniuersale affirmatiuum praecedit mediate terminum communem, non contingit descendere ad contenta sub illo termino communi nec copulatiue nec disiunctiue, non plus quam si ille terminus communis esset extremum propositionis et supponeret confuse tantum. Et hoc est intelligendum quando terminus immediate sequens et mediate sequens non sunt eiusdem casus uel quando non se habent sicut adiectiuum et substantiuum, quia si sic se haberent, ad neutrius contenta omnia contingit descendere. Sicut quando sic dicitur 'omnis homo albus est albus' ad neutrius contenta omnia contingit descendere copulatiue. Secus est in primo casu, quia in illo casu contingit descendere ad omnia contenta termini immediate sequentis signum et non ad contenta alterius; neutrum tamen supponit proprie sed compositum ex illis duobus. Exemplum patet in ista 'cuiuslibet hominis asinus currit' et in ista 'omnem hominem uidens est animal'. Tertia regula potest dari, quod semper subiectum exclusiuae affirmatiuae supponit confuse tantum, sicut in ista 'tantum animal est homo', li animal supponit confuse tantum, sicut in uniuersali affirmatiua conuertibili cum illa exclusiua, puta 'omnis homo est animal'.

1.74. DE SUPPOSITIONE CONFUSA ET DISTRIBUTIVA ET DE REGULIS EIUS

Circa suppositionem confusam et distributiuam dantur diuersae regulae. Et primo de suppositione confusa et distributiua mobili. Et sunt istae: Una est quod in omni propositione uniuersali affirmatiua et negatiua, quae non est exclusiua nec exceptiua, stat subiectum confuse et distributiue mobiliter, sicut patet in istis 'omnis homo currit', 'nullus homo currit'.

Secunda regula: quod in omni tali uniuersali negatiua praedicatum stat confuse et distributiue.

Tertia regula est quod quando negatio determinans compositionem principalem praecedit, praedicatum stat confuse et distributiue, sicut in ista 'homo non est animal' li animal stat confuse et distributiue, sed 'homo' stat determinate.

Quarta regula est quod illud quod immediate sequitur hoc uerbum 'distinguitur' uel 'differt', uel participia eis correspondentia, uel hoc nomen 'aliud', uel aequiualens illis, stat confuse et distributiue. Sicut bene sequitur 'Sortes distinguitur ab homine, igitur Sortes distinguitur ab hoc homine', quocumque homine demonstrato; similiter in ista 'Sortes differt ab homine' uel 'Sortes est differens ab homine'; et similiter in ista 'Sortes est alius ab homine'.

Verumtamen sciendum est quod praedictae regulae uerae sunt quando sine negatione, uel tali uerbo uel nomine dempto, praedictus terminus non staret confuse et distributiue, quia si aliquo praedictorum dempto terminus staret confuse et distributiue, tunc per aduentum talis dictionis idem terminus staret determinate. Sicut patet in ista 'Sortes est omnis homo', hoc praedicatum 'homo' stat confuse et distributiue. Ideo si praecedat negatio, stabit determinate, sicut patet sic dicendo 'Sortes non est omnis homo'; nam sequitur 'Sortes non est iste homo', quocumque homine demonstrato, 'igitur Sortes non est omnis homo'. Et eodem modo dicendum est de aliis.

Et ideo ista regula est uera 'quidquid mobilitat immobilitatum, immobilitat mobilitatum'. Hoc est, quidquid additum termino stanti immobibiter facit ipsum stare mobiliter postquam additur sibi, illud idem additum termino stanti primo mobiliter facit ipsum stare immobiliter postquam sibi additur. Sicut in ista propositione 'Sortes est homo', stat 'homo' immobiliter; et si addatur negatio, sic dicendo 'Sortes non est homo', negatio facit li homo stare mobiliter. Et ideo si primo stet terminus mobiliter sine negatione, postquam additur sibi negatio stabit immobiliter. Sicut in ista 'Sortes est omnis homo': quia in ista 'Sortes est omnis homo' stat li homo mobiliter, ideo in ista 'Sortes non est omnis homo' stat li homo immobiliter. Et eodem modo dicendum est de istis 'Sortes differt ab omni homine', 'Sortes est alius ab omni homine'.

Hoc igitur uniuersaliter est dicendum quod quidquid facit terminum stare confuse et distributiue uel est signum uniuersale uel negatio uel aliquid aequiualens negationi. Non tamen semper quando aliquid includit negationem facit ipsum stare mobiliter, sicut patet de dictione exclusiua in propositione affirmatiua, quia subiectum non supponit confuse et distributiue sed praedicatum. In exclusiua autem negatiua, in qua dictio exclusiua additur subiecto, tam subiectum quam praedicatum supponit confuse et distributiue.

Circa suppositionem confusam et distributiuam immobilem est sciendum quod semper subiectum talem habet suppositionem in propositione exceptiua, sicut patet in ista 'omnis homo praeter Sortem currit'. Nam li homo supponit confuse et distributiue, non tamen mobiliter, quia non contingit descendere nihil uariando, nisi per solam positionem singularis loco termini communis et signi. Nam non sequitur 'omnis homo praeter Sortem currit, igitur iste homo praeter Sortem currit', nam consequens est improprium, sicut post patebit.

Hic tamen sciendum est quod aliquo modo contingit descendere ad omnia singularia sed non eodem modo, sed ad unum negatiue et ad omnia alia affirmatiue. Nam bene sequitur 'omnis homo praeter Sortem currit, igitur Sortes non currit', et de omnibus aliis sequitur affirmatiue 'igitur iste homo currit, et ille homo currit', et sic de singulis, excepto solo Sorte. Et hoc facit dictio exceptiua addita.

1.75. QUALITER SUPPONIT PRAEDICATUM IN PROPOSITIONIBUS DE 'INCIPIT' ET 'DESINIT'

Potest autem dubitari de talibus de quibus tactum est: 'Sortes desinit esse albus', 'Sortes bis fuit Romae', 'Sortes ter fuit niger', 'Sortes incipit esse grammaticus', et huiusmodi, quomodo praedicata in eis supponunt.

Quod enim non supponant determinate patet, quia non contingit descendere ad singularia per disiunctiuam. Non enim sequitur 'Sortes incipit esse grammaticus, igitur Sortes incipit esse hoc uel incipit esse illud', demonstrando omnia pro quibus praedicatum supponit, quia antecedens potest esse uerum qualibet parte consequentis exsistente falsa; igitur non supponit determinate. Similiter non sequitur 'Sortes incipit esse grammaticus, igitur Sortes incipit esse iste grammaticus', demonstrando Platonem; et ita non supponit confuse et distributiue. Nec supponit confuse tantum, quia non contingit descendere ad singularia per propositionem de disiuncto praedicato. Non enim sequitur 'Sortes incipit esse grammaticus, igitur incipit esse iste uel ille grammaticus', et sic de singulis grammaticis, quia antecedens potest esse uerum sine consequente.

Potest dici quod terminus praedicatus in talibus propositionibus, uel etiam illud quod sequitur uerbum adiectiuum uel substantiuum, non habet suppositionem nec determinatam nec confusam tantum nec confusam et distributiuam, sed unam aliam pro qua tamen nomen non habemus. Unde ista Suppositio conuenit cum confusa tantum, quia sicut quando terminus supponit confuse tantum, a quolibet pronomine demonstrante aliquod singulare contentum sub termino ad teminum communem contingit ascendere, ita contingit in proposito. Sicut enim sequitur 'omnis homo est hoc', demonstrando quodcumque animal, 'igitur omnis homo est animal', ita sequitur 'Sortes incipit esse hoc', demonstrando quodcumque grammaticum, 'igitur Sortes incipit esse grammaticus'.

Differt autem a suppositione confusa tantum, quia non contingit descendere ad disiunctum ex nominibus propriis illorum pro quibus terminus communis supponit. Non enim sequitur 'Sortes incipit esse grammaticus, igitur Sortes incipit esse iste uel ille', demonstrando omnes grammaticos.

Differt autem praedicta suppositio a suppositione determinata, quia non contingit descendere per disiunctiuam.

Ratio autem quare terminus talis non habet aliquam praedictarum suppositionum est ista: quia semper illa propositio aequiualet uni copulatiuae ex duabus uel pluribus propositionibus, quarum aliqua est nega— tiua et alia affirmatiua de eodem subiecto, in quibus idem terminus habet diuersas suppositiones; et ideo nullam istarum habet in illa una propositione cuius exponentes sunt istae partes. Verbi gratia ista 'Sortes incipit esse albus' aequiualet isti copulatiuae 'Sortes nunc primo est albus et antea non erat albus'. Nunc autem in ista 'Sortes est albus' li albus supponit determinate, in ista autem 'Sortes non fuit albus' li albus supponit confuse et distributiue, propter negationem praecedentem.

Et si dicatur quod tunc in ista 'tantum animal est homo' secundum istam rationem subiectum non haberet suppositionem confusam tantum, eo quod illa aequiualet uni copulatiuae, cuius una pars est affirmatiua et alia negatiua, in quibus subiectum habet diuersam et non eandem suppositionem:

Dicendum est quod in illa exclusiua affirmatiua subiectuni habet suppositionem confusam tantum, quia quamuis exponentes suae habeant subiecta quae habent diuersas suppositiones, quia tamen illa subiecta non sunt illud idem subiectum quod est subiectum exclusiuae, quia aliud est subiectum negatiuae exponentis et affirmatiuae, ideo poterit subiectum exclusiuae habere aliquam suppositionem illarum trium. Nunc autem in talibus propositionibus 'Sortes incipit esse grammaticus', 'Sortes desinit esse albus', 'Sortes bis fuit niger' idem est subiectum exponentium et propositionis expositae.

1.76. DE SUPPOSITIONE TERMINORUM RELATIVORUM, ACCIPIENDO RELATIVUM SICUT ACCIPIT GRAMMATICUS ET NON SICUT LOGICUS

Istis uisis de suppositione terminorum absolutorum, uidendum est de suppositione relatiuorum, non accipiendo 'relatiuum' illo modo quo logicus accipit, sed illo modo quo grammaticus accipit, secundum quod dicit quod 'relatiuum est ante latae rei recordatiuum'

Est autem primo sciendum quod 'relatiuum', secundum quod grammatici utuntur relatiuo, quoddam uocatur relatiuum substantiae, quoddam uocatur relatiuum accidentis. Relatiuum substantiae uocatur sicut 'iste', 'ille', 'idem'. Relatiua accidentis uocantur illa quae imponuntur aliquo modo uel deriuantur a pluribus accidentibus, sicut 'talis', 'tantus', 'tot' et huiusmodi.

Relatiua substantiae quaedam sunt relatiua identitatis, quaedam diuersitatis. Relatiuorum identitatis quaedam sunt non reciproca, quaedam sunt reciproca. Non reciproca sunt sicut 'ille', 'idem' et sic de aliis.

Et de istis dantur regulae: quod semper supponunt pro illo pro quo supponunt sua antecedentia, ita quod pro eodem uerificantur, si uerificentur. Sicut patet hic 'Sortes currit et ille disputat': ad hoc quod ista copulatiua sit uera requiritur quod secunda pars uerificetur pro illo eodem pro quo prima pars uer1ficatur. Similiter hic 'homo est species et ille praedicatur de pluribus'.

Unde sciendum est quod tale relatiuum numquam debet poni in eadem categorica cum suo antecedente, sic dicendo 'Sortes est ille', nam hic li ille est pronomen demonstratiuum et non relatiuum.

Similiter sciendum quod numquam, quando antecedens relatiui est terminus communis supponens personaliter, est licitum ponere antecedens loco relatiui ad habendum propositionem conuertibilem et aequiualentem. Sicut istae non aequipollent 'homo currit et ille disputat', 'homo currit et homo disputat'. In aliis

casibus contingit, nam istae aequipollent 'Sortes currit et ille disputat', 'Sortes currit et Sortes disputat'.

Similiter est sciendum quod negatio numquam facit relatiuum stare confuse et distributiue, sed semper supponit pro illo praecise pro quo uerificatur suum antecedens, uel denotatur uerificari. Unde haec est uera 'aliquis homo est Plato et Sortes non est ille', et tamen non sequitur 'igitur Sortes non est homo', sed sufficit quod haec sit uera 'Sortes non est Plato'. Et ita de uirtute sermonis ista duo stant simul 'aliquis homo currit et Sortes non est ille' et 'aliquis homo currit et Sortes est ille', quia si Sortes et Plato currant utraque istarum copulatiuarum est uera.

Circa relatiua identitatis reciproca sciendum quod differunt in hoc ab allis quod possunt indifferenter poni in eadem categorica cum suo antecedente et in alia. Sicut patet de istis relatiuis 'se', 'suus'; nam bene dicitur 'Sortes disputat et uidet se'; similiter bene dicitur 'Sortes uidet se'; similiter bene dicitur 'Sortes uidet suum asinum'; et bene dicitur 'Sortes currit et suus asinus ambulat'.

Et est sciendum quod aliqinando relatiuum est pars extremi et aliquando est extremum. Quando est extremum, ita scilicet quod sequitur uel praecedit immediate uerbum, tunc supponit pro illo pro quo supponit suum antecedens; sicut in istis 'Sortes uidet se', 'omnis homo uidet se'. Sed quando est pars extremi tunc non supponit pro illo pro quo supponit suum antecedens, sed supponit pro aliquo importato per illud cui additur. Sicut patet hic 'Sortes disputat et suus asiiius currit'. Hic li suus non supponit pro Sorte, sed supponit pro asiiio Sortis et non pro alio asino.

Est etiam sciendum quod semper tale relatiuum habet talem suppositionem et pro eisdem supponit pro quibus supponit suum antecedens. Sed quando suum antecedens supponit confuse et distributiue uel determinate, habet consimilem suppositionem sed singillatim, reddendo scilicet singula singulis. Et ideo non contingit descendere nec copulatiue nec disiunctiue, nec alio modo, nisi respectu alicuius contenti sub antecedente. Verbi gratia in ista 'omnis homo uidet se' li se supponit pro omni homine confuse et distributiue immobiliter et singillatim, quia non contingit descendere non uariando aliud extremum; sicut non sequitur 'omnis homo uidet se, igitur omnis homo uidet Sortem', et tamen contingit descendere ad Sortem respectu Sortis, sic dicendo 'omnis homo uidet se, igitur Sortes uidet Sortem'. Ita non est hic 'homo est animal'. Similiter in ista 'homo uidet se' li se supponit determinate singillatim, quia contingit sic descendere 'homo uidet se, igitur Sortes uidet Sortem' uel 'Plato uidet Platonem', et sic de singulis. Similiter contingit ascendere: non sic 'homo uidet Platonem, igitur homo uidet se', sed sic 'Sortes uidet Sortem, igitur homo uidet se'.

Ex istis patet quod tale relatiuum, sequens signum uniuersale mediate, habet suppositionem confusam et distributiuam, singillatim tamen.

Similiter relatiuum in aliqua categorica, siue sit relatiuum reciprocum siue non, habet suppositionem confusam et distributiuam propter additionem signi uniuersalis ad suum antecedens.

Eodem modo talis terminus habet suppositionem confusam tantum, quamuis in illa categorica nullum signum uniuersale ponatur, propter hoc quod in categorica praecedenti praecedit mediate signum uniuersale suum antecedens; sicut patet hic 'omnis homo est animal et quilibet asinus uidet illud'.

Circa relatiuum diuersitatis sciendum est quod relatiuum diuersitatis ideo dicitur quia non uer1ficatur pro eodem pro quo suum antecedens sicut patet hic: demonstratis duobus contradictoriis haec est uera 'alterum istorum est uerum et reliquum est falsum'. Hic li reliquum uerificatur pro illo pro quo non uerificatur hoc antecedens 'alterum istorum est uerum.

Circa relatiua accidentium, cuiusmodi sunt 'tantus', 'tabs', 'tot' et huiusmodi, quae non ideo dicuntur relatiua accidentium quia supponunt pro accidentibus, secundum opinionem Aristotelis, sed quia supponunt pro aliquo, connotando aliquod praedicabile non in quid.

Et est sciendum quod tale relatiuum non supponit nec uerificatur pro illo pro quo suum antecedens sed pro alio, illi pro quo supponit suum antecedens simili uel aequali: sicut patet in ista 'Sortes est albus et talis est Plato'; li talis non supponit pro Sorte sed pro alio, simili Sorti. Similiter hic 'Sortes et Plato currunt et tot disputant'; li tot non necessario supponit pro Sorte et Platone, nec supponit necessario pro illis pro quibus supponit li currunt, sed potest supponere pro aliis. Similiter est hic 'Sortes est bicubitus et tantus est Plato'.

'Unde sciendum est quod aliquando potest tale relatiuum supponere pro eodem, sed hoc non oportet. Similiter sciendum est quod suum antecedens, frequenter uel semper, est aliquod nomen in genere quantitatis uel qualitatis uel in alio praedicamento accidentali.

1.77. DE SUPPOSITIONE IMPROPRIA

Oportet autem cognoscere quod sicut est suppositio propria, quando scilicet terminus supponit pro eo quod significat proprie, ita est suppositio impropria, quando terminus accipitur improprie. Multiplex autem est suppositio impropria, scilicet antonomastica, quando terminus supponit praecise pro illo cui maxime conuenit, sicut in talibus 'Apostolus dicit hoc', 'Philosophus negat hoc', et similibus. Alia est synecdochica, quando pars supponit pro toto. Alia est metonymica, quando continens supponit pro contento uel quando abstractum accidentis supponit pro subiecto, et sic de aliis.

Et ideo multum est considerandum quando terminus et propositio accipitur de uirtute sermonis et quando secundum usum loquentium uel secundum intentionem

auctorum, et hoc quia uix inuenitur aliquod uocabulum quin in diuersis locis librorum philosophorum et Sanctorum et auctorum aequiuoce accipiatur; et hoc penes aliquem modum aequiuocationis. Et ideo uolentes accipere semper uocabulum uniuoce et uno modo frequenter errant circa intentiones auctorum et inquisitionem ueritatis, cum fere omnia uocabula aequiuoce accipiantur.

Ex praedictis potest patere de istis 'esse intelligibile creaturae fuit ab aeterno', 'esse album conuenit Sorti', et de huiusmodi multis, quomodo termini in istis supponunt. Quia aut supponunt pro re aut pro uoce aut pro aggregato aut pro intentione animae: et quodcumque istorum detur, faciliter potest iudicari de eis an sint uerae uel falsae quando termini sumuntur in propria significatione. Nam si in ista 'esse inteligibile creaturae fuit ab aeterno' subiectum supponit pro re: uel pro re creata uel pro increata. Si pro re creata, manifestum est quod est falsa; si pro re increata, manifestum est quod est uera; si supponat pro aliquo aggregato ex utraque re, manifestum est quod est falsa; si supponat pro intentione animae uel pro uoce uel pro aliquo alio, neganda est.

Si autem tales propositiones non accipiantur de uirtute sermonis, tunc accipiendae sunt illae loco quarum ponuntur, et secundum quod illae sunt uerae uel falsae secundum hoc iudicandum est de eis. Unde quia per istam 'esse intelligibile creaturae fuit ab aeterno' intelligitur ista 'Deus ab aeterno intellexit creaturam', et ista secunda est uera, ideo prima, per quam intelligitur ista secunda, potest concedi.

Et ista iam dicta de terminis et suppositionibus sufficiant. — Et in hoc completur prima pars huius Summae.

Pars II : De propositionibus

2.01 DE DIVISIONE PROPOSITIONUM IN GENERALI

Postquam dicta sunt aliqua de terminis, nunc secundo dicendum est de propositionibus. Et primo ponendae sunt aliquae diuisiones; secundo uidendum est quid ad ueritatem propositionum requiritur et sufficit; tertio de conuersione propositionum sunt aliqua pertractanda.

Circa primum sciendum est quod una diuisio propositionum est quod propositionum alia est categorica, alia hypothetica. Propositio categorica est illa quae habet subiectum et praedicatum et copulam, et non includit plures tales propositiones.

Propositio hypotlietica est illa quae ex pluribus categoricis est composita. Et illa diuiditur in quinque species, secundum communem opinionem, scilicet in copulatiuam, disiunctiuam, condicionalem, causalem et temporalem.

Copulatiua est illa quae componitur ex pluribus propositionibus, siue categoricis siue hypotheticis, siue una categorica et alia liypotiietica, mediante liac coniunctione 'et'. Exemplum primi, sicut hic 'Sortes currit et Plato disputat'. Exemplum secundi 'si Sortes est, animal est, uel Sortes currit et Plato disputat'. Exemplum tertii 'si homo currit, animal currit et Sortes disputat'. Tamen quia tales raro sunt in usu, ideo intendo loqui praecise de primis, quae scilicet componuntur ex duabus categoricis.

Disiunctiua propositio est illa quae componitur ex pluribus propositiombus mediante liac coniunctione 'uel'.

Condicionalis est illa quae componitur ex pluribus propositionibus mediante hac coniunctione 'si', sicut hic 'si homo currit, animal currit', uel hic 'homo est, si Sortes est'; quia non refert istam coniunctionem praeponere primae propositioni uel ponere eam inter illas propositiones.

Propositio causalis est illa quae componitur ex pluribus propositionibus mediante hac coniunctione 'quia', sicut hic 'quia homo currit, homo mouetur'.

Temporalis est illa quae componitur ex duabus propositionibus mediante aliquo aduerbio temporis, sicut hic 'quando Sortes currit, Plato disputat'; similiter hic 'dum, Sortes currit, Ioannes est homo', et sic de aliis.

Alia diuisio propositionis est quod quaedam est propositio de inesse et quaedam de modo uel modalis. Propositio modalis est illa in qua ponitur modus. Propositio de inesse est illa quae est sine modo.

Et est sciendum quod quamuis omnes Sophistae quasi concordent quod tantum quatuor modi, scilicet 'necessarium', 'impossibile', 'contingens' et 'possibile' faciunt

propositionem modalem, et hoc quia Philosophus plures modos non tetigit, nec de pluribus determinauit in libro Priorum, tractando de conuersione talium propositionum et de syllogismis ex eis compositis, quia tamen alios non negauit, ideo generalius lo quendo potest dici quod plures sunt modi facientes propositiones modales quam illi quatuor.

Circa quod est sciendum quod propositio dicitur modalis propter modum additum in propositione. Sed non quicumque modus sufficit ad faciendum propositionem modalem, sed oportet quod sit modus praedicabilis de tota propositione, et ideo proprie dicitur modus propositionis' tamquam uerificabilis de ipsamet propositione. Et a tali modo uel aduerbio talis praedicabilis, si aduerbium habeat, uel uerbo dicitur propositio modalis. Sed tales modi sunt plures quam quatuor praedicti: nam sicut propositio alia est necessaria, alia impossibilis, alia possibilis, alia contingens, ita alia propositio est uera, alia falsa, alia scita, alia ignota, alia prolata, alia scripta, alia concepta, alia credita, alia opinata, alia dubitata, et sic de aliis. Et ideo sicut propositio dicitur modalis in qua ponitur iste modus 'possibile' uel 'necessarium' uel 'contingens' uel 'impossibile', uel aduerbium alicuius istorum, ita potest dici aeque rationabiliter propositio modalis in qua ponitur aliquod praedictorum. Et ideo sicut haec est modalis 'omnem hominem esse animal est necessarium' et similiter ista 'omnis homo de necessitate est animal', ita etiam est ista modalis 'omnem hominem esse animal est scitum', 'omnis homo scitur esse animal, similiter tales 'omnem hominem esse animal est uerum', et si de aliis.

Et si quaeratur quare Philosophus non tractauit de istis, nec istas connumerauit inter propositiones modales, dicendum est quod Philosophus breuitati studens, quia ilia —quae de allis dixit possunt istis applicari—, noluit de istis diffuse tractare. Qualiter autem multa quie dicta sunt de aliis modalibus istis poterunt applicari, in sequentibus apparebit.

Tertia diuisio propositionum categoricarum potest esse ista quod aliqua Propositio categorica est aequiualens propositioni hypotheticae, quamuis sit categorica, alia autem non est sic aequiualens propositioni hypotheticae. Propositiones primae sunt exclusiuae et exceptiuae et reduplicatiuae et quaedam aliae. Immo, ubicumque praedicatur concretum primo modo dictum uel subicitur, talis propositio aequiualet propositioni hypotheticae, sicut patebit. Aliae sunt sicut tales 'angelus est substantia', 'Deus est', 'Deus est Pater' et huiusmodi.

Alia diuisio propositionum est quod quaedam est affirmatiua et quaedam negatiua.

Alia diuisio est quod quaedam est uniuersalis, quaedam particularis, quaedam indefinita, quaedam singularis. Propositio uniuersalis est illa in qua subicitur terminus communis signo uniuersali determinatus, siue fuerit affirmatiua siue negatiua, sicut hic 'omnis homo est animal', 'nullus homo est aninial', 'utrumque istorum currit', et sic de aliis. Propositio particularis est illa in qua subicitur terminus communis signo particulari determinatus, sicut 'aliquis homo currit', 'quidam homo

currit', et sic de aliis. Propositio indefinita est illa in qua subicitur terminus commuilis sine signo tam uniuersali quam, particulari, sicut 'homo est animal', 'animal currit', et sic de aliis. Propositio singularis est illa in qua subicitur proprium nomen alicuius uel pronomen demonstratiuum, uel pronomen demonstratiuum cum termino communi. Exemplum primi 'Sortes currit'; exemplum secundi 'iste curiit, demonstrato quocumque, exemplum tertii 'iste homo est animal'.

Tamen de multis propositionibus potest esse dubium quantae sint, sicut de istis:'Isti currunt'.'Alter istorum currit'.

Similiter de parte copulatiuae, ubi subicitur aliquod relatiuum, sicut hic 'Sortes curiit, et ille disputat'.

Similiter de talibus 'non omnis homo currit', 'non nullus homo est alumal' et huiusmodi.

Similiter de talibus 'homo est species', 'animal est genus', 'homo est nomlnatiul casus' et huiusmodi.

Similiter de talibus 'Deus creat', 'Deus generat', 'Deus est Pater et Filius et Spiritus Sanctus'.

Ad primum istorum dicendum quod iste est singularis 'isti currunt', quia supponit tale pronomen demonstratiuum.

Et si dicatur quod propositioni singulari numquam conuenienter additur signum uniuersale, sicut non conuenienter dicitur 'omnis Sortes currit' sic non conuenienter dicitur 'omnis iste currit' uel 'omnis iste est animal', sed conuenienter dicitur 'omnes isti currunt', igitur ista propositio 'isti currunt' non est singularis: Dicendum quod secundum communem modum loquendi termino pluralis numeri, quamuis sit pronomen demonstratiuum, conuenienter additur tale signum, quamuis forte stricte loquendo non deberet addi sibi, quia istae duae totaliter aequipollent 'isti currunt' et 'omnes isti currunt'. Si secunda sit propria non plus importatur per unam quam per aliam. Tamen sicut aliquando eadem dictio replicatur a parte eiusdem extremi propter allquam causam certam, ita propter maiorem expressionem uel impressionem, uel propter aliquam talem causam additur tali pronomini pluralis numeri signum uniuersale, quamuis de uirtute sermonis et de proprietate semonis non deberet sibi addi. Ad aliud dicendum est quod haec est indefinita 'alter istorum currit, sicut ista est uniuersalis 'uterque istorum currit, quia tale signum uniuersale, distribuens tantum pro duobus, potest addi pronomini in numero plurali et facere propositionem uniuersalem. Et ideo quod dictum est prius, quod illa propositio in qua subicitur pronomen demonstratiuum est singularis, debet intelligi quando illud pronomen accipitur in recto; quando autem accipitur in obliquo non oportet, sed poterit esse uniuersalis uel indefinita. Et eodem modo quando dicitur quod propositio uniuersalls est illa in qua subicitur terminus communis cum signo uniuersali, debet intelligi: quando [etiam] additur tale signum pronomini in casu

genitiuo. Et ideo tales sunt uniuersales 'uterque istorum currit', 'quilibet istorum est homo', et sic de aliis. Similiter tales 'aliquis istorum currit', 'aliquod istorum est animal' sunt particulares, quia additur signum particulare pronomini in casu genitiuo pluralis numeri, et signum accipitur in recto.

Ad aliud dicendum quod quando relatiuum refert nomen discretum, tunc reddit propositionem singularem; quando refert nomen commune, tunc reddit propositionem indefinitam. Et ideo in ista 'Sortes currit et ille disputat', si tamen sit propria, secunda pars copulatiuae est singularis. Sed secunda pars istius copulatiuae 'homo currit et ille disputat' est indefinita, et hoc quia relatiuum supponit pro eisdem uel pro eodem pro quo uel pro quibus supponit suum antecedens, ideo dehet facere, proportionaliter, propositionem singularem uel indefinitam, secundum quod suum antecedens est nomen discretum siue proprium uel commune.

Ad aliud dicendum est quod tales sunt particulares 'non omnis homo currit', 'non nullus homo est animal', et hoc quia negatio praecedit signum uniuersale. Et ideo quando dicitur quod propositio particularis est illa in qua subicitur terminus communis etc., debet intelligi: si negatio non praecedit signum particulare, et quando subicitur terminus communis cum signo uniueisali, praecedente negatione. Et ideo tales sunt particulares 'non omnis honio currit', 'non nullus homo est animal', et tales sunt uniuersales 'non aliquis homo currit', non quidam homo non currit et huiusmodi.

Ad aliud dubium: de talibus propositionibus 'homo est species', 'animal est genus', 'homo est nominatiui casus', et uniuersaliter quando terminus supponit simpliciter uel materialiter, potest dici, quasi ad placitum, uel quod sunt singulares uel indefinitae, quia hoc magis dependet ex uoluntate utentium istis terminis 'propositio singularis', 'propositio indefinita' quam ex re.

Et ideo qui uult dicere quod illa propositio, uniuersaliter, est indefinita in qua subicitur terminus communis sine signo et sine negatione praecedente, debet dicere quod omnes tales sunt indefinitae. Qui autem uult aliter uti, debet aliter dicere; quia debet dicere quod non sufficit quod sic subiciatur terminus communis, sed oportet addere quod terminus talis communis supponat personaliter; et tunc omnes tales ubi termini supponunt simpliciter uel materialiter sunt singulares.

Ad aliud per idem fere: quia qui uult uocare propositionem indefinitam omnem propositionem in qua subicitur terminus praedicabilis de pluribus suppositis distinctis realiter, dehet dicere quod haec est indefinita 'Deus generat', Deus creat' et huiusmodi, et hoc quia 'Deus' est talis terminus praedicabilis de pluribus. Qui autem uult dicere quod propositio non est indefinita nisi praedicetur terminus communis pluribus quae non sunt una res simpliciter, debet dicere quod haec est singularis et non indefinita 'Deus creat' et huiusmodi.

Dicendum est igitur quod propositio uniuersalis est illa in qua subicitur terminus communis signo uniuersali determinatus, sine negatione praecedente, propter tales

'non omnis homo currit', 'non nullus homo est animal'; uel in qua subicitur terminus communis sine signo uniuersali, cum negatione praecedente, propter tales non aliquis homo currit', 'non homo est animal', quae sunt uniuersales; uel in qua subicitur pronomen demonstratiuum genitiui casus pluralis numeri cum signo uniuersali, sine negatione praecedente, propter tales 'uterque istorum currit','quilibet istorum est homo'; uel inqua subicitur pronomen relatiuum referens suum antecedens, stans confuse et distributiue, propter tales 'omnis homo currit et ille disputat', quia secunda pars copulatiuae est uniuersalis sicut prima. Et istis est addendum quod terminus talis supponat personaliter, secundum unam opinionem. Et ideo secundum illam opinionem haec non est uniuersalis 'omnis homo: est terminus communis cum signo uniuersali', nec ista 'omnis homo: componitur ex termino communi et signo uniuersali'. Sed secundum istam opinionem debet concedi de uirtute sermonis quod eadem propositio numero est uniuersalis et singularis, quia in eadem propositione numero potest idem terminus supponere simpliciter uel materialiter et personaliter. Et si terminus supponat simpliciter uel materialiter, propositio erit singularis; si personaliter, erit uniuersalis. Verbi gratia ponatur quod sint duo mihi respondentes, et quod uni eorum quando profero istam propositionem 'omnis homo: est terminus communis signo uniuersali determinatus' determinem quod uolo quod hoc totum 'omnis homo' stet materialiter, tunc iste concederet quod est singularis; alii determinem quod uolo quod subiectum stet personaliter, tunc ille concederet quod est uniuersalis. Quo posito unica propositio est prolata, et tamen unus bene respondendo dicet eam esse singularem et alius uniuersalem; et per consequens unica propositio erit singularis et uniuersalis. Nec est hoc magis inconueniens quam dicere quod eadem propositio numero est nota et ignota, quia nota uni et ignota alteri. Et isto modo debet concedi de uirtute sermonis, secundum istam opinionem, quod eadem propositio numero est uera et falsa, necessaria et impossibilis, et idem syllogismus est demonstratio et syllogismus sophisticus et peccans in forma.

Quid tamen dicendum sit de istis, in sequentibus apparebit.

Ex praedictis leuiter potest sciri quae propositio est uniuersalis et quae indefinita et quae singularis.

Sexta diuisio propositionum potest esse ista quod quaedam propositiones sunt de praesenti, sicut istae 'homo est animal', 'homo currit' et huiusmodi; quaedam de praeterito, sicut istae 'Sortes fuit homo', 'Sortes fuit albus' et huiusmodi; quaedam de futuro, sicut ista 'homo erit albus' et huiusmodi. Quaedam secundum formam uocis sunt de praesenti et tamen aequiualent propositionibus de praeterito uel de futuro, sicut tales 'hoc est futurum', 'hoc est praeteritum' et huiusmodi.

Alia diuisio est quod quaedam propositiones sunt in recto et quaedam in obliquo; et quandoque obliquus ponitur a parte subiecti, sicut 'hominem uidet asinus', quandoque a parte praedicati, sicut hic 'asinus est hominis'.

2.02. QUID REQUIRITUR AD VERITATEM PROPOSITIONIS QUAE EST SINGULARIS ET DE INESSE

Positis praeniissis diuisionibus propositionum, quae tamen non sunt subordinatae, uidendum est quid ad ueritatem propositionum requiritur. Et primo de propositionibus singularibus de inesse et de praesenti et de recto, tam a parte subiecti quam a parte praedicati, et non aequiualentibus propositioni hypotheticae.

Circa quod dicendum est quod ad ueritatem talis propositionis singularis quae non aequiualet multis propositionibus non requiritur quod subiectum et praedicatum sint idem realiter, nec quod praedicatum ex parte rei sit in subiecto uel insit realiter subiecto, nec quod uniatur a parte rei extra animam ipsi subiecto, — sicut ad ueritatem istius 'iste est angelus' non requiritur quod hoc commune 'angelus' sit idem realiter cum hoc quod ponitur a parte subiecti, nec quod insit illi realiter, nec aliquid tale —, sed sufficit et requiritur quod subiectum et praedicatum supponant pro eodem. Et ideo si in ista 'hic est angelus' subiectum et praedicatum supponant pro eodem, propositio erit uera. Et ideo non denotatur quod hic habeat angelitatem uel quod in isto sit angelitas uel aliquid huiusmodi, sed denotatur quod hic sit uere angelus; non quidem quod sit illud praedicatum, sed quod sit illud pro quo supponit praedicatum.

Similiter etiam per tales propositiones 'Sortes est homo', 'Sortes est animal' non denotatur quod Sortes habeat humanitatem uel animalitatem, nec denotatur quod humanitas uel animalitas sit in Sorte, nec quod homo uel animal sit in Sorte, nec quod homo uel animal sit de essentia uel de quidditate Sortis uel de intellectu quidditatiuo Sortis, sed denotatur quod Sortes uere est homo et uere est animal. Non quidem quod Sortes sit hoc praedicatum 'homo' uel hoc praedicatum 'animal', sed denotatur quod est aliqua res pro qua stat uel supponit hoc praedicatum 'homo' et hoc praedicatum 'animal', quia pro Sorte stat utrumque illorum praedicatorum.

Ex istis patet quod, omnes tales de uirtute sermonis sunt falsae 'homo est de quidditate Sortis', 'homo est de essentia Sortis', 'humanitas est in Sorte', 'Sortes habet humanitatem', 'Sortes est homo humanitate', et multae tales propositiones quae quasi ab omnibus conceduntur. Falsitas istarum patet: nam accipio unam istarum, scilicet istam 'humanitas est in Sorte' et quaero, pro quo stat li humanias? Aut pro re aut pro intentione, hoc est aut denotatur per istam quod res uera extra animam sit in Sorte, uel quod intentio animae sit in Sorte. Si supponat pro re, quaero: pro qua re? Aut pro Sorte, aut pro parte Sortis, aut pro re quae nec est Sortes nec pars Sortis. Si pro Sorte, tunc est falsa, quia nulla res quae est Sortes est in Sorte, quia Sortes non est in Sorte, quamuis Sortes sit Sortes. Et eodem modo humanias non est in Sorte sed est Sortes, si humanitas supponat pro re quae est Sortes. Si autem humanitas stet pro re quae est pars Sortis, hoc est falsum, quia quaelibet res quae est pars Sortis uel est materia uel forma uel compositum ex materia et forma, et una forma hominis et non alia, uel est pars integralis Sortis. Sed nulla talium partium est humanitas, sicut patet inductiue: quia anima intellectiua non est humanitas; tunc enim uera humanitas remansisset in Christo in triduo, et uere fuisset humanitas unita Verbo in triduo, et

per consequens uere fuisset homo, quod falsum est. Similiter nec materia est humanitas, nec corpus Sortis est humanitas, nec pes, nec caput, et sic de aliis partibus Sortis, quia nulla pars Sortis est humanitas sed tantum pars humanitatis, et per consequens 'humanitas' non potest supponere pro parte Sortis. Si supponat pro re quae nec est Sortes nec pars Sortis, cum talis res non sit nisi accidens uel aliqua alia res quae non est in Sorte, 'humanitas' supponeret pro accidente Sortis uel pro aliqua alia re quae nec est Sortes nec pars Sortis, quod manifestum est esse falsum. Si autem 'humanitas' supponat pro intentione animae, tunc est manifeste falsa, quia intentio animae non est in Sorte. Et ita patet quod ista est omnino falsa 'huumanitas est in Sorte'. Eodem modo potest argui de omnibus illis aliis, quia si homo uel humanias sit de essentia Sortis, quaero: pro quo supponit li homo uel humanitas? Aut pro Sorte, et tunc denotaretur quod Sortes esset de essentia Sortis, quod non est uerum. Si supponat pro re alia a Sorte: aut igitur pro parte Sortis, et hoc non, quia nulla pars Sortis est homo uel humanitas, si pro re alia quae nec est Sortes nec pars Sortis, patet quod talis res non est homo nec humanitas, nisi sit Plato uel Ioannes uel alius homo, et manifestum est quod nullus alius homo a Sorte est de essentia Sortis. Si autem supponat pro intentione animae uel pro uoce, manifestum est quod tunc non est de essentia Sortis. Et ita patet quod omnes tales falsae sunt de uirtute sermonis.

Et si dicatur quod humanitas est in Sorte et est de essentia Sortis, et tamen nec est Sortes nec materia nec forma nec pars integralis, sed est una natura communis, componens cum differentia indiuiduali Sortis, et ita est pars Sortis sed nec materia nec forma:

Contra istam opinionem arguitur multipliciter in diuersis locis, scilicet in primo libro Sententiarrum, in libro Porphyrii et in libro Praedicamentorum, et aliqua argumenta facio ad praesens contra eam.

Primo sic: quia si humanitas sit alia res a singularibus et sit de essentia rerum singularium, igitur idem non uariatum esset in pluribus singularibus, et ita idem non uariatum naturaliter, sine miraculo, esset in pluribus locis distinctis; quod manifestum est esse falsum.

Similiter, tunc idem, non uariatum, esset damnatum in Iuda et saluatum in Christo, et ita esset aliquid miserum et damnatum in Christo; quod est absurdum.

Similiter, tunc Deus non posset adnihilare aliquod indiuiduum nisi adnihilaret uel destrueret omnia indiuidua eiusdem generis, quia quando aliquid adnihilatur nihil eius remanet, et per consequens talis natura communis non remanet, nec per consequens aliquod indiuiduum in quo est remanet, et ita quodlibet indiuiduum adnihilaretur uel destrueretur.

Praeterea, accipio illam humanitatem quam ponis in Sorte et in omni alio homine, et asinitatem quani ponis in omni asino, et uocetur illa humanitas a, ita quod a praecise stet pro illa humanitate, et illa asinitas uocetur b, ita quod b praecise

stet pro illa asinitate. Tunc quaero: aut a et b sunt praecise duae res, aut plures quam duae, aut non sunt plures res. Non potest dici quod non sunt plures res, quia tunc necessario uel sunt una res, uel nec a nec b est res, uel a non est res, uel b non est res. Primum non potest dari, manifestum est, etiam secundum sic ponentes; nec secundum, quia hoc negant, dicentes quod humanitas est uera res et similiter asinitas; nec tertium potest dari, quia non est maior ratio quod b non sit res quam quod a non sit res, nec e conuerso. Ergo oportet necessario dare quod a et b sunt plures res. Et non potest dici quod sint plures res quam duae, quia si sint plures res quam duae, et non sunt plures res uniuersales quam duae, igitur sunt plures res singulares, et per consequens non distinguuntur simpliciter a rebus singularibus. Relinquitur igitur quod sunt duae res et non plures, et per consequens utraque illarum est una numero, quia utraque ita erit una res quod non plures; et hoc est esse unum numero, scilicet esse unam rem et non plures, nam ista debet esse descriptio unius numero. Quia ista negata, dicam ita faciliter quod Sortes non est unus numero quantumcumque sit unum et non plura.

Unde secundum intentionem Philosophi et secundum rei ueritatem numquam hoc praedicatum 'esse unum specie' uel 'esse unum siue idem genere' dicitur nisi de indiuiduo uel indiuiduis, quorum quodlibet est unum numero. Unde haec est uera 'Sortes et Plato sunt unum specie', 'Sortes et hic asinus sunt unum genere'; et non est alia res praeter indiuidua quae sit una specie uel genere. Constat itaque quod illa humanitas quae ponitur in omni homine est una res et non plures, et per consequens est una numero; ex quo sequitur quod una res numero esset in omni homine.

Ad argumenta autem quae uidentur esse contra istam opinionem reputo alibi a me sufficienter responsum.

Nec ualet dicere quod humanitas Sortis distinguitur non realiter a Sorte sed tantum formaliter, quia talis distinctio non est ponenda in creaturis, quamuis possit aliquo modo poni in diuinis. Et hoc quia in creaturis impossibile est inuenire unam rem numero quae sit realiter plures res et quaelilet illarum, sicut est in Deo; nam in Deo essentia diuina est tres personae et est quaelibet istarum personarum, et tamen una persona non est alia. Et non est aliud dicere quod essentia et persona distinguuntur formaliter, secundum uerum intellecum, nusi quod essentia est tres personae et persona non est tres personae. Similiter nihil aliud intelligo per istam 'essentia et paternitas distinguuntur formaliter' nisi istam propositionem 'essentia est filiatio et paternitas non est filiatio, et tamen essentia est paternitas. Similiter, paternitatem et spirationem actiuam distingui formaliter non est aliud quam dicere quod paternitas non est filiatio et quod spiratio actiua est filiatio, et tamen quod paternitas est spiratio actiua.

Et ita, uniuersaliter, de aliquibus uerificari 'distingui formaliter' non est aliud quam de uno istorum aliquid uere affirmari et de reliquo uere negari, et tamen unum illorum uere de reliquo affirmari, sine omni uariatione uel aequiuocatione alicuius uel uerificatione pro diuersis, sicut contingit in particularibus et indefinitis.

Sed hoc non potest unquam contingere nisi quando una res simplex est plures res, sicut unica diuina essentia est tres personae, et unica spiratio actiua est paternitas et filiatio. Et quia hoc non potest contingere in creaturis, scilicet quod una res sit plures res et quaelibet illarum, ideo in creaturis non debet poni distinctio formalis. Et ita patet quod non debet dici quod humanitas Sortis distinguitur formaliter a Sorte et non realiter; et eodem modo est de talibus 'animalitas distinguitur ab homine', et sic de aliis. Quod autem talis distinctio formalis non sit ponenda in creaturis, probaui in primo libro Sententiarum, distinctione secunda.

2.03 QUID REQUIRITUR AD VERITATEM PROPOSITIONIS INDEFINITAE ET PARTICULARIS

Viso quid sufficit ad ueritatem propositionis singularis, uidendum est quid requiritur ad ueritatem propositionis indefinitae et particularis.

Et est primo sciendum quod si non uocetur propositio indefinita nec particularis nisi quando terminus sibiectus supponit personaliter, tunc semper indefinita et particularis conuertuntur, sicut istae conuertuntur 'homo currit', 'aliquis homo currit'; 'animal est homo', 'aliquod animal est homo'; 'animal non est homo', 'aliquod animal non est homo'. Et ad ueritatem talium sufficit quod subiectum et praedicatum supponant pro aliquo eodem, si sit propositio affirmatiua et non addatur signum uniuersale a parte praedicati; quod dico propter tales 'aliquod animal est omnis homo', 'aliquis angelus est omnis angelus'. Sed si talis sit negatiua, requiritur quod subiectum et praedicatum non supponant pro omni eodem, immo requiritur quod subiectum pro nullo supponat, uel quod supponat pro aliquo pro quo praedicatum non supponit. Et hoc quia ad ueritatem talium sufficit ueritas cuiuscumque singularis. Sicut ad ueritatem istius 'aliquod animal est homo' sufficit ueritas istius 'hoc animal est homo' uel 'illud animal est homo'; similiter ad ueritatem istius animal non est homo' sufficit ueritas istius 'hoc animal non est homo', quocumque demonstrato, et hoc quia semper ab inferiori ad superius est bona consequentia sine distributione. Et hoc debet intelligi quando superius praedicatur de inferiori, quia aliter de uirtute sermonis non arguitur ab inferiori ad superius. Et ideo si nullus homo nec aliquod animal sit nisi asinus, haec consequentia non ualet 'homo non est asinus, igitur aliquod animal non est asinus'. Similiter non sequitur 'homo albus non est animal, igitur homo non est animal' nisi ista propositio sit uera 'homo albus est homo'. Tamen affirmatiue bene sequitur, siue superius praedicetur de inferiori siue non, quia semper, siue homo sit animal siue non, bene sequitur 'homo currit, igitur animal currit', similiter bene sequitur 'homo albus est animal, igitur homo est animal', siue homo sit albus siue non. Sic igitur patet quomodo indefinita uel particularis est uera si subiectum supponat pro aliquo pro quo non supponit praedicatum. Hoc tame non semper requiritur, sed quandoque sufficit quod subiectum indefinitae uel particularis iiegatiuae pro nullo supponat. Sicut si nullus homo sit albus, haec est uera 'homo albus non est homo', et tamen subiectum pro nullo supponit, quia nec pro substantia nec pro accidente. Ex istis patet quod si ista propositio 'Deus generat Deum' sit indefinita, secundum unam opinionem superius

dictam, debet simpliciter concedi quod Pater, qui est Deus, generat Deum. Et eodem modo de uirtute sermonis posset ista concedi 'Deus non generat Deum', quia haberet unam singularem ueram, scilicet 'Filius non generat Deum', similiter Spiritus Sanctus non generat Deum' — Unde hic arguitur ab inferiori ad superius ,eilius non generat Deum, igitur Deus non generat Deum' sicut hic 'iste angelus non intelligit, igitur angelus non intelligit'. Non tamen est intelligendum quod aliquid sit superius in Deo et aliquid inferius, quia ista sperioritas et inferioritas non est nis inter terminos, siue termini sint uoces siue conceptus siue intentiones animae. Tamen forte aliqui Sancti aliquando negant tales 'Deus non generat', 'Deus non spirat' propter aliquos haereticos, ne scilicet uideantur negare istam 'Deus generat Deum'. Tamen de uirtute sermonis non oportet secundum istam opinionem; secundum autem aliam opinionem aliter debet dici. Secundo sciendum quod qui ponit quod omnis propositio est indefinita in qua subicitur terminus communis sine signo, siue supponat personaliter siue simpliciter siue materialiter, consequenter debet dicere quod non semper particularis et indefinita conuertuntur. Et hoc quando subiectum indefinitae supponit simpliciter et subiectum particularis supponit personaliter; sicut istae duae non conuertuntur 'homo est species' et 'aliquis homo est species', quia in ista 'homo est species' potest 'homo' supponere simpliciter, sed in ista 'aliquis homo est species' li homo propter hoc quod sibi additur signum particulare et non comparatur ad aliquid pertinens ad signum, non potest supponere nisi personaliter. Et ideo ista 'homo est species' est distinguenda, eo quod 'homo' potest supponere simpliciter uel personaliter; sed ista 'aliquis homo est species' non est distinguenda, quia li homo, propter hoc quod additur sibi signum particulare, non potest supponere in ista nisi tantum personaliter. Tamen in ista 'aliquis homo: componitur ex termino communi et signo particulari' potest supponere personaliter uel materialiter, et ideo ista et consimiles sunt distinguendae sed aliae non. Sed quid sufficit ad ueritatem talis indefinitae si sit indefinita? Dicendum quod ad ueritatem talis sufficit quod pro eodem supponant subiectum et praedicatum si sit affirmatiua, uel quod non supponant pro eodem si sit negatiua; sicut hoc sufficit ad ueritatem propositionis singularis, quia idem est iudicium de tali propositione et de propositione singulari. Et ideo communiter ponitur quod talis propositio est singularis, et potest poni satis rationabiliter. Et si dicatur quod si in tali propositione subiectum et praedicatum supponerent pro eodem, tunc idem praedicaretur de se, dicen dum quod non sequitur: quia quamuis idem sit pro quo supponit tam subiectum quam praedicatum, tamen illud quod supponit non est idem. Unde etiam in ista propositione 'Sortes est iste homo'non praedicatur idem de se, quamuis subiectum et praedicatum supponant praecise pro eodem, quia nomen proprium et pronomen demonstratiuum cum termino communi non sunt idem. Et unum illorum praecise subicitur et alterum illorum praecise praedicatur, et ideo non praedicatur idem de se, quamuis praecise supponant pro eodem.

Similiter in ista 'omnis homo est risibilis' subiectum et praedicatum supponunt praecise pro eodem, et tamen non praedicatur idem de se, et hoc quia illud quod subicitur non est idem cum eo quod praedicatur, quia aliud est quod supponit et pro

quo supponit. Et ideo quamuis illud pro quo supponit terminus uterque sit idem, non tamen illud quod supponit est idem.

Ultimo sciendum est quod quamuis posuerim exempla de propositionibus aequiualentibus propositionibus hypotheticis, et uera sint de eis, tamen uera sunt etiam de aliis, sicut de talibus 'Deus creat', 'Deus generat', 'angelus est spiritus', 'aliquis angelus est substantia' et huiusmodi.

2.04 DE PROPOSITIONIBUS UNIVERSALIBUS

Tertio dicendum est de propositionibus uniuersalibus.

Et est primo sciendum quod propositiones uniuersales sunt in multiplici differentia secundum diuersitatem signorum uniuersalium. Ponitur autem multiplex distinctio signorum uniuersalium. Dicitur enim quod aliqua sunt distributiua indifferenter pro substantia et accidente sicut 'omnis', 'quilibet', 'unusquisque', 'nullus', 'uterque', 'neuter', et sic de aliis. Alia sunt distributiua tantum pro accidentibus, sicut 'qua lelibet, 'quotiescumque', et si forte sint alia talia.

Sed ista distinctio potest intelligi bene et male. Si enim intelligatur quod 'qualelibet' sit simpliciter distributiuum pro accidentibus, sicut 'omnis' uel aliquid tale pro substantia et accidente, falsum est, sicut patebit. Si autem intelligatur quod sit aliquo modo distributiuum, scilicet sub disiunctione inter species uel copulatiue, uel aliquo tali modo, concedi potest.

Alia ponitur diuisio signorum uniuersalium quod quaedam sunt distributiua pro partibus subiectiuis et quaedam pro partibus integralibus. Prima sunt sicut 'omnis', 'nullus', 'uterque', 'neuter', et sic de aliis. Secunda sunt sicut 'totus'. Sed qualiter hoc debeat intelligi, dicetur in sequentibus.

Alia ponitur diuisio signorum uniuersalium, quod quaedam possunt distribuere pro quocumque, sicut 'omnis', 'nullus' et huiusmodi, quaedam pro duobus tantum, sicut 'uterque' et 'neuter'.

Primo igitur dicendum est de illis quae distribuunt indifferenter pro substantia et accidente et pro partibus subiectiuis et pro quocumque, cuiusmodi sunt talia 'omnis', 'nullus', 'quilibet', 'quidlibet', 'unusquisque' et huiusmodi, et de propositionibus uniuersalibus in quibus talia signa ponuntur.

Et est primo sciendum quod nullum signum per se significat aliquid nec imponitur ad significandum aliquid determinate, sed sic instituitur ut faciat illud cui additur stare pro omnibus suis significatis et non pro aliquibus tantum, et ideo dicitur 'syncategorema'. Et sic de multis aliis, et uniuersaliter de omnibus quae per se sumpta non possunt esse extrema alicuius propositionis; et hoc si sumantur significatiue, sicut dictum est prius.

Secundo sciendum quod hoc signum 'omnis' differt ab istis signis 'quilibet', 'unusquisque', quia hoc signum 'omnis' non potest addi nisi termino consimilis casus, ita quod terminus cui additur et signum sint consimilis casus, sicut bene dicitur 'omnis homo est animal', 'Sortes uidet omnem hominem', 'asinus est omnis hominis'. Sed ista signa 'unusquisque', 'quilibet' possunt addi termino consimilis casus et dissimilis, scilicet genitiuo pluralis numeri, sicut bene dicitur 'quilibet homo currit' et bene dicitur 'quilibet et unusquisque istorum currit' et 'quilibet hominum est animal'; non sic autem bene dicitur 'omnis istorum currit'.

Et si quaeratur quae est causa istius diuersitatis, dicendum quod istius, sicut multarum aliarum tam in grammatica quam in logica, non est alia causa nisi uoluntas institutentium et sic utentium.

Tertio ponendae sunt aliquae regulae communes istis signis 'omnis', 'quilibet', 'unusquisque' et si qua sint similia. Et sunt communes multis propositionibus aequiualentibus propositionibus hypotheticis, sicut sunt istae 'omnis homo est animal', 'omne album currit' et huiusmodi, et etiam aliis non aequiualentibus talibus hypotheticis, cuiusmodi sunt tales 'omnis Deus est', 'omnis angelus est' et huiusmodi.

Est igitur primo sciendum quod ad ueritatem talis propositionis uniuersalis non requiritur quod subiectum et praedicatum sint idem realiter, sed requiritur quod praedicatum supponat pro omnibus illis pro quibus supponit subiectum, ita quod de illis uerificetur. Et si ita sit, nisi aliqua causa specialis impediat, propositio uniuersalis est uera. Et hoc est quod communiter dicitur quod ad ueritatem talis propositionis uniuersalis sufficit quod quaelibet singularis sit uera.

Ex hoc patet falsitas quorundam quae ponuntur a quibusdam. Unum est quod hoc signum 'omnis' exigit tria appellata. Nam ponatur quod unus solus angelus intelligat et nullus homo, tunc haec est uera 'omne intelligens creatum est angelus', et tamen non sunt tria de quibus uerificatur hoc nomen 'intelligens creatum' Quod autem ista sit uera, probo: quia quaelibet singularis est uera. Similiter, praedicatum uere supponit pro quolibet pro quo supponit subiectum et uerificatur de quocumque de quo uerificatur subiectum, igitur est simpliciter uera

Similiter, si sint tantum duo homines et illi sint albi, haec est uera 'omnis homo est albus', quia nullam habet singularem falsam, et tamen non habet tria appellata.

Ex isto patet quod male soluunt aliqui hoc sophisma 'omnis phoenix est', dicentes istam propositionem esse falsam eo quod 'omnis' exigit tria appellata, et quod haec est uera 'aliqua phoenix non est' eo quod 'phoenix' aequaliter supponit pro ente et pro non—ente. Quia quaero: qualiter 'omnis' exigit tria appellata? Aut in rerum natura, et tunc esset haec falsa 'omne coloratum est' si esset unum tantum coloratum. Quod non potest concedi, nam eius contradictoria est falsa 'aliquod coloratum non est', quia nullam singularem habet ueram. Nec potest dici quod 'coloratum' aequaliter supponit pro ente et pro non—ente, quia manifestum est quod non supponit pro non—ente, sicut nec praedicatur de non—ente. Unde sicut haec est

falsa 'non—ens est coloratum', ita haec est falsa 'coloratum supponit pro non—ente', quia dictum est prius quod numquam terminus supponit pio aliquo nisi de quo uerificatur. Si autem 'omnis' exigit tria appellata ita quod terminus cui additur supponat pro tribus, sic non est haec falsa 'omnis phoenix est' propter hoc quod tantum una phoenix est, quia per istum 'phoenix' aequaliter supponit pro ente et pro non—ente; et non magis pro uno non—ente quam pro duobus, igitur pro tribus supponit ad minus, et ita

Praeterea, si 'phoenix' supponeret aequaliter pro ente et pro nonente, eadem ratione 'animal', et per consequens haec esset falsa 'omne animal est', quod iste alibi negat.

Et ideo dicendum est quod nec ista propositio 'omnis phoenix est' nec aliqua alia est falsa propter praedictam causam, sicut nec sua contradictoria propter praedictam causam est uera. Unde si nullus homo rideat nisi Sortes, haec non est uera 'aliquod ridens non est homo', immo erit falsa, et per consequens sua contradictoria erit uera 'omne ridens est homo'. Similiter, si nullus homo sit albus nisi Sortes, haec erit falsa 'aliquis homo albus non est homo', et per consequens haec erit uera 'omnis homo albus est homo', et tamen non sunt tres homines albi.

Nec ualet proteruire, quod isto posito ista non contradicunt 'omnis homo albus est homo', 'aliquis homo albus non est homo', quia mutatio rei non uariat formam propositionum, nec per consequens facit quod propositiones aliquae contradicant uno tempore et non alio.

Ex istis etiam sequitur quod falsum est quod isti dicunt, quod si sit tantum unum album et tantum unum nigrum et tantum unum medium quod quaelibet istarum est falsa 'omne album est', 'omne nigrum est', 'omne medium est'; et negant istum syllogismum 'omne coloratum est; omne album est coloratum; igitur omne album est'.

Similiter, posito quod nullus asinus sit, negant istum syllogismum 'omne animal est homo; omnis asinus est animal; igitur omnis asinus est homo', dicentes quod 'esse' aequiuocatur, quia in primis maioribus accipitur 'esse' quod est operatio entis, et hoc est 'esse' eius quod est, in minoribus autem accipitur 'esse' habitudinis siue consequentiae, cuiusmodi 'esse' est cum dicitur 'si est album, est coloratum'.

Istud est omnino irrationabiliter dictum, nam hoc est destruere omnem formam syllogisticam. Dicam enim quandocumque placet mihi quod 'esse' in propositionibus aequiuocatur, et ad placitum assignabo fallaciam aequiuocationis in quocumque syllogismo.

Similiter, sicut syllogismus tenet in omnibus terminis, ita tenet quantumcumque res uarietur. Sed secundum Aristotelem nunc est bonus syllogismus 'omne coloratum est; omne album est coloratum; igitur omne album est', similiter iste syllogismus est bonus nunc de facto 'omne animal est homo; omnis asinus est

animal; igitur omnis asinus est homo', quia quilibet istorum regulatur per dici de omni.

Et certe, qui negat tales syllogismos, ipse est inhabilis ad percipiendum quamcumque ueritatem. Ergo quantumcumque omnia alba corrumperentur et omnes asini, adhuc essent boni syllogismi et regularentur per dici de omni ita tunc sicut nunc.

Et ideo distinctiones tales, quod 'esse' uel est operatio entis uel esse habitudinis, et consimiles, friuolae sunt, et ponuntur ab illis qui nesciunt distinguere inter propositionem categoricam et condicionalem. Unde istae propositiones distinguuntur 'asinus est animal' et 'si asinus est, animal est', quia una est categorica et alia condicionalis et hypothetica, nec conuertuntur; sed una potest esse uera, alia exsistente falsa. Sicut haec est modo falsa 'Deus non—creans est Deus', et tamen ista condicionalis est uera 'si Deus non—creans est, Deus est' et 'si hoc est Deus noncreans, est Deus'.

Similiter, nulla potest inueniri ratio quare 'esse' dicat habitudinem uel consequentiam in una propositione categorica magis squam in alia, et ita uel semper uel numquam in consimili propositione dicet habitudinem uel consequentiam. Et ita uel quaelibet erit conuertibilis cum condicionali uel nulla; sed non nulla, per istum, igitur quaelibet. Et per consequens, illo casu posito, haec est falsa 'omne animal est homo', quia ista condicionalis est falsa 'si animal est, homo est', per eum. Et ita in eodem passu manifeste dixit contradictoria et uidebatur propriam uocem ignorare.

Ex praedictis etiam patet quod omnes tales de uirtute sermonis sunt falsae 'omne animal est sanum', posito quod unus leo sit sanus et unus bos et unus homo, et sic de aliis, 'omne animal fuit in arca Noe', et sic de multis aliis, quia habent multas singulares falsas, nec praedicatum competit omnibus illis pro quibus supponit subiectum. Tamen quando ponuntur ab auctoribus uel tales uel consimiles, debent glossari, quamuis de uirtute sermonis sint falsae, sicut fequenter sermones authentici falsi sunt in sensu quem faciunt, hoc est de uirtute sermonis et proprie loquendo, et tamen ueri sunt in sensu in quo fiunt. Et hoc quia auctores frequenter aequiuoce et improprie et nietaphorice loquuntur. Et ideo in expositione auctoritatum phikosophorum principaliter est innitendum rationi et processui eorum et intentioni, et non uerbis sicut sonant ad litteram. Et pro talibus auctoritatibus ualet ista distinctio quae ponitur ab aliquibus, quod quando hoc signum 'omnis' adiungitur termino communi continenti sub se multas species, quod potest fieri distributio pro singulis generum uel pro generibus singulorum, siue pro partibus propinquis siue pro partibus remotis, siue pro partibus secundum speciem siue secundum numerum, siue pro speciebus siue pro indiuiduis. Quae non debet intelligi de uirtute sermonis, quia signum numquam distribuit terminum nisi pro illis pro quibus terminus supponit. Nunc autem dictum est quod terminus talis non supponit nisi pro indiuiduis et non pro speciebus, ideo non distribuitur nisi pro indiuiduis et non pro speciebus. Et ideo illa distinctio debet sic intelligi quod per talem propositionem denotatur praedicatum competere omnibus indiuiduis, et hoc est de uirtute

sermonis; uel denotatur competere speciebus sumptis particulariter, hoc est denotatur praedicatum praedicari de qualibet specie particulariter sumpta et non de qualibet specie uniuersaliter sumpta, et per consequens non denotatur competere omnibus indiuiduis. Sed hoc non est de uirtute sermonis sed secundum intellectum auctoris. Sicut per istam 'omne animal est sanum' de uirtute sermonis denotatur quod omnis homo sit sanus et quod omnis bos sit sanus, et sic de aliis, quia aliter iste syllogismus in primo primae ==figurae== regulatus per dici de omni, non ualeret 'omne animal est sanum; omnis homo est animal; ergo omnis homo est sanus', qui tamen est optimus. Sed tamen secundum intellectum alicuius potest denotari quod ualeat istas 'homo est sanus', 'leo est sanus', 'bos est sanus', ita quod 'sanum praedicetur de qualibet specie, non tamen pro se sed pro indiuiduo, quia nulla species est sana, sed tantum indiuiduum est sanum. Sed iste sensus non habetur de uirtute sermonis. Et ideo in eodem sensu iste discursus non ualet 'omne animal est sanum; omnis homo est animal; ergo omnis homo est sanus'. Nec est inconueniens quod syllogismus qui de uirtute sermonis est perfectus, secundum intellectum alicuius non sit bonus, sicut est de ueritate propositionis, et est iam dictum.

Secundo sciendum est quod omnis propositio uniuersalis, in qua praedicatum sumitur uniuersaliter, est falsa si praedicatum uel subiectum praedicetur de pluribus Contentis. Si autem praedicatum praedicetur praecise de uno contento et similiter subiectum, posset esse propositio uera. Unde si non esset nisi tantum unum animal, puta unus homo, haec esset uera 'omnis homo est omne animal' et similiter ista 'omne animal est omnis homo', sed si essent plures homines uel si essent quaecumque plura animalia haec esset falsa. Et ideo haec est falsa 'omnis phoenix est omne animal', haec tamen est uera 'omnis phoenix est omnis phoenix'. Quandoque tamen potest indefinita uel particularis esse uera in qua praedicatur praedicatum uniuersaliter sumptum, quamuis subiectum habeat multa contenta; sicut si non esset nisi unus homo, quamuis essent plura animalia, haec esset uera 'aliquod animal est omnis homo'.

Tertio sciendum est quod hoc signum 'omnis' quando accipitur in plurali numero potest teneri collectiue et diuisiue. Si teneatur diuisiue, tunc denotatur quod praedicatum uere competit ominbus illis de quibus uere praedicatur subiectum, sicut per istam 'omnes apostoli Dei sunt duodecim denotatur quod hoc praedicatum 'duodecim' uere dicatur de quocumque de quo uere praedicatur hoc subiectum 'apostoli', et ita cum Petrus et Paulus sint apostoli, sequitur quod Petrus et Paulus sunt duodecim. Sed si teneatur collectiue, tunc non denotatur quod praedicatum conueniat quibuscumque de quibus uerificatur subiectum, sed quod competat omnibus simul sumptis de quibus uerificatur subiectum; unde denotatur quod isti apostoli, demonstratis omnibus apostolis, sunt duodecim.

2.05 DE PROPOSITIONIBUS UNIVERSALIBUS IN QUIBUS SIGNUM DISTRIBUIT PRO DUOBUS TANTUM

De signis distributiuis non pro quibuscumque sed pro duobus tantum, cuiusmodi sunt 'uterque' et 'neuter', sciendum est quod ad ueritatem talis requiritur quod

praedicatum uere competat utrique illorum demonstratorum, si sit affirmatiua, uel negetur ab utroque, si sit negatiua. Sicut ad ueritatem istius 'uterque istorum currit' sufficit quod iste currat et ille currat, et ad ueritatem istius 'neuter istorum currit' requiritur quod nec iste nec ille currat.

Et est sciendum quod in hoc differt uniuersalis in qua ponitur hoc signum 'uterque' ab uniuersali in qua ponitur hoc signum 'omnis' quod numquam potest talis uniuersalis esse uera in qua praedicatur praedicatum uniuersaliter sumptum, siue praedicatum sumatur cum hoc signo 'omnis' siue cum hoc signo 'uterque' Unde ista nullo modo potest esse uera 'uterque istorum est omnis homo' uel 'uterque istorum est uterque istorum', quibuscumque demonstratis. Haec tamen potest esse uera 'omnis homo est omnis homo' et similiter ista 'omne album est omne album' et 'omne animal est omne animal', quia si esset tantum unus homo uel tantum unum animal uel tantum unum album, esset uera.

Et causa istius diuersitatis est quia hoc signum 'omnis' potest conuenienter addi termino habenti unum suppositum, sed 'uterque' semper requirit duo supposita, scilicet duo demonstrata. Et ita si praedicatum non haberet nisi unum suppositum in ista 'uterque istorum est omnis homo', manifeste esset propositio falsa; quia in subiecto oportet quod duo demonstrentur: et non duo homines, igitur uel unus homo et unus non—homo, uel duo non—homines; et quodcumque detur, est propositio manifeste falsa. Et ita patet de omnibus aliis.

2.06 DE PROPOSITIONIBUS UNIVERSALIBUS IN QUIBUS SIGNUM DISTRIBUIT PRO PARTIBUS INTEGRALIBUS, CUIUSMODI EST HOC SIGNUM 'TOTUS'

De signo distributiuo pro partibus integralibus, cuiusmodi ponitur hoc signum 'totus', est sciendum quod hoc signum 'totus' potest aliquando sumi categorematice, aliquando syncategorematice. Si sumatur categorematice, tunc significat idem quod 'perfectum' uel 'compositum ex omnibus suis partibus'; et sic quantum ad ueritatem sermonis tantum ualeret non addere quantum addere. Unde quidquid dicitur de termino sumpto cum 'totus' categorematice sumpto, dicitur de illo sumpto sine 'totus'; sicut si totus Sortes currit, Sortes currit, et si totus homo est animal, homo est animal.

Tamen posset dici quod non conuenienter additur nisi termino importanti aliquo modo aliquid compositum, et ideo forte non est proprie dictum 'totus Deus uidetur', quia hoc uidetur importare Deum componi ex partibus. Et tunc non sequitur consequentia a termino sumpto sine 'totus' ad terminum sumptum cum 'totus', sicut non sequitur 'Deus uidetur, igitur totus Deus uidetur', quia tunc in consequente implicaretur Deum componi ex aliquibus distinctis.

Si autem li 'totus' teneatur syncategorematice, sic est unum signum distributiuum pro partibus integralibus, immo pro partibus proprie dictis ipsius importati per terminum cui additur; ut ista propositio 'totus Sortes est minor Sorte' aequiualeat isti

'quaelibet pars Sortis est minor Sorte, et ista 'totus Sortes currit' aequiualeat isti 'quaelibet pars Sortis currit'. Et tunc quaelibet talis propositio non posset esse uera nisi praedicatum conueniret cuilibet parti illius totius importati per terminum cui additur; et tunc proprie est signum et dicitur distribuere pro partibus integralibus, et alia signa pro partibus subiectiuis. Quod sic est intelligendum quod alia signa distribuunt pro contentis sub termino, quae non sunt proprie partes sed tantum large et extensiue accipiendo partes. Sed hoc signum 'totus' distribuit pro partibus proprie loquendo de partibus, siue sint partes eiusdem rationis siue alterius rationis; et hoc pro partibus illius quod importatur per illum terminum cui additur hoc signum 'totus'. Sicut in ista 'totus Sortes est pars Sortis' fit distributio pro qualibet parte Sortis, scilicet pro materia et forma, et pro manibus et pedibus, et sic de omnibus aliis.

Verumtamen sciendum quod aliquando, siue de uirtute sermonis siue ex usu uel placito alicuius utentis, non curo, 'totus' tantum distribuit pro partibus integralibus, non pro partibus essentialibus, cuiusmodi uocantur materia et forma, quandoque autem distribuit pro omnibus partibus, siue sint integrales siue essentiales siue qualescumque.

De signis autem quae dicuntur distributiua accidentium, sciendum quod talia 'qualelibet' et huiusmodi non sunt proprie signa, sed sunt aequiualentia uni composito ex signo et aliis, sicut 'qualelibet' idem est quod 'habens de omni specie qualitatis aliquam qualitatem; et ideo conuenienter sibi additur aliquod signum, ut dicatur 'quilibet qualelibet currit', sicut conuenienter dicitur 'quilibet habens de omni specie qualitatis aliquam qualitatem currit'. Et tunc patet quid requiritur et sufficit ad ueritatem talis propositionis.

Ista non sunt multum usitata in theologia, ideo pertranseo de eis.

2.07 DE PROPOSITIONIBUS DE PRAETERITO ET DE FUTURO

Quarto uidendum est de propositionibus de praeterito et de futuro.

Et est primo sciendum quod quaelibet propositio de praeterito et de futuro, in qua subicitur terminus communis uel pronomen demonstratiuum cum termino communi uel terminus discretus importans aliquod compositum, est distinguenda, eo quod subiectum potest supponere pro eo quod est uel pro eo quod fuit, si sit propositio de praeterito, aut pro eo quod est uel pro eo quod erit, si sit propositio de futuro. Et siue sic siue sic, si sit propositio affirmatiua requiritur quod praedicatum sub propria forma, hoc est quod ipsummet praedicatum uere per tale uerbum praedicetur de eo pro quo subiectum supponit, ita scilicet quod propositio in qua praedicatur praedicatum de pronomine demonstrante praecise illud pro quo subiectum supponit fuit aliquando uera, si sit propositio de praeterito, uel quod erit aliquando uera, si sit propositio de futuro. Verbi gratia, si ista propositio sit uera'album fuit Sortes', et si 'album' supponat pro eo quod est album, non requiritur quod haec fuerit aliquando uera 'album est Sortes', sed requiritur quod haec fuerit uera 'hoc est Sortes', demostrando illud pro quo subiectum supponit in ista 'album

fuit Sortes'. Unde si Sortes nunc primo sit albus, haec est uera 'album fuit Sortes', accipiendo subiectum pro eo quod est, et tamen numquam haec fuit uera 'album est Sortes', sed haec fuit uera 'hoc est Sortes', demonstrando Sortem; et quia 'album' in ista 'album fuit Sortes' supponit pro Sorte, ideo haec est uera. Similiter ista est modo uera 'creans ab aeterno fuit Deus', et tamen haec non fuit ab aeterno uera 'creans est Deus', sed ista ab aeterno fuit uera — uel fuisset uera, si fuisset formata — 'iste est Deus', demonstrando illum pro quo 'creans' supponit in ista 'creans ab aeterno fuit Deus'.

Similiter ista est uera 'puer erit senex', et tamen haec nuniquam erit uera 'puer est senex', sed ista erit uera 'iste est senex', demonstrando illum qui modo est puer. Et ita est de aliis.

Unde ista est differentia inter propositiones de praesenti et de praeterito et de futuro quod praedicatum in propositione de praesenti stat eodem modo quo subiectum, nisi ahquid additum impediat; sed in propositione de praeterito et de futuro est uariatio, quia praedicatum non tantum stat pro illis de quibus uerificatur in propositione de praeterito et de futuro, quia ad hoc quod talis propositio sit uera, non sufficit quod illud de quo praedicatum uerificatur, siue per uerbum de praeterito siue per uerbum de futuro, sit illud pro quo subiectum supponit, sed requiritur quod ipsummet praedicatum uerificetur de illo pro quo subiectum supponit, secundum quod denotatur per talem propositionem. Sicut posito quod Sortes modo sit albus et fuerit per totam diem istam et non ante, tunc haec est falsa 'Sortes heri fuit albus', et tamen 'album' uere praedicatur de Sorte et similiter praedicabatur de Sorte; quia tamen heri non praedicabatur de Sorte ideo haec est modo falsa de praeterito 'Sortes heri fuit albus'.

Similiter si Sortes nunc primo sit albus, haec est falsa 'Sortes fuit albus', et tamen Sortes fuit illud de quo modo 'album' uerificatur; quia tamen haec non fuit uera 'Sortes est albus', ideo haec est modo falsa 'Sortes fuit albus'. Et hoc quia praedicatuni appellat suam formam', modo praeexposito; sed subiectum non sic, quia ad ueritatem propositionis de praeterito non requiritur quod propositio aliqua, in qua praedicatur per uerbum de praesenti praedicatum — uel illud pro quo supponit praedicatum — de ipso subiecto, fuerit uera. Sicut si Sortes nunc primo sit albus, tunc haec est uera 'album fuit Sortes', et tamen nulla propositio de praesenti in qua praedicatur hoc praedicatum 'Sortes' — uel illud pro quo supponit — de hoc subiecto 'album' fuit prius unquam uera, quia haec numquam fuit uera 'album est Sortes' uel 'album est hoc', demonstrando illud pro quo praedicatum supponit in ista 'album fuit Sortes'. Aliqua tamen propositio in qua praedicatur 'Sortes' de pronomine praecise demonstrante illud pro quo subiectum supponit in ista 'album fuit Sortes' fuit uera, nam in ista 'album fuit Sortes' li album supponit pro Sorte qui nunc est albus, et haec prius fuit uera 'hoc est Sortes', demonstrando Sortem.

Ex istis patet quod haec est concedenda 'creans semper fuit Deus', quia semper propositio in qua praedicatur 'Deus' de pronomine demonstrante illud pro quo 'creans' supponit in ista 'creans semper fuit Deus' semper fuit uera, uel fuisset, si

fuisset formata, nam haec semper fuit uera 'hoc est Deus'. Haec tamen non semper fuit uera 'creans est Deus', quia ante creationem mundi fuit falsa. Sed ista 'Deus semper fuit creans' est simpliciter falsa, propter causam dictam, et ita est de multis aliis consimilibus. Et sicut dictum est de propositionibus de praeterito, ita dicendum est, proportionaliter, de propositionibus de futuro.

2.08 AD COGNOSCENDUM QUANDO PROPOSITIO CUIUS ALTERUM EXTREMUM EST TERMINUS OBLIQUUS FUERIT VERA VEL FALSA

Illa autem quae praedicta sunt non sufficiunt ad cognoscendum quando propositio cuius alterum extremum est terminus obliquus fuerit uera uel falsa, sed circa hoc oportet habere regulas speciales. Et sunt hic utiles regulae graminaticales de quibus tamen me breuiter expediam.

Unde sciendum est quod sicut in propositione affirmatiua, cuius uterque terminus est rectus, ad ueritatem propositionis requiritur quod subiectum et praedicatum supponant pro eodem, ita nonnumquam ad ueritatem propositionis, cuius alter terminus est obliquus, requiritur quod subiectum et praedicatum non supponant pro eodem, uel non pro omni eodem. Aliquando tamen possunt supponere pro eodem secundum diuersitatem uerborum et regimims casus obliqui. Unde quando casus obliquus regitur ex ui possessionis, ad ueritatem talis propositionis requiritur quod subiectum et praedicatum supponant pro distinctis, quamuis hoc non semper sufficiat. Ideo haec est falsa 'Sortes est Sortis', haec tamen poterit esse uera 'aliquis asinus est Sortis' — Et sicut est in isto casu ita est in multis. Aliquando autem poterit propositio esse uera non obstante quod subiectum et praedicatum supponant pro eodem, siue non obstante quod rectus et obliquus supponant pro eodem; sicut haec est uera 'Sortes uidet Sortem'. Et sic poterit contingere de multis aliis. Nec est facile in his regulam generalem et certam dare.

2.09 QUID REQUIRITUR AD VERITATEM PROPOSITIONUM MODALIUM

Post propositiones de inesse dicendum est de propositionibus modalibus. Et est primo sciendum quod aliquando dicitur propositio de modo, quia accipitur dictum propositionis cum tali modo. Sicut patet de istis 'omnem hominem esse animal est necessarium', 'hominem currere est contingens', 'omnem hominem esse coloratum est uerum', 'omnem hominem esse animal est per se primo modo', 'omne necessarium esse uerum est scitum', 'Sortem currere est ignotum', et sic de aliis. Aliqua autem propositio dicitur modalis, in qua ponitur modus sine tali dicto propositionis.

Propositio modalis primo modo dicta semper est distinguenda secundum compositionem et diuisionem. In sensu compositionis semper denotatur quod talis modus uerificetur de propositione illius dicti, sicut per istam 'omnem hominem esse animal est necessarium' denotatur quod iste modus 'necessarium' uerificetur de ista propositione 'omnis homo est animal', cuius dictum est hoc quod dicitur 'omnem

hominem esse animal'; quia 'dictum propositionis' dicitur quando termini propositionis accipiuntur in accusatiuo casu et uerbum in infinitiuo modo. Sed sensus diuisionis talis propositionis semper aequipollet propositioni acceptae cum modo, sine tali dicto; sicut ista 'omnem hominem esse animal est necessarium' in sensu diuisionis aequilpollet isti 'omnis homo de necessitate uel necessario est animal'. Similiter ista in sensu diuisionis 'Sortem esse animal est scitum' aequipollet isti 'Sortes scitur esse animal'. Et sic de aliis.

Unde de talibus modalibus acceptis in sensu compositionis primo aliqua pauca sunt dicenda, secundo de aliis.

Primo igitur sciendum, sicut dictum est, quod semper per talem propositionem denotatur quod talis modus uerificatur de tota propositione correspondente dicto. Ex quo sequuntur aliqua. Unum est quod talis uniuersalis de necessario poterit esse necessaria, quamuis quaelibet singularis sit contingens uel falsa. Sicut haec est uera et necessaria in sensu compositionis 'omne uerum contingens esse uerum est necessarium', et tamen quaelibet singularis est falsa, nam haec est falsa 'hoc uerum contingens esse uerum est necessarium', quocumque demonstrato, quia hoc uerum contingens poterit esse falsum, et tunc illa singularis est falsa, et per consequens modo non est necessarium, quod tamen denotatur per talem singularem.

Similiter haec est uera et necessaria 'omne falsum contingens esse falsum est uerum', et tamen quaelibet singularis est contingens, sicut inductiue patet. Similiter aliquando est talis uniuersalis impossibilis, et tamen quaelibet singularis est possibilis et contingens, sicut patet de ista 'utrumque istorum esse uerum est uerum', demonstratis duobus contradictoriis contingentibus. Similiter patet de ista 'quodlibet istorum' — demonstratis omnibus falsis contingentibus — 'esse falsum est uerum', et tamen quaelibet singularis est contingens.

Sed ad omnia ista potest dici quod nulla talis propositio est uniuersalis, sed quaelibet talis est singularis, quia in omni tali subicitur una propositio singularis uel aliquid supponens pro una propositione:

Dicendum est ad hoc quod siue — proprie et de uirtute sermonis loquendo — talis propositio sit uniuersalis uel particularis, siue quaelibet sit singularis, non est multum curandum ad praesens, quia saltem Aristoteles uocat tales propositiones uniuersales et particulares, sicut postea ostendetur, et illo modo loquor ego in proposito. Utrum autem Aristoteles tunc loquebatur extensiue et improprie uel stricte et proprie, non multum curo. Et tunc dico quod propositio illa est uniuersalis in qua subicitur dictum propositionis respectu compositionis principalis, ita tamen quod respectu compositionis minus principalis subicitur terminus communis cum signo uniuersali, sicut in ista 'omnem hominem esse animal est necessarium' hoc totum 'omnem hominem esse animal' subicitur respectu illius uerbi indicatiui modi 'est'; quia tamen respectu istius compositionis infinitiui modi 'esse' supponit hic terminus 'homo' cum signo; et hoc sufficit ad propositum. Unde qui uult tenere

quod tales sunt proprie uniuersales, potest leuiter dicere quod sufficit quod subiciatur terminus communis respectu uerbi infinitiui modi.

Ex istis patet quod sufficit scire quid requiritur ad ueritatem talium propositionum, sciendo quid requiritur ad hoc quod afiqua propositio sit necessaria et ad hoc quod sit contingens uel uera uel impossibilis uel scita uel ignota uel credita, et sic de aliis, de quibus omnibus pertractare nimis foret longum.

Tamen de propositione necessaria est sciendum quod propositio non propter hoc dicitur necessaria quia semper sit uera, sed quia est uera si sit et non potest esse falsa. Sicut haec propositio in mente 'Deus est' necessaria est, non quia semper sit uera, — quia si non est, non est uera —, sed si sit, est uera et non potest esse falsa. Similiter haec propositio in uoce 'Deus est' est necessaria, et tamen non semper est uera, quia quando non est, tunc non est uera nec falsa; sed si sit prolata, est uera et non potest esse falsa nisi termini aliter instituerentur ad significandum.

Proportionaliter debet dici de propositione impossibili, quod est illa quae si sit, est falsa, non tamen est falsa nisi sit propositio. Et ita, pro portionaliter, est de propositione contingenti. Sed ad hoc quod propositio sit scita uel credita, et sic de aliis, plus requiritur. Sed quid requiritur, pertinet ad librum Posteriorum et ad alios libros.

2.10. DE PROPOSITIONIBUS MODALIBUS SINE DICTO

Circa propositiones modales sine dicto propositionis, quae omnino aequipollent propositionibus sumptis cum dicto in sensu diuisionis, est sciendum quod tales non conuertuntur cum primis; immo potest una illarum esse uera, alia exsistente falsa et e conuerso. Sicut secundum uiam Aristotelis haec est uera in sensu compositionis 'omnem hominem esse animal est necessarium' et tamen haec est falsa 'omnis homo de necessitate est animal'. Similiter, secundum uiam Aristotelis, haec est uera 'omne uerum esse uerum est necessarium', et tamen haec est falsa 'omne uerum necessario est uerum'. Et ita de multis aliis.

Propter quod sciendum quod ad ueritatem talium propositionum requiritur quod praedicatum sub propria forma competat illi pro quo subiectum supponit, uel pronomini demonstranti illud pro quo subiectum supponit; ita scilicet quod modus expressus in tali propositione uere praedicetur de propositione de inesse, in qua ipsummet praedicatum praedicatur de pronomine demonstrante illud pro quo subiectum supponit, proportionaliter sicut dictum est de propositionibus de praeterito et de futuro. Sicut ad ueritatem istius 'omne uerum de necessitate est uerum' requiritur quod quaelibet propositio sit necessaria in qua hoc praedicatum 'ueruni' praedicatur de quolibet pro quo hoc subiectum 'uerum' supponit, puta quod quaelibet talis sit necessaria 'hoc est uerum', 'illud est uerum', demonstrato quocumque pro quo subiectum supponit. Et quia non quaelibet talis est uera, ideo haec est simpliciter falsa 'omne uerum de necessitate est uerum'.

Similiter per istam 'creans potest non esse Deus' non denotatur quod haec sit possibilis 'creans non est Deus', quia tunc haec esset uera de possibili, sed denotatur quod haec sit possibilis 'hoc non est Deus', demonstrato illo pro quo 'creans' supponit in ista 'creans potest non esse Deus'. Et ista est simpliciter impossibilis, quia 'creans' in ista 'creans potest non esse Deus' supponit pro Deo. Et certe haec est impossibilis 'hoc non est Deus', demonstrato Deo. Similiter per istam 'creans necessario est Deus' denotatur quod haec sit necessaria 'hoc est Deus', demonstrato illo pro quo 'creans' supponit in praedicta propositione de necessario; et hoc est uerum. Ideo illa propositio de necessario est uera, non tamen est necessaria, sed est contingenter uera, quia posito quod Deus cessaret creare tunc esset falsa, sicut sua de inesse esset falsa, haec scilicet 'creans est Deus'.

Nec est aliquod inconueniens quod propositio uera de necessario sit contingens, sicut patet in exemplo praedicto. Et sicut propositio uera de necessario potest esse contingens, ita propositio uera per se potest esse uera per accidens et contingenter, sicut haec est uera 'creans per se est Deus', et tamen est per accidens uera et contingenter. Et ita est de multis aliis. Tamen non obstante quod tales sunt uerae, tamen tales sunt falsae 'Deus necessario est creans' et tales uerae 'Deus contingenter est creans', 'Deus potest non esse creans', 'Deus potest esse non creans' et huiusmodi. Et hoc quia nulla propositio in qua praedicatur hoc praedicatum 'creans' de pronomine demonstrante illud pro quo hic terminus 'Deus' supponit est necessaria sed contingens, quia quaelibet talis est contingens 'hoc est creans', 'hoc est non creans', demonstrando Deum.

Similiter dicendum est de talibus propositionibus 'Deus potest assumere suppositum humanum', 'Deus potest uniri supposito humano', 'Deus potest se solo facere actum meritorium', 'Deus potest facere album sine albedine' et huiusmodi, quae omnes falsae sunt, quia quaelibet propositio in qua praedicatur aliquod praedictorum de pronomine demonstrante illud pro quo supponit subiectum est simpliciter impossibilis. Nam haec est impossibilis 'suppositum est assumptum'; nam sequitur 'suppositum est assumptum, igitur suppositum innititur alteri', et ultra 'igitur suppositum non est suppositum', et tamen implicatur esse suppositum; igitur haec est impossibilis 'suppositum est assumptum'. Similiter haec est impossibilis 'hoc est unitum supposito', demonstrando Deum. Et ista similiter 'Deus facit se solo actum meritorium', quia sequitur 'Deus facit se solo actum meritorium, ergo actus meritorius non fit nisi a Deo; et per consequens non fit a uoluntate cuius est; et per consequens non est actus meritorius'.

Tamen hoc non obstante, nisi aliquis modus logicalis uel grammaticalis impediat, istae sunt uerae 'suppositum potest assumi a Verbo', 'suppositum potest uniri Verbo', 'actus meritorius potest fieri a solo Deo', quia per nullam istarum denotatur nisi quod propositio in qua praedicatur praedicatum de pronomine demonstrante illud pro quo subiectum supponit sit possibilis, et hoc est uerum. Nam in ista propositione 'suppositum potest assumi', hoc subiectum 'suppositum' supponit pro hac natura humana, quia haec natura humana, ex hoc quod non dependet nec

innititur alteri, uere est modo suppositum, et ita 'suppositum' uere supponit pro hac natura, sicut 'album' in ista 'album currit' uere supponit pro Sorte, si Sorte sit albus. Sed demonstrando istam naturam humanam, haec est propositio possibilis 'hoc est assumptum a diuino supposito', igitur haec est uera 'suppositum potest assumi', sicut haec est uera 'album potest esse nigrum', quia haec est possibilis 'hoc est nigrum, demonstrando aliquid pro quo 'album' supponit; et tamen haec est impossibilis 'album est nigrum'.

Similiter omnes tales sunt uerae sub eodem sensu 'homo potest assumi', 'causatum ab agente creato potest causari a solo Deo', 'uisum a Sorte et Platone potest uideri a solo Sorte' et huiusmodi. Et tamen istae sunt impossibiles 'homo est assumptus', causatum ab agente creato causatur a solo Deo', uisum a Sorte et Platone uidetur a solo Sorte', et sic de aliis.

Secundo sciendum est quod tales propositiones de modo consimiliter se habent ad suas singulares sicut propositiones de inesse, et ideo impossibile est quod talis uniuersalis sit uera uel necessaria uel contingens nisi quaelibet singularis sit uera uel necessaria uel contingens.

Similiter, sicut propositio de inesse potest esse impossibilis non obstante quod quaelibet singularis sit possibilis, sicut patet de ista 'utrumque istorum est uerum', demonstratis duobus contradictoriis contingentibus, sic aliqinando — quamuis raro — potest uniuersalis de modo esse impossibilis et quaelibet singularis possibilis, sicut patet in ista 'utrumque istorum necessario est uerum', demonstratis istis 'Sortes fuit in a', 'Sortes non fuit in a'. Haec uniuersalis est impossibilis, et tamen quaelibet singularis est possibilis, nam haec est possibilis 'liaec est necessario uera: Sortes fuit in a', et similiter alia est possibilis.

Praedicta autem sunt intelligenda de aliis propositionibus modalibus, sicut de istis 'omnis homo scitur a te esse animal', nam ad ueritatem istius requiritur quod quaelibet talis sit uera 'ista est scita a te: iste est animal, et iste est animal', et sic de singulis. Et ideo haec est falsa de uirtute sermonis 'omnis homo scitur a te esse animal' et ista similiter 'omnis homo ignoratur a te esse animal'. Et ita de multis aliis.

2.11 DE PROPOSITI0NIBUS AEQUIVALENTIBUS HYPOTHETICIS QUAE SECUNDUM V0CEM SUNT CATEGORICAE

Dicto de propositionibus categoricis, quasi simplicibus, dicendum est de propositionibus aequiualentibus propositionibus hypotheticis.

Et est sciendum quod quaelibet categorica ex qua sequuntur plures propositiones categoricae tamquam exponentes eam, hoc est exprimentes quid illa propositio ex forma sua importat, potest dici propositio aequiualens propositioni hypotheticae. Huiusmodi sunt, sicut dictum est prius', propositiones exclusiuae et exceptiuae et reduplicatiuae. Huiusmodi etiam sunt omnes propositiones in quibus ponuntur termini connotatiui et relatiui, sicut istae propositiones 'aliquod album

currit', 'omne album est corpus', 'omne agens producit aliquid', 'omnis quantitas est in loco'. 'Omnis similitudo est qualitas' et huiusmodi. Ideo de istis est primo dicendum.

Circa quod sciendum est quod, sicut dictum est, ille terminus dicitur proprie connotatiuus uel relatiuus qui habet quid nominis, hoc est definitionem unam exprimentem quid nominis, ita quod non potest sciri quid nominis ipsius nisi habendo orationem. Et tunc semper aliquid significat principaliter et aliquid secundario, sicut patet de istis 'album', calidum'; nam definitio 'albi' exprimens quid nominis est 'habens albe— dinem' uel 'informatum albedine' uel huiusmodi. Ita quod 'album' pro aliquo supponit quod est significatum uel consignificatum ipsius, et aliquid significat uel consignificat pro quo tamen non supponit, uel non oportet quod supponat pro eo etiam si distribuatur signo uniuersali, et hoc quantum est ex uirtute distributionis. Et ita uniuersaliter quando aliquid per aliquem terminum connotatur uel consignificatur, pro quo tamen talis terminus supponere non potest, quia nec de tali uerificatur semper, talis terminus uel est connotatiuus uel relatiuus. Sicut iste terminus 'album' secundum unum modum dicendi significat principaliter albedinem, et tamen non supponit pro albedine sicut nec uerificatur de albedine, nam haec est falsa 'albedo est alba' ideo iste teriminus album est connotatiuus uel relatiuus. Similiter 'creans' significat uel consignificat creaturam pro qua non supponit; haec enim est falsa 'creatura est creans', ideo iste terminus 'creans' est connotatiuus uel relatiuus. Similiter dicendum est de 'simo' et 'cauo' et 'quantitate' et huiusmodi, secundum opinionem Aristotelis. Omnia enim ista connotant uel important aliquo modo aliqua pro quibus non supponunt. 'Quantitas' enim importat unam partem distingui loco et situ ab alia parte, et tamen pro tali loco uel situ non supponit; si tamen supponat, hoc accidit propter hoc quod quaelibet pars quanti est quanta.

Quae autem sit proprie differentia inter nomen relatiuum et connotatiuum, alias forte ostendetur.

Istis suppositis sciendum est quod quaelibet propositio quae habet talem terminum, est habens exponentes exprimentes quid importatur per talem propositionem. Sed diuersae propositiones habent diuersas exponentes propter diuersos terminos connotatiuos uel relatiuos, et ideo sufficiet dicere de aliquibus, quia per illas potest sciri, proportionaliter, de aliis quomodo exponantur.

Unde sciendum est quod quandocumque in propositione ponitur concretum cui correspondet abstractum, importans rem informantem aliam rem, semper ad ueritatem talis propositionis requiruntur duae propositiones, quae possunt uocari exponentes ipsius; et una debet esse in recto et alia in obliquo. Sicut ad ueritatem istius 'Sortes est albus' requiritur quod haec sit uera 'Sortes est' et quod haec sit uera 'Sorti inest albedo'. Similiter, ad ueritatem istius 'album currit' requiruntur istae duae 'aliquid currit' et 'illi inest albedo'. Et ita est de aliis.

Similiter, quando ponitur aliquod relatiuium in propositione, requiruntur ueritates plurium propositionum. Sicut ad ueritateni istius 'Sortes est similis Platoni' requiritur quod Sortes habeat aliquam qualitatem et quod qualitatem eiusdem speciei habeat Plato. Unde ex hoc ipso quod Sortes est albus et Plato est albus, Sortes est similis Platoni et e conuerso. Similiter, si uterque sit niger uel calidus, sine omni alio addito ipsi sunt similes. Similiter, ad ueritatem istius 'homo est quantitas' requiritur ista quod homo habeat partes et quod una pars distinguatur loco et situ ab alia. Sed potest dubitari an quaelibet propositio uniuersalis habeat tales exponentes. Videtur quod sic, quia habet multas singulares:

Dicendum quod propositio uniuersalis in qua ponitur hoc signum 'uterque' uel 'neuter' ex uirtute propositionis aequiualet propositioni hypotheticae; sed illa in qua ponitur hoc signum 'nullus' uel 'omnis' uel 'quilibet' non sic, quia quamuis habeat frequenter multas singulares, non tamen est hoc necessarium, quia sicut declaratum est prius, haec est uera 'omnis phoenix est', quamuis non sit nisi una phoenix.

Proportionaliter praedictis debet dici de istis propositionibus 'nasus est simus', 'homo est similitudo', 'homo est causa', et sic uniuersaliter alia connotatiua et relatiua exprimendo.

Idem etiam potest dici de nominibus collectiuis, cuiusmodi sunt 'numerus', 'motus', 'tempus', 'populus', 'exercitus' et huiusmodi, quia talia requiriunt ueritatem plurium propositionum.

Et est unum sciendum, secundum opinionem Aristotelis, quod nullus talis terminus, scilicet nec connotatiuus nec relatiuus nec collectiuus nec negatiuus praedicatur per se uel in quid de pronomine demonstrante aliquam rem per se unam, tamen aliqua illorum, uel omnia, sunt species et per se in genere, sicut numerus est per se in genere quantitatis.

Et quamuis talia, secundum opinionem Aristotelis, non praedicentur per se de pronomine demonstrante unam rem, tamen praedicantur in quid de pronomine demonstratiuo, sumpto cum termino illo communi. Sicut si haec sit per se et in quid 'Sortes est homo', ita erit haec per se et in quid 'iste numerus est numerus'. Et similiter est de istis 'haec similitudo est similitudo', 'iste motus est motus', et sic de aliis.

Tamen intelligendum est quod proprie et stricte accipiendo 'praedicari per se et in quid', quod scilicet est necessario praedicari, sic nulla talis species 'homo', 'asinus', 'numerus' et huiusmodi praedicatur de aliquo per se et in quid, maxime in propositione de inesse et de praesenti, et hoc quia nulla talis est necessaria 'Sortes est homo', 'iste asinus est asinus', 'iste numerus est numerus', 'iste motus est motus'. Sed accipiendo large praedicationem in quid et per se, quando scilicet praedicatum non connotat aliquid extrinsecum illi quod connotatur per subiectum, sic tales praedicantiones sunt per se et in quid 'iste homo est homo' 'iste asinus est asinus', ista similitudo est similitudo', et sic de aliis.

Sic igitur dicendum est quod ubicumque ponitur terminus connotatiuus uel relatiuus uel collectiuus, semper talis propositio aequiualet alicui propositioni hypotheticae et potest exponi per plures exponentes.

2.12 DE PROPOSITIONIBUS IN QUIBUS P0NUNTUR TERMINI NEGATIVI, PRIVATIVI ET INFINITI

Non solum autem propositiones in quibus ponuntur termini connotatiui uel relatiui sunt aequiualentes propositionibus hypotheticis, sed etiam propositiones in quibus ponuntur termini negatiui, priuatiui et infiniti sunt aequiualentes propositionibus hypotheticis, quia etiam omnes tales termini sunt uere connotatiui, eo quod in eorum definitionibus exprimentibus quid nominis debet poni aliquid in recto et aliquid in obliquo, uel in recto cum negatione praeuia.

Sicut definitio huius nominis 'immateriale' est ista 'aliquid quod non habet materiam', et definitio istius termini 'caecum' est ista 'aliquid carens uisu quod natum est habere uisum', et definitio istius termini 'nonhomo' est ista 'aliquid quod non est homo', et sic de aliis. Et ideo quilibet terminus talis est uere connotatiuus, quamuis non quilibet talis sit relatiuus, eo quod aliquando terminus talis potest de aliquo uerificari, quamuis terminus obliquus sibi non possit uere et conuenienter addi, sicut angelus est immaterialis, et tamen non oportet quod 'alicuius immaterialis' sit nec 'alicui immaterialis', et sic de aliis obliquis.

Quaelibet autem propositio talis in qua ponitur terminus talis, duas ad minus habet exponentes, et aliquando habet plures; quod faciliter uideri potest uidendo definitionem exprimentem quid nominis ipsius termini. Unde quaelibet propositio in qua ponitur terminus infinitus habet duas exponentes: unam affirmatiuam, in qua iste terminus 'aliquid' in singulari uel in plurali, uel aliquis alius terminus aequipollens tali, subicitur uel praedicatur. Unde ista 'asinus est non—homo' aequiualet isti 'asinus est aliquid et asinus non est homo'. Similiter ista 'angelus est immaterialis' aequiualet isti 'angelus est aliquid et angelus non habet materiain'. Et hoc est intelligendum quando terminus talis negatiuus nihil significat negatiue nisi quod terminus oppositus significat affirmatiue. Quod dico ad excludendum istam instantiam: ista enim copulatiua 'essentia diuina est aliquid et non est genita' non aequiualet isti 'essentia diuina est ingenita'.

Ex isto patet quod de uirtute sermonis ista est neganda 'chimaera est non—homo', quia habet unam exponentem falsam, scilicet istam 'chimaera est aliquid'. Similiter si nullus homo sit albus, haec est neganda de uirtute sermonis 'homo albus est non—homo', quia ista exponens est falsa 'homo albus est aliquid'.

Et si dicatur quod, secundum Aristotelem, alterum contradictoriorum dicitur de quolibet; si igitur chimaera non sit nonhomo, igitur chimaera est homo:

Dicendum est, secundum intentionem Aristotelis, quod non de quolibet termino significatiue sumpto dicitur alterum contradictoriorum incomplexorum,

sicut de hoc nomine 'chimaera' significatiue sumpto nec dicitur 'homo' nec 'non—homo'. Tamen de omni termino supponente significatiue, non includente aequiualenter aliquod syncategorema uel aliam determinationem, de quo praedicatur uere 'ens' uel 'aliquid', dicitur alterum contradictoriorum. Unde si haec esset uera 'chimaera est aliquid', altera istarum esset uera 'chimaera est homo', 'chimaera est non—homo'. Et ideo concedendum est quod non de quolibet significatiue sumpto dicitur alterum contradictoriorum, tamen hoc non obstante de quolibet tali quidlibet uere affirmatur uel uere negatur. Et hoc intendit Aristoteles quando dicit: "De quolibet affirmatio uel negatio", et de nullo eorum ambo. Unde quamuis nec 'homo' nec 'non—homo' dicatur de chimaera, tamen homo uere affirmatur uel negatur de chimaera, unde altera istarum est uera '*,f*himaera est homo', 'chimaera non est homo'. Similiter altera istarum est uera 'chimaera est non—homo', 'chimaera non est non—homo'. Et sic de istis 'homo albus est homo', 'homo albus non est homo', 'homo albus est non—homo', 'homo albus non est non—homo'.

Quod autem neutra istarum sit uera 'homo albus est homo', 'homo albus est non—homo', posito quod nullus homo sit albus, potest ostendi: nam si haec sit uera 'homo albus est non—homo', cum sit affirmatiua oportet quod subiectum supponat pro aliquo. Quo dato quaero: pro quo supponit? Non pro uoce nec pro conceptu, cum supponat significatiue et non materialiter neque simpliciter; igitur supponit pro aliquo alio. Et per consequens iste terminus 'homo albus' significatiue sumptus praedicaretur de pronomine demonstrante illud pro quo supponit, et per consequens haec esset uera 'hoc est homo a/bus'; quod est manifeste falsum. Quia si sit uera, aut demonstratur ens aut non—ens. Si ens, ergo aliquod ens esset homo albus, quod est contra positum; si non—ens, igitur aliquod non—ens esset homo albus, et per consequens esset album, quod est manifeste falsum. Et ita patet quod haec est falsa 'homo albus est non—homo', si nullus homo sit albus. Et per eandem rationem possunt consimiles probari esse falsae.

2.13 DE PROPOSITIONIBUS AFFIRMATIVIS IN QUIBUS PONUNTUR TERMINI PRIVATIVI QUI NON SUNT AEQUIVALENTES INFINITIS

Quamuis propositiones in quibus ponuntur termini infiniti uel eis aequiualentes non habeant nisi duas exponentes, tamen propositiones affirmatiuae in quibus ponuntur termini priuatiui, qui non sunt aequiualentes terminis infinitis, plures habent exponentes quam duas. Unde ista 'iste est caecus' habet istas exponentes 'iste est aliquid', 'iste est natus uidere', 'iste per naturam numquam poterit uidere'. De talibus autem non potest dari certa regula, quia secundum uarietatem terminorum talium, propositiones, in quibus ponuntur, diuersimode debent exponi. Unde ista 'Sortes est caecus' habet exponentes illas quae dictae sunt. Ista autem propositio 'Sortes est fatuus' habet istas 'Sortes est aliquid' et 'Sortes non habet sapientiam quam deberet habere'; cum hoc tamen stat quod possit habere sapientiam. Unde ista stant simul 'Sortes est fatuus uel insipiens' et 'Sortes per naturam potest esse sapiens'. Sed ista non stant simul 'Sortes est caecus' et 'Sortes per naturam potest esse uidens'. Et ita

patet quod alias exponentes habet una propositio et alia, et tamen in utraque ponitur terminus priuatiuus.

Qualiter autem diuersimode tales propositiones debeant exponi, faciliter uideri potest si accipiantur definitiones exprimentes quid nominis illorum terminorum priuatiuorum et ex eis formando exponentes.

CAP.14. DE PROPOSITIONIBUS IN QUIBUS PONUNTUR FIGMENTA QUIBUS NIHIL CORRESPONDET EX PARTE REI: QUOMODO DEBENT EXPONI?

Sicut propositiones in quibus ponuntur termini negatiui et priuatiui habent plures exponentes, ita propositiones in quibus ponuntur figmenta, hoc est in quibus ponuntur termini ficti quibus nihil correspondet a parte rei tale quale finguntur significare, plures habent exponentes.

Tales enim termini uere sunt connotatiui, nec aliquid imaginabile per eos significatur nisi uera res quae est in actu uel esse potest uel saltem potuit fuisse uel fuit in actu. Unde sicut termini negatiui et priuatiui nihil significant nisi quod significatur per terminos positiuos, quamuis illud idem quod significatur per terminum affirmatiuum positiue et construendo uel affirmatiue, significetur per terminum negatiuum uel priuatiuum non construendo sed destruendo uel negando, secundum modum loquendi Anselmi, ita per tales terminos fictos, cuiusmodi sunt 'chimaera', 'tragelaphus', 'uacuum', 'infinitum' et huiusmodi, nihil significatur nisi quod significatur per terminos alios, sicut patet ex definitionibus exprimentibus quid nominis eorum. Tamen non eodem modo significantur res per istos terminos et alios, sed sic significantur per alios quod pro illis rebus alii termini supponere possunt, isti autem termini non possunt pro eis supponere, sicut nec definitiones exprimentes quid nominis eorum. Unde non est imaginandum quod sicut sunt quaedam entia significata per tales terminos 'homo', 'animal', 'album', 'calidum', 'longum', 'breue' et huiusmodi, ita sunt quaedam non—entia et impossibilia, distincta totaliter ab entibus, significata per tales terminos 'chimaera', 'hircoceruus' et huiusmodi, quasi esset unus mundus ex impossibilibus sicut est unus mundus ex entibus. Sed quidquid imaginabile significatur per hoc nomen 'chimaera' significatur per aliquem terminum de quo in propositione de inesse uel de possibili praedicatur esse; tamen hoc nomen 'chimaera' pro illo non potest supponere. Propter quod quaelibet propositio affirmatiua, in qua subicitur hoc nomen 'chimaera' significatiue sumptum uel praedicatur, uel aliquid consimile, est falsa de uirtute sermonis, quia habet aliquam exponentem falsam. Ista enim est falsa de uirtute sermonis 'chimaera est non—ens' et quaelibet consimilis, quia quaelibet talis habet istas exponentes 'chimaera est aliquid' et 'illud est non—ens' quarum prima falsa est.

Et si dicatur: numquid ista est uera 'chimaera est chimaera'? Videtur quod sic, eo quod praedicatur idein de se, et Boethius dicit quod nulla propositio est uerior illa in qua idem de se praedicatur:

Dicendum est quod de uirtute uocis ista est falsa 'chimaera est chimaera' si termini supponant significatiue, eo quod falsum implicatur. Et ad Boethium dicendum quod Boethius intendit quod nulla propositio in qua aliquid praedicatur de aliquo est uerior illa in qua idem praedicatur de se. Quia tamen ista est negatiua, cum ista stat quod nulla sit uera: nec illa in qua idem praedicatur de se nec illa in qua praedicatur aliud. Si tamen illa esset uera in qua de aliquo praedicatur aliquid, illa esset uera in qua praedicatur idem de se. Sicut si haec esset uera 'chimaera est aliquid', haec esset uera 'chimaera est chimaera'. Et ita nulla propositio in qua praedicatur aliquid de hoc nomine 'chimaera', significatiue sumpto, potest esse uerior illa in qua hoc nomen 'chimaera' praedicatur de se ipso. Cum hoc tamen stat quod nec illa nec ista sit uera.

2.15. DE PROPOSITIONIBUS CATEGORICIS IN QUIBUS PONITUR HOC PRONOMEN 'QUI'

In quacumque propositione, quae secundum uocem est categorica, ponitur hoc relatiuum 'qui', illi dandae sunt plures exponentes, quia quaelibet aequiualet uni copulatiuae. Tamen aliter dicendum est de tali propositione quando est uniuersalis et quando est particularis, indefinita uel singularis. Quando enim talis propositio est particularis uel indefinita uel singularis, semper illa propositio aequiualet uni copulatiuae ex duabus propositionibus, compositae ex antecedente et hoc pronomine relatiuo 'illud', uel nomine proprio, et altero extremo, nulla uariatione alia facta. Sicut ista 'homo, qui est albus, currit' aequiualet isti 'homo currit et ille est albus' siue isti 'homo est albus et ille currit'. Similiter ista 'Sortes, qui currit, disputat' aequiualet isti 'Sortes currit et Sortes disputat'.

Sed si talis propositio sit uniuersalis, ipsa est distinguenda secundum amphibologiam, eo quod potest habere duplicem sensum. Unus sensus est per quem denotatur quod de quocumque dicitur illud totum quod praecedit uerbum principale, quod de eodem dicitur praedicatum, et non plus denotatur. Et iste a multis uocatur sensus campositionis, uel est conuertibilis cum illo sensu. Alius sensus est per quem denotatur quod illud quod sequitur hoc incomplexum 'qui' praedicatur uniuersaliter de antecedente, et quod similiter praedicatum praedicatur uniuersaliter de eodem. Verbi gratia per istam 'omnis homo, qui est albus, currit' in uno sensu denotatur quod de quocumque dicitur hoc totum 'homo qui est albus' quod de eodem dicitur hoc praedicatum 'currit'. Et tunc ad ueritatem talis requiruntur duae propositiones, scilicet quod 'aliquis homo est albus' et 'quilibet talis homo currit'. In alio autem sensu denotatur quod istae duae sunt uerae 'omnis homo est albus' et 'omnis homo currit'.

Verumtamen sciendum est, sicut dicetur inferius, quod quandoque est relatio non personalis, et tunc non oportet quod in copulatiua correspondente idem habeat in utraque eandem suppositionem. Quandoque autem est relatio personalis, et tunc debet habere eandem suppositionem.

2.16 DE PROPOSITIONIBUS REDUPLICATIVIS IN QUIBUS PONITUR HAEC DICTIO 'IN QUANTUM'

Circa propositiones reduplcatiuas est primo sciendum quod illa propositio uocatur reduplicatiua in qua ponitur haec dictio 'in quantum', uel aequiualens, et tenetur reduplicatiue; quia secundum aliquos potest aliquando teneri reduplicatiue, et tunc facit propositionem reduplicatiuam, et potest aliquando teneri specificatiue, et tunc non facit propositionem reduplicatiuam.

Secundo sciendum quod in propositione reduplicatiua ipsa reduplicatio, scilicet haec dictio 'in quantum', uel aequiualens, aliquando est affirmata, quia scilicet negatio non praecedit eam, et aliqando est negata, quia scilicet negatio praecedit eam, sicut hic 'Sortes non currit in quantum est homo'. Si autem reduplicatio non sit negata, uel hoc est in propositione affirmatiua, sicut hic 'Sortes in quantum homo est risibilis', uel in propositione negatiua, sicut hic 'Sortes in quantum homo non currit'.

Primo igitur uidendum est quid requiritur ad ueritatem propositionis affirmatiuae reduplicatiuae; secundo quid ad ueritatem propositionis negatiuae, in qua tamen reduplicatio non est negata; tertio quid requiritur ad ueritatem propositionis in qua reduplicatio est negata.

Circa primum sciendum est quod talis propositio potest distingui, eo quod potest esse reduplicatio gratia concomitantiae uel gratia causae. Si fiat reduplicatio gratia concomitantiae, tunc ad ueritatem ipsius requiruntur quatuor propositiones tamquam exponentes eam: una, in qua praedicatum principale uere praedicetur de subiecto principali; alia, in qua illud super quod cadit reduplicatio praedicetur de subiecto principali; tertia, in qua praedicatum principale praedicetur de illo super quod cadit reduplicatio uniuersaliter; quarta erit una condicionalis uera, ab illo super quod cadit reduplicatio ad praedicatum principale, illo modo quo ab inferiori ad superius dicitur esse bona consequentia et quo modo dicitur quod ex uno conuertibilium sequitur reliquum. Verbi gratia ad ueritatem istius 'Sortes in quantum homo est coloratus' requiritur ueritas istius 'Sortes est coloratus' et istius 'Sortes est homo' et istius 'omnis homo est coloratus' et istius 'si homo est, coloratus est' uel istius 'si a est homo, a est coloratum'. Et quia talis condicionalis est falsa, ideo talis reduplicatiua 'Sortes in quantum homo est coloratus' est similiter falsa, quia scilicet habet unam exponentem falsam.

Si autem reduplicatio fiat gratia causae, tunc ad ueritatem talis reduplicatiuae, praeter quatuor praedictas exponentes, requiritur quod illud super quod cadit reduplicatio exprimat causam importati per praedicatum, uel quod sit illud cui primo inest praedicatum principale, uel quod illi prius insit praedicatum principale quam pronomini demonstranti illud pro quo subiectum principale supponit. Sicut per istam 'isosceles in quantum triangulus habet tres' etc. denotatur quod isosceles habet tres etc., et quod isosceles est triangulus, et quod omnis triangulus habet tres etc., et quod si aliquid est triangulus, habet tres etc., et simul cum hoc quod hoc praedicatum 'habere tres' prius uerificetur de triangulo quam de isoscele, illo modo

quo logicus utitur 'priori' et 'posteriori', quae sunt condiciones propositionum. Similiter per istam 'ignis in quantum calidus est calefactiuus' denotantur praedicta, et ideo est uera. Similiter ista est uera 'homo in quantum habens animam intellectiuam est susceptibilis disciplinae', quia — praeter quatuor exponentes — anima intellectiua est causa disciplinae, et hoc extendendo nomen causae ad subiectum alicuius; quod sufficit ad ueritatem talis reduplicatiuae. Sed ista 'homo in quantum risibilis est susceptibilis disciplinae' est falsa, quamuis sit uera si fiat reduplicatio gratia concomitantiae; et hoc quia praedictae quatuor exponentes sunt uerae.

Ex praedictis potest colligi regula talis quod a propositione reduplicatiua ad suam praeiacentem est semper consequentia formalis, et hoc quia semper sua praeiacens est una exponens reduplicatiuae, et ideo sequitur formaliter 'homo in quantum animal est sensibilis, igitur homo est sensibilis'; similiter 'ignis in quantum calidus est calefactiuus, igitur ignis est calefactiuus'.

Ex istis sequitur quod multae propositiones, quae a multis conceduntur tam in philosophia quam in theologia, sunt simpliciter falsae de uirtute sermonis. Cuiusmodi sunt tales 'creatura in quantum est in Deo est realiter diuina essentia', 'Pater et Filius spirant in quantum sunt unum', 'homo in quantum creatura non est ens', 'obiectum in quantum intelligibile habet esse diminutum' et huiusmodi, quia omnes tales habent aliquam exponentem falsam. Et eodem modo, proportionaliter, dicendum est de consimilibus. Et si aliquae tales propositiones uel consimiles inueniantur in auctoribus, siue Sanctis siue philosophis, exponendae sunt, quia auctores frequenter loquuntur non de uirtute sermonis, sicut patet intuenti libros eorum.

Per praedicta possunt solui talia sophismata 'aliqua in quantum conueniunt differunt', 'aliqua in quantum differunt conueniunt'. Nam accipiendo 'conuenire' secundum quod uerificatur de omnibus exsistentibus in rerum natura et 'differre' pro omnibus quae quocumque modo differunt, hoc est sunt et non sunt idem, sic omnes tales et consimiles uerae sunt si fiat reduplicatio gratia concomitantiae, quia sicut manifeste patet, quatuor praedictae exponentes talium sunt uerae. Si autem fiat reduplicatio gratia causae, sic sunt falsae, nam 'conuenire' non prius conuenit nec dicitur de differentibus quam de conuenientibus, nec etiam importat causam talem, ideo falsae sunt, sic accipiendo eas.

Sed secus est de istis 'aliqua in quantum sunt similia, sunt dissimilia', 'aliqua in quantum sunt dissimilia, sunt similia', nam ista consequentia non ualet 'ista sunt similia, ergo sunt dissimilia', nec e conuerso. Nec etiam sequitur 'conueniunt in hoc praedicabili 'dissimile', igitur sunt similia', quia ad hoc quod sint similia requiritur quod habeant qualitates eiusdem speciei specialissimae.

Alia regula est quod arguendo ab inferiori ad superius sine distributione a parte subiecti principalis, est bona consequentia. Unde ista consequentia est bona 'Sortes in quantum homo est risibilis, igitur animal in quantum homo est risibile', quia

impossibile est exponentes antecedentis esse ueras sine exponentibus consequentis; et hoc siue fiat reduplicatio gratia concomitantiae siue gratia causae.

Similiter, arguendo a parte praedicati principalis est bona consequentia. Sed arguendo ab illo super quod cadit reduplicatio ad suum superius, est fallacia consequentis, sicut hic 'Sortes in quantum homo est risibilis, igitur Sortes in quantum animal est risibilis'. Nam si ista consequentia esset bona, sequeretur quod ista consequentia esset bona 'omnis homo est risibilis, igitur omne animal est risibile', per istam regulam: quando reduplicatiua infert reduplicatiuam, exponentes antecedentis inferunt exponentes consequentis.

Verumtamen sciendum est quod aliter posset aliquis uti talibus propositionibus, non de uirtute sermonis; et tunc possent negari tales consequentiae. Et sic respondendum esset ad auctoritates si inuenirentur dicere oppositum alicuius istorum.

Secundo uidendum est principaliter de reduplicatiua negatiua, in qua tamen reduplicatio non est negata, cuiusmodi est talis propositio 'homo in quantum rationalis non est asinus'.

Et est sciendum quod talis propositio reduplicatiua, si fiat reduplicatio gratia concomitantiae, habet quatuor exponentes: duas negatiuas et unam affirmatiuam et unam condicionalem. Affirmatiua exponens est illa in qua illud super quod cadit reduplicatio uere affirmatur de subiecto principali. Negatiuarum exponentium una est praeiacens illius propositionis reduplicatiuae, in qua scilicet praedicatum principale negatur a subiecto principali; alia negatiua exponens est illa in qua praedicatum principale negatur ab illo super quod cadit reduplicatio uniuersaliter sumpto. Condicionalis est illa in qua a positione illius super quod cadit reduplicatio sequitur negatio praedicati principalis. Sicut ista 'homo in quantum risibilis non est asinus' habet istas exponentes 'homo est risibilis', 'homo non est asinus', 'nullum risibile est asinus', 'si aliquid est risibile, ipsum non est asinus'.

Et propter hoc tales falsae sunt de uirtute sermonis 'logicus in quantum logicus diffet a grammatico', quia ista exponens est falsa 'omnis logicus differt a grammatico'; 'album in quantum album differt a dulci' et consimiles. Similiter tales sunt falsae 'intellectus in quantum intellectus non uult', 'anima in quantum intellectus non uult', 'anima in quantum actiua non patitur', 'anima in quantum passiua non agit', 'ignis in quantum calidus non est siccus', 'corpus in quantum alteratur non mouetur lacaliter', et sic de multis aliis, quia omnes tales habent aliquam exponentem falsam. Si autem fiat reduplicatio gratia causae, sic requiritur quod praedicatum principale primo uel prius negetur ab illo super quod cadit reduplicatio quam a pronomine demonstrante illud pro quo subiectum principale supponit; et hoc semper supponendo quod habeat quatuor praedictas exponentes. Et propter hoc, sic reduplicando, haec est falsa 'homo in quantum risibilis non est asinus'. similiter est intelligendum, sicut prius, quod semper a propositione reduplicatiua ad suam praeiacentem est consequentia formalis. Et ideo ista consequentia est formalis 'logicus in quantum

logicus differt a grammatico, igitur logicus differt a grammatico', ex qua sequitur quod logicus non est grammaticus. Tertio uidendum est de propositione ubi reduplicatio est negata. Et est sciendum quod talis propositio est contradictoria alicuius propositionis reduplicatiuae in qua reduplicatio est affirmata. Et ideo ad eius ueritatem sufficit opposita cuiuscumque exponentis reduplicatiuae, cui contradicit; quia regula generalis est quod quando aliqua propositio contradicit alicui habenti plures exponentes, ad ueritatem illius sufficit ueritas cuiuscumque oppositae exponentis. Unde ad ueritatem istius 'Sortes non est homo in quantum albus' sufficit ueritas istius 'Sortes non est hamo' et istius 'Sortes non est albus' et istius 'aliquod album non est homo' et istius 'non, si est album, est homo'. Notandum est etiam quod istae dictiones 'secundum quod', 'ut', 'sub ratione' et huiusmodi sunt aequiualentes isti dictioni 'in quantum', et ideo faciunt propositiones reduplicatiuas. Et idem est dicendum de talibus propositionibus quod iam dictum est de talibus ubi ponitur haec dictio 'in quantum'. Si autem dictio talis non teneatur reduplicatiue sed specificatiue, tunc non requiritur quod illud cui additur talis dictio subiciatur uniuersaliter praedicato principali, sed requiritur quod illud super quod cadit reduplicatio importet illud ratione cuius competit praedicatum principale subiecto primo. Verbi gratia si in ista propositione 'ignis in quantum calidus calefacit' li in quantum non teneatur reduplicatiue sed specificatiue, non oportet quod haec sit uera 'omne calidum calefacit', sed requiritur quod hoc nomen 'calidum' importet calorem per quem ignis calefacit, immo cui prius et magis per se competit calefacere quam igni, uel saltem quod est principium calefaciendi. Et ita ad ueritatem talis propositionis requiritur quod praedicatum principale praedicetur de subiecto principali et de illo cui additur dictio talis, et quod illud additum praedicetur de subiecto principali. Sed non requiritur quod praedicatum principale praedicetur uniuersaliter de illo cui additur dictio talis, sed oportet quod importet illud ratione cuius praedicatum principale conuenit uere per praedicationem subiecto principali. Et sic uerificantur tale propositiones 'Sortes in quantum albus disgregat', 'Sortes in quantum habet liberum arbitrium peccat', 'ens in quantum ens est subiectum metaphysicae' et huiusmodi. De exemplis tamen non est curandum. Oportet etiam scire quod hoc uocabulum 'in quantum' et similiter talia 'secundum quod', 'sub ratione' et huiusmodi aliquando in propositionibus aequiualent alicui aduerbio temporis. Sicut unus sensus istius propositionis 'canis, in quantum significat animal latrabile, facit istam propositionem esse ueram: omnis canis est animal', est iste 'haec propositio: omnis canis est animal, non est uera nisi quando canis stat pro animali latrabili'. Et similiter dicimus quod haec est uera 'ista imago est homo, secundum quod homo accipitur improprie', hoc est, ista est uera quando 'homo' accipitur improprie. Sic etiam uariis modis et aequiuoce accipi potest haec dictio 'in quantum'.

2.17 DE PROPOSITIONIBUS EXCLUSIVIS

Circa propositiones exclusiuas est primo sciendum quid facit propositionem exclusiuam; secundo, quid requiritur ad ueritatem exclusiuae; tertio, quomodo termini supponuiit in prapositionibus exclusiuis; quarto, dandae sunt regulae quaedam.

Circa primum sciendum est quod istae dictiones 'tantum' et 'solus' faciunt propositiones exclusiuas. Sciendum est tamen quod haec dictio 'solus' aliquando tenetur syncategorematice, et tunc est dictio exclusiua; aliquando tenetur categorematice, et tunc non est dictio exclusiua, sed tunc impartat illud quod importatur per terminum additum sibi esse solitarium; sicut dicitur quod 'iste est solus', hoc est 'solitarius', quia in loco illo non est cum alio. Similiter si dicatur sic 'solus Sortes currit', si li solus teneatur categorematice, significat quod Sortes, qui est solitarius, currat; et hoc poterit esse uerum, quamuis multi alii currant. Si autem teneatur syncategorematice, tunc denotatur quod nullus alius a Sorte currat.

Secundo sciendum quod quando istae duae dictiones 'tantum' et 'solus' possunt addi eidem, nihil refert addere unam dictionem uel aliam, dummodo li solus teneatur syncategorematice, quia tales propositiones aequiualent; sicut istae propositiones aequiualent 'tantum homo currit' et 'solus homo currit'.

Circa secundum sciendum est quod aliquando dictio exclusiua ponitur a parte subiecti, et aliquando a parte praedicati, siue a parte compositionis, ita quod est determinatio compositionis. Et idea primo est uidendum quando dictio exclusiua ponitur a parte subiecti.

Et est primo sciendum quod sicut aliquando dictio categorematica significat unum primaria institutione et aliud ex translatione et secundaria institutione, sicut 'homo' primo significat idem quod 'compositum ex corpore et anima intellectiua', secundario significat statuam uel imaginem talis campositi, sic est de dictione exclusiua et alia dictione syncategorematica quod aliquando significat uel habet unum officium ex primaria institutione et aliud ex secundaria, et ita est de dictione exclusiua. Et idea primo uidendum est de eius primaria institutione, secundo de secundaria.

Circa primum sciendum quod quandocumque dictio exclusiua tenetur secundum suam primariam institutionem et ponitur a parte subiecti, semper denotatur quod praedicatum uere praedicatur de subiecto, et quod remouetur ab omni illo de quo non uere praedicatur suum subiectum; et hoc si sit propositio affirmatiua. Et idea quaelibet propositio exclusiua habet duas exponentes: unam affirmatiuam et aliam negatiuam. Sicut ista 'tantum homo est animal' habet istas exponentes 'homo est animal' et 'nihil aliud ab homine est animal' Si autem sit negatiua, denotatur quod praedicatum uere remouetur a subiecto et quod inest omni illi a quo uere remouetur subiectum; et ita habet duas exponentes, scilicet suam praeiacentem negatiuam et aliam affirmatiuam. Sicut ista 'tantum homo non est asinus' habet istas duas exponentes 'homo non est asinus' et 'omne aliud ab homine est asinus' Per praedicta patet quod omnes tales sunt falsae et includeiites contradictionem, accipiendo dictionem exclusiuam secundum suam primariam institutionem: 'tantum homo est albus', 'tantum aer est hic intus', 'tantum animal est', 'tantum pater est', 'tantum indiuiduum est' et huiusmodi, quia ex illis sequitur praedicata uerificari de partibus, a quibus tamen tota uel nomina totorum remouentur, et ita omnes tales contradictionem includunt. Similiter tales falsae sunt

'solus Pater est Deus', 'solus Pater spirat Spiritum Sanctum', 'solus Pater creat', 'solus Pater est bonus' et huiusmodi. Similiter tales sunt falsae 'tantum omnis homo est rationalis', 'tantum omne animal est sensibile', quia istae exponentes non stant simul, si sint plures homines et plura animalia: 'omnis homo est rationalis' et 'nihil aliud ab omni homine est rationale', quia si nihil aliud ab omni homine est rationale, et iste homo est aliud ab omni homine, igitur iste homo non est rationalis, quae repugnat isti 'omnis homo est rationalis' Et eodem modo est de ista 'tantum omne animal est sensibile'. Secundo uidendum est de dictione exclusiua secundum eius secundariaim institutionem. Et est sciendum quod triplex potest esse: una, quando praecise excludit praedicatum ab omni distributo de quo non dicitur subiectum; alia, quando praecise excludit ea quae nec importantur per subiectum nec sunt partes eorum; tertia, quando praecise excludit maiorem pluralitatem quam est expressa per subiectum. Et secundum hoc dantur tres regulae. Una est quod quando dictio exclusiua additur termino communi distributo, quod potest esse exclusio proprie dicta, et tunc excluditur omne illud de quo non uerificatur illud cui additur dictio exclusiua. Aliter potest esse exclusio improprie dicta, secundum quod denotatur praedicatum remoueri a quolibet alio communi cum signo particulari, de quo non uerificatur subiectum; et potest uocari exclusio communis repugnantis cum signo particulari. Unde ista 'tantum omnis homo currit' est distinguenda penes secundum modum aequiuocationis, eo quod li tantum potest teneri proprie, et tunc habet istas exponentes 'omnis homo currit' et 'nihil aliud ab omni homine currit'. Vel potest sumi improprie, ut sit exclusio cuiuslibet communis repugnantis cum signo particulari, ut habeat istas exponentes 'omnis homo currit' et 'aliquis bos non currit' et 'aliquis asinus non currit' et 'aliqua capra non currit', et sic de singulis communibus, ut per talem exclusiuam — improprie sumpta dictione exclusiua denotatur praedicatum uerificari de termino communi posito in illa propositione cum signo uniuersali et non uerificari de quocumque alio communi uniuersaliter sumpto. Et ista distinctio numquam habet Iocum nisi quando dictio exclusiua additur termino communi uniuersaliter sumpto. Iuxta secundam — impropriam — acceptionem dictionis exclusiuae accipitur una alia regula quae est ista, quod quando dictio exclusiua additur termino importanti aliquid habens plures partes, illa propositio est distinguenda, eo quod potest esse exclusio proprie dicta, et tunc denotatur praedicatum competere subiecto et remoueri a quolibet a quo remouetur subiectum; uel potest esse exclusio improprie dicta, secundum quod excluditur omne illud de quo non uerificatur subiectum nec importans partem subiecti, et potest uocari exclusio cuiuslibet importantis extrinsecum. Et secundum hoc ista propositio est distinguenda 'tantum Sortes est albus', eo quod dictio exclusiua potest suae proprie, et tunc includit contradictionem, quia tunc istae sunt suae exponentes 'Sortes est albus' et 'nihil aliud a Sorte est album', quae duae repugnant, quia inferunt repugnantia. Nam sequitur 'Sortes est albus, igitur aliqua pars corporis Sortis est alba'; et sequitur 'nihil aliud a Sorte est album; quaelibet pars Sortis est alia a Sorte; igitur nulla pars corporis Sortis est alba'; quae conclusiones repugnant. — Si autem sumatur dictio exclusiua improprie, ut fiat exclusio praecise cuiuslibet importantis tantum aliquid extrinsecum Sorti, sic est haec possibilis 'tantum Sortes est albus', quia tunc non denotatur nisi quod Sortes sit albus et quod nihil extrinsecum Sorti sit

album; quae duae possunt stare simul, ut sint istae suae exponentes 'Sortes est albus' et 'nihil extrinsecum Sorti est album'. Et ista distinctio numquam habet locum nisi quando dictio exclusiua additur termino importanti aliquod totum habens plures partes, siue sit totum proprie dictum siue improprie dictum.

Et si dicatur quod tunc omnes tales essent simpliciter includentes contradictionem, secundum utramque acceptionem: ',"antum corpus est album', 'tantum homo est albus', 'tantum ignis calefacit', 'tantum homo est hic intus', 'tantum quantum est in loco', et ceterae huiusmodi. Nam per primum excluditur superficies, cum non sit aliquid intrinsecum corpori, quia non est pars eius; et propter idem excluderetur per secundum; per tertium exemplum excluderetur calor; per quartum omnia accidentia; per ultimum punctus:

Dicendum quod omnia praedicta de praedictis exemplis, praeterquam de tertio, secundum opinionem Aristotelis procedunt ex falsa imaginatione, scilicet quod superficies, linea, punctus sint quaedam res distinctae realiter a corpore et substantia; quod ostensum est esse contra intentionem Aristotelis in libro Praedicamentorum. Sed pro tertio exemplo, supposito quod ignis non possit calefacere nisi per calorem, est aliter dicendum; quia dicendum est quod — sumpta dictione exclusiua siue proprie siue secundum istam significationem impropriam — haec includit contradictionem 'tantum ignis calefacit'. Et ideo si debeat saluari, debet accipi dictio exclusiua aliter quam proprie et quam praedictis tribus significationibus, ut scilicet dictio exclusiua praecise excludat illa quae nec important aliquid extrinsecum nec accidens inhaerens formaliter. Et sub ista acceptione potest haec concedi esse possibilis 'tantum ignis calefacit', quia tunc non excluditur calor, cum formaliter inhaereat igni.

Iuxta tertiam — impropriam — acceptionem dictionis exclusiuae potest accipi tertia regula ista, quod quando dictio exclusiua additur termino numerali, siue aequiualenti, uel connotanti numerum uel unitatem, illa propositio est distinguenda, eo quod potest esse exclusia proprie uel improprie. Prima modo excluditur omne illud de quo non uerificatur subiectum; seundo modo excluditur maior pluratitas quam illa cui denotatur praedicatum competere; et potest uocari exclusia maioris pluralitatis. Et secundum hoc ista propositia est distinguenda 'tantum quatuor homines sunt hic intus', quia supponatur quod quatuar homines sunt hic intus et non plures, tunc si fiat exclusio proprie accipiendo dictionem exclusiuam, denotatur quod quatuor homines sunt hic intus, et quod nulla alia a quatuor hominibus sunt hic intus, et per consequens quod Iapides non sunt hic intus, et quod equi non sunt hic intus, nec asini, nec quod duo homines sunt hic intus, quia duo homines sunt alii a quatuor hominibus. — Si autem fiat exclusio maioris pluralitatis, tunc denotatur quod quatuor homines sunt hic intus et non plures quam quatuor. Et tunc sunt istae eius exponentes 'quatuor homines sunt hic intus' et 'non sunt plures homines hic intus quam quatuar'; et sic est uera, posito priori casu.

Et sic soluitur istud sophisma 'tantum unum est', nam proprie accepta dictione exclusiua, ista est uera 'tantum unum est', nam utraque exponens est uera, ista

uidelicet 'unum est' et 'nihil aliud ab uno est'. Similiter est de ista 'tantum unum animal est homo'. Sed si dictio exclusiua accipiatur improprie, secundum quod est exclusiua maioris pluralitatis, tunc est falsa; et tunc sunt istae suae exponentes 'unum est' et 'non sunt plura quam unum', sicut exponentes istius 'tantum unum animal est homo' sunt istae 'unum animal est homo' et 'non plura animalia quam unum sunt homines'. Similiter est de ista 'tantum alterum istorum est', demonstrando duo entia; nam sumpta dictione exclusiua proprie, uera est, quia utraque exponens est uera si non sunt plura quam illa duo, scilicet Deus et angelus. Si sumatur improprie, falsa est, quia tunc denotatur quod alterum istorum est et non utrumque.

Istis igitur modis potest dictio exclusiua accipi improprie; et forte etiam aliis modis potest accipi improprie, sed quia non sunt ita usitati sicut isti, ideo ipsos studiosis relinquo.

Dicto de dictione exclusiua quando ponitur a parte subiecti, dicendum est de ipsa quando ponitur a parte praedicati.

Et est primo sciendum quod tunc etiam potest accipi proprie et improprie. Si proprie, tunc denotatur quod praedicatum dicitur de subiecto et quad omne illud remouetur ab eo de quo non uerificatur praedicatum; sicut per istam 'homo est tantum animal' denotatur quod homo sit animal et quod non sit aliud ab animali. Quando autem accipitur improprie et transumptiue, tunc additur uerbo, et tunc excludit omne aliud uerbum a subiecto quod importat actionem uel passionem distinctam. Sicut per istam 'homo tantum uidet' denotatur quod homo uidet et quod non audit nec percutit, et sic de aliis. Unde ista propositio 'homo tantum currit' est distinguenda penes secundum modum aequiuocationis, eo quod dictio exclusiua potest sumi proprie, et tunc sunt istae duae suae exponentes 'homo currit' et 'homo non est aliud a currente', et cum hoc stat quod homo sit uidens et percutiens, et sic de aliis. Si autem sumatur improprie, tunc est falsa, quia tunc denotatur quod homo sit currens et non audiens nec uidens, et sic de aliis.

Consimilis distinctio posset poni de talibus 'homo est tantum albus', 'lac est tantum dulce', 'ignis est tantum calidus', 'terra est tantum frigida', et sic de aliis, quia si sumatur dictio exclusiua proprie, tunc est quaelibet illarum uera, quia tunc istae sunt exponentes 'homo est albus' et 'homo non est aliud ab albo'; 'lac est dulce' et 'lac non est aliud a dulci', et sic de aliis. Si autem dictio exclusiua sumatur improprie, tunc excluduntur omnia praedicabilia importantia accidentia distincta ab illo accidente quod importatur per praedicatum. Sicut per istam 'homo est tantum albus' denotatur quod homo sit albus et quod nullum praedicabile importans accidens distinctum ab albedine praedicatur de homine; et ita denotatur quod homo non sit calidus nec humidus nec siccus nec frigidus nec lucidus, et sic de aliis. Et sicut dictum est de ista propositione, ita uniformiter dicendum est de aliis.

Circa tertium principale, — scilicet — qualiter termini supponunt in propositionibus exclusiuis, est sciendum quod quando dictio exclusiua ponitur a parte subiecti et subiectum sumitur sine distributione, si subiectum sit terminus

communis, ipsum supponit confuse tantum, quia sicut dictum est prius, suppositio confusa tantum est quando non contingit descendere ad inferiora nec per disiunctiuam nec per copulatiuam. Nunc autem non sequitur 'tantum homo currit, igitur tantum iste homo currit uel tantum ille homo currit', et sic de singulis aliis. Nec etiam sequitur 'tantum homo currit, igitur tantum iste homo currit et tantum ille homo currit', et sic de singulis. Et ita terminus subiectus in tali propositione supponit confuse tantum, sed praedicatum supponit confuse et distributiue, nam contingit descendere ad inferiora per copulatiuam. Unde bene sequitur 'tantum homo currit, igitur tantum homo est hoc currens', quocumque curreinte demonstrato; nam sequitur 'tantum homo currit, igitur nihil aliud ab homine currit', et ultra 'ergo nullum currens est aliud ab homine', et ultra 'ergo hoc currens non est aliud ab homine'. Et manifestum est quod si currit, est aliquid, igitur est homo, et per consequens homo est hoc currens, igitur tantum homo est hoc currens; quia quando praedicatum est pronomen demonstratiuum uel aequiualens, ab indefinita ad exclusiuam respectu eiusdem praedicati est bona consequentia.

Immo, qualecumque sit praedicatum consequentia est bona ab indefinita seu particulari ad exclusiuam. Nam ista consequentia est bona 'homo tantum est risibilis, igitur tantum animal est risibile', nam tenet per regulam illam 'ab inferiori ad superius sine distributione, siue illud superius supponat confuse tantum siue determinate, est consequentia bona'; sicut sequitur 'omnis homo est homo, igitur omnis homo est animal'.

Secundo sciendum est quod quando exclusiua est negatiua, subiectum supponit sicut in exclusiua affirmatiua, et praedicatum similiter, quia sequitur 'tantum substantia non est accidens, igitur tantum substantia non est hoc accidens'.

Tertio sciendum est de suppositione terminorum in exclusiua quando dictio exclusiua ponitur a parte praedicati. Et est dicendum quad subiectum supponit in tali sicut supponit in sua praeiacente; et idem est de praedicato. Et ratio est quia idem de eodem non potest uere affirmari et negari, et ideo semper ex praeiacente sequitur exclusiua quando dictio exclusiua ponitur a parte praedicati. Quod est intelligendum si sit propositio de recto; nam si sit propositio de obliquo, tunc non est uniuersaliter uerum. Immo, si sit propositio de obliquo et dictio exclusiua sit determinatio praedicati et non determinatio compositionis, tunc praedicatum stat confuse tantum. Nam ponatur quod Sortes uideatur a multis hominibus et a nullo alio animali quam ab homine, tunc ista propositio est uera 'Sortes uidetur a solo homine', quia istae exponentes sunt uerae 'Sortes uidetur ab homine' et 'Sortes uidetur a nullo alio quam ab homine', et tamen non sequitur 'Sortes uidetur a solo homine, igitur Sortes uidetur a solo isto homine uel a solo illo homine'; immo etiam nec sequitur 'Sortes uidetur a solo homine, igitur Sortes uidetur ab isto homine'. Et ideo non stat nec confuse et distributiue, nec determinate, sed confuse tantum.

Si autem dictio exclusiua sit determinatio compositionis, tunc stat praedicatum sicut in praeiacente. Sicut in ista 'homo uidetur tantum ab homine', si li tantum sit determinatio compositionis, tunc habet istas exponentes 'homo uidetur ab homine'

et 'homo non est aliud quam uisum ab homine'. Ex quibus patet quod termini non aliter supponunt in exclusiua quam in sua praeiacente, quia semper talis exclusiua et sua praeiacens conuertuntur. Si autem subiectum exclusiuae in qua ponitur dictio exclusiua a parte subiecti sumatur cum distributione, tunc subiectum supponit confuse et distributiue, tam affirmatiuae quam negatiuae, quia includit contradictoria. Ideo de ista non plus ad praesens.

Et est notandum quod omnia praedicta intelligenda sunt quando dictio exclusiua proprie accipitur. Quando autem accipitur improprie, non sunt omnia praedicta uera. Sed quae sunt uera et quae non, potest patere leuiter inspicienti secundum improprias significationes dictionis exclusiuae, de quibus dictum est prius.

Ultimo uidendae sunt aliquae regulae circa dictiones exclusiuas. Una est quod ab exclusiua ad uniuersalem de terminis transpositis est bona consequentia et e conuerso, quia semper exclusiua et uniuersalis de terminis transpositis conuertuntur. Et est ista regula intelligenda quando praeiacens exclusiuae et similiter uniuersalis de terminis transpositis sunt conuertibiles, ita quod utraque possit proprie conuerti. Vel si praeiacens exclusiuae sit semper conuertibilis, nulla mutatione facta circa terminos praeter solam transpositionem uel aliqua alia mutatione, tunc debet consimilis uniuersalis accipi, cum qua conuertatur exclusiua. De quibus conuersionibus et de quibus modis conuertendi dicetur in sequentibus.

Per ista, et illa quae dicentur infra de canuersionibus, patet quod tales consequentiae non ualent 'sola necessaria sunt necessario uera, igitur omnia uera sunt necessario necessaria', quamuis haec consequentia sit bona 'sola necessaria sunt uera, igitur omnia uera sunt necessaria'. Similiter non sequitur 'tantum homo fuit albus, igitur omne album fuit home'. Et ita de consimilibus, de quibus dicetur in suo loco inferius.

Alia regula est quod quaelibet exclusiua habet duas exponentes, unam affirmatiuam et aliam negatiuam. Et ideo opposita exclusiuae habet duas causas ueritatis, quia utriusque exponentis opposita est causa ueritatis negationis exclusiuae.

Alia regula est quod quando dictum propositionis exclusiuae ponitur respectu alicuius modi facientis propositionem modalem, illa propositio est distinguenda, sicut ista est distinguenda 'tantum hominem esse Sortem est uerum', eo quad li tantum potest continue proferri cum hoc toto 'hominem esse Sortem' uel discontinue. Si discontinue proferatur, sic "tantum 'hominem esse Sortem' est uerum", tunc est falsa, quia tunc est iste sensus 'tantum haec est uera', demonstrando istam propositionem 'homo est Sortes'. Si continuetur cum hoc toto 'hominem esse Sortem' et partes dicti continuentur, tunc est iste sensus 'tantum hominem esse Sortem, est uerum' et aequiualet isti 'haec est uera: tantum homo est Sortes'. Si partes dicti non continuentur, tunc non denotatur quod haec sit uera 'tantum homo est Sortes', sed quod de aliquo contento sub homine uerificatur 'Sortes' cum dictione exclusiua. Unde simile est de illis et de aliis sumptis sine dictione exclusiua; tamen uariatio est quando praedicatum est singulare et quando non. Unde ista 'tantum

album currere est passibile', si li 'tantum' cantinuetur cum toto dicto et partes dicti discontinuentur, est falsa, quia aliud quam album currere est possibile; si autem continuentur, tunc est uera, quia tunc denotatur quod haec sit possibilis 'tantum album currit'. Per aliam autem denotatur quod nulla sit possibilis in qua praedicatur 'currere' de aliquo pronomine demonstrante aliquid quod non est album; quod non est uerum.

2.18. DE PROPOSITIONIBUS EXCEPTIVIS

Circa propositiones exceptiuas est primo uidendum quae sunt propositiones exceptiuae; secundo, quid requiritur ad ueritatem exceptiuarum; tertio, de suppositionibus terminorum in exceptiuis; quarto, dandae sunt quaedam regulae de propositionibus exceptiuis.

Circa primum sciendum quod talia syncategoremata 'praeter', 'nisi' faciunt propositiones in quibus ponuntur esse exceptiuas.

Et primo intelligendum est quod 'nisi' aliquando tenetur consecutiue, et tunc facit propositionem hypotheticam, sicut patet de ista 'Sortes non potest currere nisi habeat pedes'. Aliquando autem tenetur exceptiue, et tunc non facit propositionem hypotheticam, sicut patet hic 'nullus homo currit nisi Sortes'; et tunc haec dictio 'nisi' habet idem officium cum hac dictione 'praeter', quando haec dictio 'praeter' tenetur exceptiue.

Est etiam, secundo, sciendum quod haec dictio 'praeter' aliquando tenetur exceptiue, aliquando diminutiue. Exceptiue, sicut hic 'omnis homo praeter Sortem currit'; diminutiue, sicut hic 'decem praeter quinque sunt quinque'.

Circa secundum principale est sciendum quod ad ueritatem exceptiuae requiritur quod praedicatum remoueatur a parte extra capta et quod insit cuilibet alii contento sub subiecto, si sit affirmatiua; si sit negatiua, requiritur e conuerso. Et ideo quaelibet talis exceptiua habet duas exponentes: scilicet affirmatiuam et negatiuam. Sicut ista omnis homo praeter Sortem currit' habet istas 'Sortes non currit' et 'omnis homo alius a Sorte currit'. Et ista 'nullus homo praeter Sortem currit' habet istas 'Sortes currit' et 'nullus homo alius a Sorte currit'. Ita quod impossibile est aliquam exceptiuam esse ueram nisi utraque sua expanens sit uera, et idea ad falsitatem exponentis sequitur falsitas exceptiuae, quamuis non e conuerso.

Circa tertium principale est sciendum quod praedicatum in exceptiua affirmatiua habet suppositionem confusam tantum, quia non contingit descendere ad inferiora nec per disiunctiuam nec per copulatiuam; sed subiectum habet suppositionem canfusam et distributiuam.

Tamen distinguendum est de suppositione confusa et distributiua, quia quaedam est absoluta, quando scilicet terminus aequaliter distribuitur pro quolibet suo cantento, ita quod non plus pro uno quam pro alio, et talem suppositionem

canfusam et distributiuam non habet subiectum in propositione exceptiua. Alia est quasi limitata et arctata, quando scilicet terminus pro aliquo distribuitur et pro alio, ratione alicuius adiuncti, non distribuitur. Et hoc non accidit nisi quando illa propositio categorica aequiualet uni copulatiuae Compositae ex una affirmatiua et alia negatiua, quod accidit in propositione exceptiua, sicut dictum est.

Si autem exceptiua fuerit negatiua, tunc tam subiectum quam prae dicatum suppanit confuse et distributiue sed limitate.

Ex praedictis patet quod tales regulae 'a superiori distributo ad suum inferius est bona cansequentia', 'ab uniuersali ad singulare est bona consequentia' non sunt generaliter uerae, sed oportet addere quod illud inferius non sit extra captum uel quod uniuersalis non sit aequiualens uni copulatiuae compositae ex una affirmatiua et alia negatiua.

Circa quartum sciendum est quod multae regulae dantur de exceptiuis. Una est quod si praeiacens exceptiuae sit uera, exceptiua est falsa. Hoc patet per praedicta.

Alia est quod numquam exceptiua est propria nisi cuius praeiacens est uniuersalis. Unde haec est impropria 'homo praeter Sortem currit'; unde talis nec est uera nec est falsa.

Ex ista sequitur alia, scilicet quod non semper ab uniuersali ad suam indefinitam uel particularem est consequentia bona. Unde non sequitur 'omnis homo praeter Sortem currit, igitur aliquis homo praeter Sortem currit', nec sequitur 'igitur homo praeter Sortem currit'.

Alia sequitur, quod non cuilibet propositioni uniuersali contradicit propositio indefinita nec particularis ei correspondens. Non enim istae cantradicunt 'omnis homo praeter Sortem currit', 'aliquis homo praeter Sortem non currit'; nec istae 'nullus homo praeter Sortem currit' et 'aliqlius homo praeter Sortem currit'.

Ex ista sequitur alia, scilicet quod non semper loco istius 'non omnis' licitum est ponere hoc totum 'allquis non'. Istae enim non aequiualent 'non omnis homa praeter Sortem currit', aliquis homo praeter Sortem non currit', quia una est impropria et neque uera neque falsa, et alia est propria et uera uel falsa.

Alia regula sequens est quod sunt aliquae propositiones uniuersales contrariae, quae tamen non habent aliquas propositiones categoricas subcontrarias quae sunt indefinitae uel particulares, habentes subiecta determinata signis particularibus. Hoc patet per praedicta.

Alia regula est quod semper illud quod excipitur in exceptiua, debet esse aliquid contentum sub subiecto. Et ideo quaelibet talis est impropria 'omnis homo praeter animal currit', 'omne animal praeter substantiam est animatum'.

Alia regula est quod quando illud super quod cadit exceptio est commune, ad ueritatem talis exceptiuae non requiritur quod praedicatum uniuersaliter insit illi super quo cadit exceptio, si sit exceptiua negatiua, uel quod remoueatur uniuersaliter, si sit exceptiua affirmatiua.

Sciendum est etiam quod 'praeter' numquam tenetur diminutiue nisi quando additur termino numerali uel termino importanti aliquod totum. Quando autem tenetur diminutiue et additur termino numerali, tunc non denotatur praedicatum remoueri ab illo cui additur sed magis a subiecto. Sicut per istam 'decem praeter quinque sunt quinque' non denotatur quinque remoueri a quinque sed a decem. Similiter etiam per talem non denotatur praedicatum inesse illi cui additur haec dictio 'praeter', sicut per istam 'decem praeter quatuor sunt sex' non denotatur quod quatuor sunt sex, sed quod residua a quatuor sunt sex. Et ita est de aliis. Et ista de exceptiuis ad praesens dicta sufficiant.

2.19 DE PROPOSITIONIBUS IN QUIBUS PONUNTUR HAEC VERBA 'INCIPIT' ET 'DESINIT'

Omnis propositio in qua ponitur aliquod istorum uerborum 'incipit', 'desinit' habet duas exponentes, quia quaelibet aequiualet uni copulatiuae. Tamen ab aliquibus diuersimode assignantur exponentes respectu diuersorum. Unde dicunt quod aliter exponuntur respectu successiuorum et respectu permanentium.

Sed quamuis sic posset esse ad uoluntatem utentium, non tamen uidetur multum rationabile.

Ideo dico quod respectu cuiuslibet possunt habere easdem exponentes, sed aliae sunt ubi ponitur hoc uerbum 'incipit' et ubi ponitur hoc uerbum 'desinit'. Unde propositio ubi ponitur hoc uerbum 'incipit' habet duas exponentes, quarum una est de praesenti affirmatiua et alia de praeterito negatiua; sicut exponentes istius 'Sortes incipit esse albus' sunt istae 'Sortes est albus' et 'Sortes non fuit immediate ante albus'. Non enim exponens sua negatiua de praeterito est talis 'Sortes non fuit albus', quia talis propositio in qua ponitur 'incipit' potest esse uera et illa negatiua de praeterito falsa; sicut si Sortes sit primo albus et postea niger et tertio fiat albus, tunc in aliquo instanti est haec uera 'Sortes incipit esse albus' et tamen haec est falsa 'Sortes non fuit albus', quia positum est quod prius fuit albus. Sic etiam dicimus quod haec arbor incipit modo florere, et tamen floruit anno praecedenti.

Verumtamen sciendum quod hoc uerbum 'incipit' dupliciter accipi potest, scilicet stricte et proprie, et sic exponitur sicut dictum est. Aliter potest accipi large et improprie, et tunc sic exponitur 'sic est, et non diu ante fuit'. Sicut dicimus quod haec arbor incipit florere, quando nunc floret, et non multum ante, isto anno floruit, et tamen heri floruit; sicut etiam dicimus uulgariter 'iste incipit missam', quamuis dixerit Introitum. Et ista est distinctio similis illi quam ponit Philosophus, IV Physicorum, de 'nunc', quod potest accipi pro indiuisibili et potest accipi pro tempore paruo, propinquo praesenti.

Intelligendum est etiam quod quamuis propositio talis secundum ueritatem sermonis habeat tales exponentes, tamen aliquando secundum usum loquentium non habet tales exponentes, sed ponitur pro alia, quae talibus exponentibus caret. Et tunc est talis propositio distinguenda secundum amphiboliam.

Et per hoc potest uideri quid dicendum sit de talibus propositionibus 'Deus incipit beatificare omnem hominem beatum quem beatificat', 'Deus incipit punire omnem hominem quem punit', 'Deus incipit beatificare istas', demonstratis aliquibus quorum unum ante beatificauit et alium non ante beatificauit. Nam tales secundum proprietatem sermonis et lacutionis, hoc est secundum regulas generales per quas tales et consimiles iudicari debent, concedi passunt. Sicut ista 'Deus incipit beatificare istos' concedi potest, quia utraque istarum est uera 'Deus beatificat istas' et 'Deus non immediate ante beatificauit istos'. Tamen alium sensum habere potest, ut istae sint expanentes 'Deus beatificat istos' et 'nullum istorum prius beatificauit', et iste sensus falsus est. Similiter unus sensus istius 'Deus incipit beatificare omnem quem nunc beatificat' est iste 'Deus beatificat omnem quem nunc beatificat et Deus non prius immediate beatificauit omnem quem nunc beatificat'; et iste sensus uerus est. Alius sensus est iste 'Deus beatificat omnem quem nunc beatificat et nullum quem nunc beatificat prius immediate beatificauit'; et iste sensus falsus est. Et consimiliter potest dici de ista 'Deus incipit punire hominem quem nunc punit'. Similiter debet dici de talibus 'Petrus incipit esse talis qualis est Paulus', ponatur quod uterque sit primo infidelis et postea uterque fiat fidelis. Tunc ista propositio 'Petrus incipit esse talis qualis est Paulus' patest simpliciter concedi, quia nunc primo est talis qualis est Paulus et ante non fuit talis qualis est Paulus. Tamen haec est falsa de uirtute sermonis 'Petrus incipit esse similis Paulo', quia prius erat similis Paulo. Improprie tamen accipi potest sub hoc sensu 'Petrus est simiiis Paulo, et non erat similis Paulo secundum aliquam qualitatem secundum quam est nunc similis'.

Sic igitur patet quod propositio in qua ponitur hoc uerbum 'incipit' habet duas exponentes, et per consequens aequiualet uni copulatiuae.

Et similiter propositio in qua ponitur hoc uerbum 'desinit' habet duas exponentes. Una exponens est una propositio de praesenti affirmatiua et alia est una negatiua de futuro, non qualiscumque sed cum hoc addito 'non erit immediate post'. Sicut ista 'Sortes desinit esse albus' habet istas exponentes 'Sartes est albus' et 'immediate post non erit albus'. Et sicut dictum est de propositionibus in quibus ponitur hoc uerbum 'incipit', quod quandoque possunt distingui secundum amphiboliam, eo quod possunt accipi proprie et improprie, ita possunt multae propositiones in quibus ponitur hoc uerbum 'desinit' distingui secundum amphiboliam, eo quod possunt accipi proprie et improprie.

Circa suppositiones terminorum in talibus propositionibus est sciendum quod subiectum talium propositionum eodem modo supponit sicut in suis praeiacentibus, sed difficultas est de suppositione praedicati.

Et est dicendum quod praedicatum in tali propositione uniuersali affirmatiua supponit confuse tantum, quia non contingit descendere nec copulatiue nec disiunctiue. Non enim sequitur 'omnis homo desinit esse albus, ergo omnis homo desinit esse hoc album, uel omnis homo desinit esse illud album'; nec per consequens contingit descendere copulatiue. Similiter etiam in uniuersali negatiua stat confuse et distributiue, sed in propasitione non uniuersali stat determinate.

Verumtamen duo sunt hic scienda. Primum est quod suppositio determinata, et similiter confusa et distributiua, duplex est. Una, quando contingit descendere ad illa pro quibus terminus supponit, uel supponere potest, per pronomina demonstratiua praecise, sicut in ista 'homo currit' li homo supponit pro hoc homine et pro illo, et sic de aliis; et bene sequitur 'homo currit, igitur hoc currit', demonstrando istum hominem, 'uel illud currit', demonstrando illum hominem, et sic de aliis. Aliquando autem contingit descendere non praecise per pronomina demonstratiua sola, sed per pronomina demonstratiua sumpta simul cum illo termino communi sub quo debet esse descensus. Primo modo non supponit praedicatum in propositione ubi ponitur 'incipit' uel 'desinit' determinate. Non enim sequitur 'Sortes incipit esse albus, igitur Sortes incipit esse hoc uel incipit esse illud', quocumque demonstrato. Nam si Sortes mutetur a nigredine in albedinem, haec est uera 'Sortes incipit esse albus', et tamen quocumque demonstrato haec est falsa 'Sortes incipit esse hoc', quia altera istarum est falsa 'Sortes est hoc' et 'Sortes non prius fuit hoc'. Secundo modo praedicatum supponit determinate, nam bene sequitur 'Sortes incipit esse albus, igitur incipit esse hoc album uel incipit esse illud album', et sic de aliis. Unde haec est uera 'Sortes incipit esse hoc album', demonstrando Sortem, quia Sortes modo est hoc album et numquam prius fuit hoc album. Nec ualet 'Sortes incipit esse hoc album, igitur Sortes incipit esse hoc', demonstrando semper idem, sed est fallacia figurae dictionis, commutando 'quale quid' in 'hoc aliquid'. Nam in talibus arguendo frequenter ab aliquo termino connotatiuo, siue sit praedicatum totale siue sumptum cum pronomine demonstratiuo, ad pronomen demonstratiuum per se sumptum est fallacia figurae dictionis. Et si dicatur quod 'hoc' et 'hoc album' — demonstrando idem — conuertuntur, igitur ab uno ad reliquum est consequentia bona, dicendum quod ista regula 'ab uno conuertibilium ad reliquum est bona consequentia' habet multas instantias, quando scilicet termini non supponunt personaliter; quandoque etiam quando additur aliquod syncategorema uerbo, sicut non sequitur 'homo est per se secundo modo risibilis, igitur homo est per se secundo modo homo'. Maxime autem non ualet in multis propositionibus de praeterito et de futuro, quando illa conuertibilia sunt conuertibilia ut nunc et non simpliciter, qualiter est de istis duobus 'hoc' et 'hoc album', nam quando 'hoc' non est album, tunc non conuertuntur. Secundo sciendum est quod quandoque est suppositio determinata, ita quod contingit descendere ad inferiora et e conuerso contingit ascendere, aliquando autem non. Unde bene sequitur 'homo currit, ergo iste homo currit uel ille homo currit', et sic de aliis; et e conuerso bene sequitur 'iste homo currit, ergo homo currit'. Sed non semper sic est de termino supponente determinate a parte praedicati in propositione in qua ponitur 'incipit' uel 'desinit'. Unde bene sequitur 'Sortes incipit esse hoc coloratum, igitur incipit esse albus uel niger', et sic de aliis. Sed non

sequitur e conuerso; non enim sequitur 'Sortes incipit esse albus, igitur Sortes incipit esse coloratus', et hoc quia negatiua exponens antecedentis non infert negatiuam exponentem consequentis; non enim sequitur 'Sortes non fuit albus, ergo Sortes non fuit coloratus'. Et est regula generalis quod quando antecedens et consequens habent exponentes, si una exponens consequentis non sequatur ad aliam exponentem antecedentis, consequentia non ualet inter antecedens et consequens. Ex praedictis colligi potest quod ab inferiori ad superius cum hoc uerbo 'incipit' uel 'desinit' non ualet consequentia, sicut non sequitur 'Sortes incipit esse albus, ergo Sortes incipit esse coloratusi'. Similiter non sequitur 'Filius Dei incipit esse homo, ergo Filius Dei incipit esse aliquid'. Nec talis discursus ualet 'omnis homo est aliquid; Filius Dei incipit esse homo; igitur Filius Dei incipit esse aliquid', sed est fallacia accidentis. Sicut enim semper est fallacia accidentis quando in prima figura maior est affirmatiua et minor negatiua, ita semper est fallacia accidentis quando in prima figura maior est affirmatiua et minor habet aliquam exponentem negatiuam; sicut hic 'omnis homo est animal; tantum risibile est homo; igitur tantum risibile est animal'. Sic autem est in proposito, nam ista minor 'Filius Dei incipit esse homo' habet istam negatiuam exponentem 'Filius Dei non fuit immediate ante homo', et ideo in tali discursu est fallacia accidentis. Similiter potest studioso patere quod ista consequentia non ualet 'Filius Dei incipit esse homo, igitur aliquis homo incipit esse Filius Dei'. Verumtamen sciendum est quod quandoque Sancti talem propositionem concedunt, non accipiendo eam proprie et de uirtute sermonis, sed secundum uerum intellectum quem ipsi habebant. Verumtamen aduertendum est quod quandocumque aliqua inferiora incompossibilia non possunt uerificari successiue de aliqua cum uerificatione superioris de eodem, semper arguendo a tali inferiori ad tale superius est consequentia bona. Sicut bene sequitur 'Sortes incipit esse homo, igitur incipit esse animal' et hoc quia impossibile est quod aliquid, dum est animal, sit primo homo et postea animal, et postea non sit homo, uel e conuerso. Similiter, secundum mentem Aristotelis, bene sequitur 'Sortes incipit esse rationalis, igitur Sortes incipit esse sensibilis'. Eodem modo bene sequitur 'asinus incipit esse homo, igitur incipit esse animal' et tamen non sequitur 'asinus incipit esse niger, igitur incipit esse coloratus'.

2.20 DE PROPOSITIONIBUS IN QUIBUS PONITUR HOC VERBUM 'FIT' ET DE EARUM AEQUIVALENTIBUS

Sicut autem propositio in qua ponitur aliquod istorum uerborum habet duas exponentes, ita propositiones in quibus ponitur hoc uerbum 'fit' uel ei aequiualens, quale est hoc totum 'factus est' uel 'factum est' uel huiusmodi, habet duas exponentes, scilicet unam de praesenti et aliam de praeterito uel de futuro. Sicut ista 'Sortes fit albus' habet istas exponentes 'Sortes est albus' et 'non semper fuit albus'. Similiter ista 'Sortes fiet albus' habet istas exponentes 'Sortes non est albus et pro aliquo tempore non erit albus' et 'Sortes erit albus'. Similiter est de talibus 'Sortes factus est homo', 'Sortes factus est coloratus', et sic de consimilibus.

Sicut autem quando in propositione ponitur hoc uerbum 'incipit' uel 'desinit' propositio non conuertitur nulla facta uariatione praeter solam transpositionem illius quod praecedit et quod sequitur uerbum, sic est in istis. Et ideo de uirtute sermonis ista consequentia negari debet 'Filius Dei factus est homo, igitur homo factus est Filius Dei', quamuis tales propositiones Sancti aliquando concedunt sub uero intellectu. Similiter non sequitur 'Filius Dei fit homo, igitur homo fit Filius Dei', et hoc quia altera exponens non conuertitur illo modo. Non enim sequitur 'Filius Dei non semper fuit homo, igitur non semper homo fuit Filius Dei'. Unde secundum proprietatem sermonis concedi debet quod homo semper fuit Filius Dei; unde Christus dixit: Antequam Abraham fieret, ego sum.

Similiter, ab inferiori ad superius a parte praedicati non tenet consequentia in talibus propositionibus. Unde non sequitur 'Sortes fit albus, ergo Sortes fit coloratus'. Similiter, secundum proprietatem sermonis non sequitur 'Filius Dei fit homo, igitur Filius Dei fit exsistens', nec sequitur 'igitur fit aliquid', secundum proprietatem sermonis.

Et si dicatur quod Filius Dei fit homo uel factus est homo, aut igitur fit aliquid aut nihil, et non fit aliquid, ergo fit nihil, dicendum quod non sequitur 'Filius Dei fit homo, igitur Filius Dei fit aliquid' uel 'Filius Dei fit nihil', sicut non sequitur 'Sortes incipit esse albus, igitur Sortes incipit esse ens' uel 'incipit esse nihil'. Et ideo utraque pars talium disiunctiuarum neganda est.

Verumtamen sciendum est quod multae tales propositiones a Sanctis inueniuntur 'homo factus est Deus', sicut tales 'homo incipit esse Deus', quae non sunt uerae secundum proprietatem sermonis sed secundum intellectum Sanctorum.

Similiter, sicut talis discursus non ualet 'omne album est coloratum; Sortes incipit esse albus; igitur Sortes incipit esse coloratus', sic talis discursus non ualet 'omnis homo est aliquid; Filius Dei factus est homo; igitur Filius Dei factus est aliquid'; et hoc propter consimilem causam.

Ista de propositionibus categoricis, aequiualentibus propositionibus hypotheticis, ad praesens sufficiant, quamuis restent multa dicenda de quibus in diuersis locis dicetur.

2.21 DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM DE INESSE ET DE PRAESENTI

Postquam dictum est quid requiritur ad ueritatem propositionum categoricarum, nunc restat dicere de conuersionibus. Et primo dicendum est de conuersione prpositionum de inesse, secundo de conuersione propositionum madalium.

Circa primum dicendum est primo de conuersione propositionum de inesse et de praesenti, secundo de conuersione propositionum de inesse de praeterito et de futuro.

Est autem primo sciendum quod conuersio est quando de subiecto fit praedicatum et e conuerso. Aliquando autem fit talis transpositio nulla alia mutatione facta ex parte uocis, aliquando autem fit mutatio ex parte uocis praeter transpositionem terminorum.

Secundo sciendum quod propositio de inesse de praesenti aliquando est propositio in recto, aliquando in abliquo.

Tertio sciendum quod conuersio est triplex, scilicet simplex, per accidens et per contrapositionem. Conuersio simplex est quando manet eadem ==qualitas et== quantitas utriusque propositionis. Potest tamen magis large accipi conuersio simplex, ut dicatur conuersio simplex quando est mutua conuersio, ita quod sicut ratione camplexorum ex conuertente sequitur conuersa, ita sequitur e Conuerso. Et ita frequenter accidit, quamuis sit diuersa quantitas antecedentis et consequentis, sicut quando singularis conuertitur in particularem et e conuerso.

Conuersio per accidens dicitur illa quando non manet eadem quantitas antecedentis et consequentis. Potest tamen aliter uocari conuersio per accidens, quando non est canuersio mutua. Sicut bene sequitur 'omnis homo est albus, igitur aliquod album est homo'; sed e conuerso non sequitur.

Conuersio per Cantrapositionem dicitur, quando termini finiti mutantur in terminos infinitos.

Quarto sciendum quod uniuersalis negatiua de recto conuertitur simpliciter, large accipiendo conuersionem simplicem; et hoc nulla mutatione facta ex parte uocis praeter transpositionem terminorum, nisi forte uox mutetur secundum genus grammaticale. Sed stricte accipiendo conuersionem simplicem, non semper sic conuertitur; sicut non sequitur 'nullus asinus est Sortes, igitur nullus Sortes est asinus', sed sequitur 'igitur Sortes non est asinus'.

Similiter, singularis affirmatiua conuertitur simpliciter in particularem et indefinitam uel singularem, sicut sequitur 'Sortes est homo, igitur homo est Sortes' et 'aliquis homo est Sortes' et e conuerso. Similiter sequitur 'Sortes est Plato, igitur Plato est Sortes' et e conuerso.

Singularis negatiua canuertitur simpliciter in uniuersalem negatiuam uel singularem negatiuam, sicut sequitur 'Sortes non est albus, igitur nullum album est Sortes' et e conuerso. Similiter sequitur 'Sortes non est Plato, igitur Plato non est Sortes' et e Conuerso. Et ita singularis, secundum quod praedicatum est terminus cammunis uel singularis, in diuersam propositionem conuertitur conuersione simplici.

Similiter, tam indefinita quam particularis affirmatiua conuertitur tam in propositionem particularem quam indefinitam uel singularem, secundum quod habet pro praedicato terminum communem uel singularem. Sicut sequitur 'homo est

albus, igitur aliquod album est homo' et 'album est homo'; et sequitur 'aliquis homo est albus, igitur aliquod album est homo' et 'album est homo'. Similiter sequitur 'homo est Sortes, igitur aliquis homo est Sortes, igitur Sortes est homo' et e conuerso.

Similiter, uniuersalis affirmatiua tantum conuertitur per accidens, quia non est ibi canuersio mutua; et hoc quando terminus praedicatus est terminus cammunis. Et tunc canuertitur per accidens tam in particularem quam indefinitam. Sicut sequitur 'omnis homo est albus, igitur aliquod album est homo' et 'album est homo', et non e conuerso. Quando autem habet praedicatum terminum singularem, tunc etiam conuertitur per accidens in propositionem singularem; bene enim sequitur 'omnis homo est Sortes, igitur Sortes est homo' et non e conuerso.

Particularis negatiua non Conuertitur, nec simpliciter nec per accidens. Non enim sequitur 'aliquod animal non est homo, igitur aliquis homo non est animal', nec sequitur 'ergo nullus homo est animal'. Eodem modo indefinita negatiua non conuertitur, quia semper particularis et indefinita conuertuntur. Et hoc saltem est uerum quando subiectum utriusque suppanit personaliter.

Aliquas de praedictis conuersionibus probat Philosophus I Priorum quia tamen planae sunt et non indigent magna probatione, idea duxi pertranseundum.

Et si dicatur contra aliqua praedictarum quod secundum Porphyrium et Philosophum species non praedicatur de genere, nec inferius de superiori, et singulare siue indiuiduum non praedicatur nisi de uno solo, ergo tales conuersiones non ualent 'omnis homo est animal, ergo aliquod animal est homo' et huiusmadi:

Dicendum quad Porphyrius et Philosophus intendunt quad inferius non praedicatur de superiari cammuniari ad plura actualiter quam sit inferius, ipsa superiori uniuersaliter sumpto, et hoc praedicatione uera. Unde non intendunt nisi quad nulla talls sit uera 'omne animal est hamo', 'omnis homo est Sortes' et sic de aliis; quin tamen particulares et indefinitae sint uerae non negant.

Praedicta dicta sunt de propositionibus in recto. Sed de prapositionibus in obliquo non est omnino eodem modo dicendum, sed in illis frequenter oportet aliquam mutationem facere ex parte uocis praeter solam transpositionem terminorum. Et hoc addendo frequenter ad praedicatum participium uerbi, quod est copula, sicut sic arguendo 'nullus homo est in domo, igitur nullus exsistens in domo est homo'. Similiter sic arguendo 'nullus homo uidet asinum, igitur nullus uidens asinum est homo'. Et hoc est uerum quando obliquitas cadit a parte praedicati; quia si cadat a parte subiecti, non oportet. Unde ista 'omnem hominem uidet asinus' debet sic conuerti 'ergo asiniis uidet hominem'; similiter 'Filium generat Pater, igitur Pater generat Filium'.

Circa praedicta est sciendum quad quanda in tali propositione ponitur aduerbialis determinatio uel aliqua determinatio aequiualens aduerbiali

determinationi, illa determinatio in conuersa non debet esse determinatia uerbi, sed debet esse determinatio participii eiusdem uerbi. Et tunc in tali casu, siue propositio conuertibilis sit in recto siue in obliquo oportet resoluere uerbum in suum participium et in hoc uerbum 'est'; et ita oportet aliquam uariationem uocis facere praeter transpositianem terminorum. Et idea ista 'alteratum currit uelaciter' non debet sic conuerti 'ergo currens est uelaciter alteratum', nam ponatur quad idem tarde alteretur et uelociter currat, tunc est antecedens uerum et consequens falsum; sed debet sic conuerti 'igitur uelociter currens est alteratum', ita quad li uelociter sit determinatia huius participii 'currens' et non huius uerbi 'est'. Similiter ista 'creans semper est Deus' non debet sic conuerti 'igitur Deus est semper creans', sed sic 'igitur aliquid quod semper est Deus, est creans'.

2.22. DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM DE INESSE, QUAE SUNT DE PRAETERITO ET FUTURO

Circa conuersionem propositionum de praeterita et de futuro est primo sciendum quad quaelibet propositio de praeterito et de futuro, in qua subicitur terminus communis, est distinguenda penes tertium modum aequiuocationis', eo quod subiectum potest supponere pro eo quod est uel pro eo quod fuit, si sit propositio de praeterito; hoc est eo quod subiectum potest supponere pro eo de quo uerificatur subiectum per uerbum de praesenti, uel pro eo de quo uerificatur subiectum per uerbum de praeterito. Sicut ista 'album fuit Sortes' est distinguenda, eo quod 'album' potest supponere pro eo quod est album uel pro eo quod fuit album. Si autem sit propositio de futuro, tunc est distinguenda, eo quod subiectum potest supponere pro eo quod est uel pro eo quod erit, hoc est pro eo de quo uerificatur subiectum per uerbum de praesenti uel pro eo de quo uerificatur subiectum per uerbum de futuro. Et est ista regula intelligenda quando subiectum supponit personaliter, hoc est significatiue.

Secundo sciendum quod quando subiectum talis propositionis supponit pro eo quod est, tunc illa propositio debet conuerti in propositionem de praesenti, accepto subiecto cum hoc uerbo 'fuit' et hoc pronomine 'qui', et non in propositionem de praeterito. Unde ista consequentia non ualet 'nullum album fuit homo, igitur nullus homo fuit albus', si subiectum antecedentis sumatur pro eo quod est. Nam ponatur quod multi homines, tam uiui quam mortui, fuerint albi, et quod multa alia fuerint alba et modo sint, et quod nullus homo sit modo albus, tunc est antecedens uerum et consequens falsum, nam haec est uera 'nihil quod est album fuit homo', quia quaelibet singularis est uera, per casum; sed haec est falsa 'nullus homo fuit albus', qualitercumque subiectum accipiatur. Et idea non debet praedicto modo conuerti, sed sic 'nullum album fuit homo, igitur nullus qui fuit homo est albus'. Et eodem modo sequitur e conuerso 'nullus qui fuit homo est albus, igitur nullum albuni fuit homo', subiecto consequentis supponente pro his quae sunt alba et non pro his quae fuerunt alba. Si autem subiectum in tali propositione accipiatur pro eo quod fuit, sic est simpliciter conuertibilis in illam de praeterito et non in illam de praesenti. Bene enim sequitur 'nullum album fuit homo', subiecto accepto pro eo quod fuit, 'igitur

nullus homo fuit albus'; et hoc si subiectum consequentis accipiatur pro eo quod fuit. Impossibile enim est quod aliquis homo fuerit albus et tamen quod nihil quod fuerit album fuerit homo.

Si autem talis propositio de praeterito fuerit singularis, in qua subicitur pronomen demanstratiuum sine addito uel nomen proprium, tunc conuertitur in propositionem singularem uel uniuersalem, siue particularem uel indefinitam, subiecto consequentis accepto pro eo quod fuit. Sicut bene sequitur 'Sortes non fuit albus, igitur nihil quod fuit album fuit Sortes'. Sed subiecto consequentis accepto pro eo quod est, non ualet consequentia. Non enim sequitur 'Sortes non fuit albus, igitur nihil quod est album fuit Sortes'; nec etiam sequitur illa de praesenti, scilicet ista 'nullum album est Sortes', nam posito quod Sortes nunc primo sit albus, ista est uera 'Sortes non fuit albus'; et utraque illarum est falsa.

Est etiam notandum quod sicut propositio talis distinguitur quando subiectum est terminus communis, ita etiam potest distingui quando ponitur pronomen demonstratiuum cum termino communi. Unde haec est distinguenda 'hoc album fuit Sortes', eo quod potest esse implicatio mediante uerbo de praesenti, et tunc est iste sensus 'hoc, quod modo est album, fuit Sortes', uel mediante uerbo de praeterito, ut iste sit sensus 'hoc, quod fuit album, fuit Sortes'. Et est talis propositio conuertibilis uniformiter propositioni de praeterito in qua subicitur terminus communis.

Illa quae dicta sunt de propositione de praeterita applicanda sunt, proportionaliter, propositioni de futuro, iuxta distinctianem prius datam.

Sciendum est etiam quod, sicut dictum est prius, quod in propositionibus de praesenti aduerbialis determinatio addenda est in consequente participio prioris uerbi et non uerbo; ita est faciendum in illis de praeterito et de futuro.

Per praedicta patet quod tales consequentiae non ualent 'Deus non semper fuit creans, igitur creans non fuit semper Deus', nam antecedens est uerum, hoc scilicet 'Deus non fuit semper creans', quia non fuit creans ante mundi creationem; sed haec est falsa 'creans non semper fuit Deus', quia hoc creans semper fuit Deus. Sicut enim haec est uera 'album fuit nigrum' et tamen haec numquam fuit uera 'album est nigrum', ita haec est uera 'creans semper fuit Deus' et tamen haec non fuit semper uera 'creans est Deus'; et ideo praedicta consequentia non ualet. Sed debet sic canuerti 'Deus non fuit semper creans, igitur nihil quod fuit semper creans, est Deus', uel 'nihil quod semper fuit creans, fuit Deus'. Et ista est uera, quia habet duas causas ueritatis: uel quia nihil semper fuit creans; uel quia aliquid semper fuit creans, quod tamen non est Deus. Et prima causa est uera, quamuis secunda sit falsa. Similiter ista consequentia non ualet 'nullus uidens fuit caecus, igitur nullus caecus fuit uidens', accepto subiecto antecedentis pro eo quod est; sed debet sic conuerti 'igitur nullus qui fuit caecus, est uidens'. Et ita propositio de praeterito, accepto subiecto pro eo quad est, conuertitur in unam de praesenti, modo praedicto, sicut

quando subiectum accipitur pro eo quod fuit, conuertitur in illam de praeterito, subiecto consequentis accepto pro eo quod fuit.

Similiter est de talibus 'nullum impossibile erit uerum'; si subiectum accipiatur pro eo quod est, conuertitur in unam de praesenti, scilicet sic 'nullum impossibile erit uerum, igitur nihil quod erit uerum est impossibile'; si subiectum accipiatur pro eo quod erit, conuertitur sic 'igitur nullum uerum erit impossibile', subiecto consequentis accepto pro eo quod erit.

Sciendum est etiam quod quando talis propositio de praeterito est uel de futuro, si subiectum sit terminus communis uel includens terminum cammunem cum pronomine demonstratiuo et praedicatum sit pronomen demonstratiuum sine addito uel nomen proprium, tunc si subiectum accipiatur pro eo quod est, conuertitur in illam de praesenti, sine omni alia uariatione. Sicut sequitur 'album erit Sortes, igitur Sortes est albus', sed non e conuerso est mutua canuersio, et hoc si sit possibile dare ultimum rei permanentis in esse. Similiter bene sequitur 'aliquod album fuit Sortes', subiecto accepto pro eo quod est, 'igitur Sortes est albus', sed non sequitur e conuerso, si sit dare primum rei permanentis in esse. Si autem subiectum accipiatur pro eo quod erit uel fuit, conuertitur absolute in illam de praeterito uel de futuro, et est mutua conuersio.

2.23 DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM QUAE NON SUNT MERE CATEGORICAE, CUIUSMODI SUNT EXCLUSIVAE, REDUPLICATIVAE EXCEPTIVAE ET HUIUSMODI

Ex praedictis in duobus praecedentibus capitulis potest aliqualiter patere conuersio propositionum reduplicatiuarum, exclusiuarum, exceptiuarum et aliarum in quibus panitur hoc uerbum 'incipit' uel 'desinit'. Nam propositio habens exponentes habet consimilem conuersionem cum suis exponentibus, et si omnes exponentes eodem modo conuertantur, illa exposita eodem modo conuertitur. Si autem una exponens conuertatur uno modo et alia alio modo, scilicet una simpliciter et alia per accidens, tunc habebit consimilem conuersionem cum conuersione unius et non cum canuersione alterius.

Tamen magis in speciali uidendum est de istis. Unde sciendum est quod propositio reduplicatiua non conuertitur in propositionem reduplicatiuam, sed conuertitur in unam non reduplicatiuam, cuius subiectum erit unum aggregatum ex praedicato prioris et illo super quod cadit reduplicatio, cum reduplicatione mediante hoc pronomine 'quod'. Sicut ista 'animal in quantum homo est risibile' conuertitur in istam 'aliquid, quod in quantum homo est risibile, est animal' et non in istam 'risibile, in quantum homo, est animal'. Instantia patet hic 'Sortes in quantum homo est risibilis, igitur risibile in quantum homo est Sortes', quia antecedens est uerum et consequens falsum. Similiter ista 'nullum actiuum in quantum passiuuni est actiuum' conuertitur in istam 'igitur nihil quod est actiuum in quantum passiuum, est actiuum'.

Similiter, proportionaliter, hic dictis et dictis in priori capitulo dicendum est de conuersione propositionum reduplicatiuarum de praeterito et de futuro.

Circa conuersionem propositionum exclusiuarum est sciendum quod exclusiua non canuertitur in exclusiuam. Non enim sequitur 'tantum animal est hamo, igitur tantum homo est animal', sed ipsa conuertitur in uniuersalem, sicut sequitur 'tantum animal est homo, igitur omnis homo est animal'. Similiter sequitur 'tantum homo non currit, igitur omne non currens est homo'.

Et sicut dictum est de conuersione propositionum de praeterito et de futuro, ita dicendum est de conuersione talium exclusiuarum de praeterito et de futuro. Unde non sequitur 'omne album fuit Sortes', subiecto accepto pro eo quod est, 'igitur tantum Sortes fuit albus'; nam posito quod nihil sit modo album nisi Sortes et quod multi alii fuerunt albi, antecedens est uerum et consequens falsum. Et ideo non conuertitur isto modo sed sic 'omne album fuit Sortes, igitur tantum

Sortes est albus'. Non tamen est conuersio mutua. Et sicut dictum est de ista, ita proportionaliter dictis in priori capitulo dicendum est de aliis exclusiuis.

Circa conuersionem propositionum exceptiuarum est sciendum quod exceptiua non conuertitur in exceptiuam. Non enim sequitur 'omnis homo praeter Sortem currit, igitur aliquid currens praeter Sortem est homo', quia consequens est improprium. Sed exceptiua conuertitur in unam non—exceptiuam, cuius subiectum erit unum aggregatum ex praedicato exceptiuae et parte extra capta, mediante hoc toto 'quod non est', sic 'omnis homo praeter Sortem currit, igitur aliquod currens, quod non est Sortes, est homo'. Et ista 'nullus homo praeter Sortem currit' conuertitur in istam 'nullum currens, quod non est Sortes, est homo'.

Circa conuersionem prapasitionum in quibus ponuntur haec uerba 'incipit', 'desinit' est sciendum quod non conuertuntur in prapositiones consimiles. Non enim sequitur 'aliquis homo incipit esse albus, igitur aliquod album incipit esse homo', sed debent tales propositiones sic conuerti 'aliquis homo incipit esse albus, igitur aliquid, quod incipit esse album, est homo'. Et ita est de aliis.

Ex praedictis possunt elici modi conuersionum quarumcumque propositionum de inesse, siue sunt de praesenti siue de praeterito siue de futuro, siue etiam sint categoricae non aequiualentes propositionibus hypotheticis siue sint aequiualentes eis.

2.24. DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM MODALIUM. ET PRIMO DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM DE NECESSARIO

Viso quomodo propositiones de inesse conuertuntur, uidendum est quomodo propositiones modales conuertuntur. Et primo de conuersione propositionum de necessario.

Est autem primo sciendum quod, sicut dictum est prius, quando modus ponitur cum dicto, illa propositio est distinguenda secundum compositionem et diuisionem. Et ideo primo uidendum est de conuersione talium propositionum in sensu compositionis et aequiualentium eis, secundo de conuersione talium propositionum in sensu diuisionis et aequiualentium eis.

Circa primum sciendum est breuiter quod tales propositiones conuertuntur sicut suae de inesse, quia in conuersione talium arguitur semper per istam regulam 'si unum conuertibilium est necessarium, reliquum est necessarium'; uel per istam 'si antecedens est necessarium, consequens est necessarium'. Unde in conuersione simplici, large sumpta, arguitur per primam regulam, in conuersione per accidens arguitur per secundam regulam. Verbi gratia sic arguendo 'nullum hominem esse asinum est necessarium, igitur nullum asinum esse hominem est necessarium', arguitur per istam regulam. Cum ista conuertantur, sicut dictum est prius, 'nullus homo est asinus' et 'nullus asinus est homo', si haec sit necessaria 'nullus homo est asinus' oportet quod haec sit necessaria 'nullus asinus est homo'. Et sicut dictum est de istis, ita dicendum est de aliis. Et hoc est uniuersaliter uerum de omnibus, siue sint reduplicatiuae siue exclusiuae siue exceptiuae siue quaecumque aliae propositiones categoricae.

Sciendum est etiam quod Philosophus, I Priorum, tantum probat illas de necessario conuerti in sensu compositionis uel eis aequiualentes et non alias, quia neutra probatio sua procedit de aliis, sicut ibi patet. Unde ista propositio 'si unum conuertibilium est possibile, reliquum est passibile' non ualet nisi quantum ad propositiones de possibili sumptas in sensu compositionis. Nec etiam ista 'cuicumque actui repugnat necessitas, potentiae eiusdem actus repugnat necessitas eadem', hoc est cuicumque propositioni de inesse repugnat aliqua propositio de necessario, propositioni de possibili correspondenti illi de inesse repugnat eadem propositio de necessario. Unde si istae duae repugnant 'aliquis homo currit' et 'necesse est nullum animal currere', istae duae repugnabunt 'possibile est aliquem hominem currere' et 'necesse est nullum animal currere'. Et hoc est uerum generaliter quando utraque de modo accipitur in sensu compositionis uel aequiualens sibi. Si enim una acciperetur in sensu diuisionis, regula non ualeret, nam instantiae sunt multae. Sicut istae duae repugnant 'aliquod uerum est impossibile' et 'necesse est nullum uerum esse impossibile', et tamen istae duae stant simul 'aliquod uerum potest esse impossibile' et 'necesse est nullum uerum esse impossibile', illa de necessario sumpta in sensu compositionis, quia utraque istarum est uera. Et ita Philosophus in libro Priorum non loquitur de conuersione propositionum de necessario nisi quando sumuntur in sensu compositionis uel aequiualenter.

Circa conuersionem propositionum de necessario, sumptarum in sensu diuisionis et aequiualentium, est sciendum quod non sunt conuertibiles nulla facta mutatione seu uariatione ex parte uocis praeter transpositionem terminorum. Non enim sequitur per naturam conuersionis 'nullus homo de necessitate est asinus, igitur

nullus asinus de necessitate est homo', quia non sequitur in sensu diuisionis acceptis aliis propositionibus. Unde non sequitur 'nullum impossibile esse uerum est necessarium, igitur nullum uerum esse impossibile est necessarium', quia antecedens est uerum et consequens falsum. Nullum enim impossibile potest esse uerum, et tamen aliquod uerum potest esse impossibile. Haec enim modo est uera 'ego non fui Romae', et tamen potest esse impossibilis: si enim uadam Romam, postea erit impossibilis.

Similiter non sequitur 'creans de necessitate est Deus, igitur Deus de necessitate est creans', quia antecedens est uerum et consequens falsum. Similiter non sequitur 'homo de necessitate intelligitur a Deo, igitur aliquod intellectum a Deo de necessitate est homo', quia antecedens est uerum et consequens falsum. Similiter non sequitur 'homo albus de necessitate est homo, igitur homo de necessitate est homo albus'.

Et ideo tales praedicto modo conuerti non possunt; sed subiecto consequentis, quod fuit praedicatum antecedentis, addendus est modus necessitatis cum hoc 'aliquid quod est', ut ista 'omne impossibile de necessitate non est uerum' conuertatur sic 'igitur aliquid, quod de necessitate non est uerum, est impossibile'. Similiter ista 'creans de necessitate est Deus' conuertitur in istam 'igitur aliquid, quod de necessitate est Deus, est creans'. Et ista 'homo de necessitate intelligitur a Deo' conuertitur sic 'igitur aliquid, quod de necessitate intelligitur a Deo, est homo'. Et ita de aliis.

Ex quibus patet quod stricte accipiendo propositionem de modo et propositionem de inesse, propositio de necessario, sumpta in sensu diuisionis uel aequiualens ei, non conuertitur in propositionem de necessario sed in propositionem de inesse. Patet etiam ex praedictis quod talis consequentia non ualet 'tantum necessarium de necessitate est uerum, igitur omne uerum de necessitate est necessarium', quia ista uniuersalis non est conuertibilis cum praedicta exclusiua sed ista 'omne, quod de necessitate est uerum, est necessarium', quia semper propasitiones habentes exponentes diuersimode conuertuntur, secundum quod exponentes earum diuersimode conuertuntur. Unde secundum quod exponentes unius exclusiuae aliter canuertuntur quam exponentes alterius exclusiuae, secundum hoc una exclusiua aliter conuertitur quam alia. Similiter non sequitur 'tantum creans de necessitate est Deus, igitur omne quod est Deus, de necessitate est creans' sed sic 'igitur omne quod de necessitate est Deus, est creans'.

Causa autem quare in praedictis Consequentiis est antecedens uerum et cansequens falsum, dicta est prius, ubi dictum est quamodo aliter appellat praedicatum suam formam quam subiectum. Et ideo illud ibi dictum summe est imprimendum memoriae ad sciendum quid requiritur ad ueritatem propositionum de praeterito et de futuro et de modo et aequiualentium eis.

2.25 DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM DE POSSIBILI

Circa conuersionem propositionum de possibili est primo sciendum quod in isto capitulo accipiendum est semper 'possibile' secundum quod est cammune ad necessarium et ad contingens quod non est necessarium: ut 'possibile' sit idem quod 'propositia non impossibilis'. Et sic accipiendo 'possibile' concedendum est quod Deus potest esse Deus et quod homo potest esse animal.

Sic autem accipiendo 'passibile' est sciendum quod eaedem regulae quae dictae sunt de conuersione propositionum de necessario' attendendae sunt circa conuersionem propositionum de possibili. Nam illa de possibili, sumpta in sensu compositionis, et aequiualens ei est eodem modo conuertenda sicut sua de inesse, quia in omnibus talibus conuersionibus arguitur per istam regulam 'si unum conuertibilium est possibile, reliquum est passibile', uel per istam 'si antecedens est possibile, consequens est possibile', quae regulae sunt semper uerae.

Sed si sumantur tales propositiones in sensu diuisionis uel eis aequiualentes, tunc non eodem modo conuertuntur. Unde non sequitur 'Deus potest esse non creans, igitur non creans potest esse Deus', et hoc si subiectum consequentis accipiatur pro eo quod est. Similiter non sequitur 'uiator potest esse damnatus, igitur damnatus potest esse uiator', sed sequitur 'igitur aliquis, qui potest esse damnatus, est uiator'.

Verumtamen ut plenius pateat qualiter tales propositones de possibili debent conuerti, est sciendum quod quanda subiectum propositianis de possibili est terminus communis uel includens terminum comniunem, propositio est distinguenda, eo quod subiectum potest supponere pro his quae sunt uel pro his quae possunt esse; quae regula intelligenda est, proportianaliter, sicut dictum est prius de propositionibus de praeterito et de futura. Si autem accipiatur subiectum antecedentis pro his quae sunt, tunc conuertitur in illam de passibili, subiecto consequentis accepto pro his quae possunt esse, sed non accepto subiecto consequentis pro his quae sunt. Unde bene sequitur 'aliquis, qui est uiator, potest esse damnatus, igitur aliquis, qui potest esse damnatus, potest esse uiator'. Similiter sequitur 'Deus potest esse non creans, igitur qui potest esse non creans, potest esse Deus'. Et non solum sequitur illa de possibili, sed etiam cum tali additione 'qui potest esse' sequitur illa de inesse, sicut sequitur 'Deus potest esse non creans, igitur qui potest esse non creans, est Deus'. Sed si subiectum antecedentis accipiatur pro his quae possunt esse, tunc sequitur illa de possibili, subiecto consequentis accepto pro his quae possunt esse, et non sequitur illa de inesse. Si autem praedicatum antecedentis sit terminus singularis uel pronomen demonstratiuum sine addito, sequitur illa de possibili absolute; sicut sequitur 'creans potest esse Deus, igitur Deus potest esse creans', siue subiectum antecedentis accipiatur pro his quae sunt siue pro his quae possunt esse.

Per praedicta patet quod tales consequentiae non ualent 'uidens potest esse caecus, igitur caecus potest esse uidens'; 'uerum potest esse impossibile, igitur

impossibile potest esse uerum'; 'nullum necessarium potest esse falsum, igitur nullum falsum potest esse necessarium'. Et hoc si subiectum Consequentis accipiatur pro his quae sunt; aliter consequentiae sunt bonae.

2.26 DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM DE IMPOSSIBILI

Circa conuersionem propositionum de impossibili est sciendum quod propositiones de impossibili, acceptae in sensu compositionis, conuertuntur sicut suae de inesse, quando illae de inesse conuertuntur simpliciter, quia tunc arguitur per istam regulam 'si unum conuertibilium est impossibile, reliquum est impossibile'; quae regula uera est. Sed quando sua de inesse non conuertitur simpliciter sed tantum per accidens, tunc illa de impossibili in sensu compositionis ==non est conuertibilis== nec aliqua sibi aequiualens est conuertibilis. Et hoc quia non posset tenere talis conuersio nisi per istam regulam 'si antecedens est impossibile, consequens est impossibile'; quae regula falsa est, nam aliquando antecedens est impossibile et consequens necessarium.

Et ideo tales consequentiae sunt bonae 'nullum hominem esse animal est impossibile, igitur nullum animal esse hominem est impossibile'; 'aliquem hominem esse asinum est impossibile, igitur aliquem asinum esse hominem est impossibile'; 'Deum esse corpus est impossibile, igitur corpus esse Deum est impossibile'. Sed tales consequentiae 'omne animal esse hominem est impossibile, igitur aliquem hominem esse animal est impossibile'; omne ens in actu uel in potentia esse Deum est impossibile, igitur Deum esse ens in actu uel in potentia est impossibile' et huiusmodi non ualent.

Si autem talis propositio de impossibili sumatur in sensu diuisionis uel aequiualens sibi, tunc conuertibilis est sicut illa de necessario. Unde ista consequentia non ualet 'aliquod album impossibiliter est homo, igitur aliquis homo impossibiliter est albus', nam antecedens est uerum et consequens falsum; sed debet sic conuerti 'igitur aliquid, quod impossibiliter est homo, est album'. Similiter ista 'nullum album potest esse homo' non conuertitur sic 'igitur nullus homo potest esse albus' sed sic 'igitur aliquid, quod non potest esse homo, est album'.

Istud cancellauit ipsc Occkam. Est autem sciendum quod quando negatio praecedit modum, mutat modum, ut non dicatur propositio de tali modo. Et ideo ista 'nullus homo potest esse albus' non est de possibili sed magis de impossibili. Sicut ista 'nullus homo de necessitate est albus' non est proprie et stricte de necessario sed magis de possibili, quia aequiualet isti 'omnis homo potest non esse albus'. Et ideo quia tales propositiones in quibus negantur modi aequiualent propositionibus affirmatiuis de aliis modis, ideo non conuertuntur simpliciter sed per accidens tantum. Unde ista 'nullum ens de necessitate creat' non conuertitur in istam 'igitur nullum creans de necessitate est ens', quia falsa est, cum sua contradictoria sit uera, scilicet 'aliquod creans de necessitate est ens', quia hoc creans de necessitate est ens, demonstrando Deum; nec in istam nihil quod non de necessitate creat est ens', nam non sequitur, quia antecedens est uerum et

consequens falsum; sed sequitur ista 'igitur aliquid, quod non de necessitate creat, est ens'.

2.27 DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM DE CONTINGENTI

Post praedicta uidendum est de conuersione propositionum de contingenti.

Et est primo sciendum quod in isto capitulo accipiendum est semper contingens' pro contingenti ad utrumlibet, ut illa sola propositio dicatur contingens quae nec est necessaria nec impossibilis. Et quia talis propositio habet duas conuersiones, unam in terminis et aliam per oppositas qualitates, ideo primo dicendum est de prima conuersione, secundo de secunda.

Est autem primo sciendum quod propositiones de contingenti, sumptae in sensu compositionis, et eis aequiualentes conuertuntur sicut suae de inesse, quando suae de inesse conuertuntur simpliciter. Et hoc quia talis conuersio tenet per hanc regulam 'si unum conuertibilium est contingens, reliquum est contingens'; quae semper est uera. Et ideo bene sequitur 'hominem esse album est contingens, igitur album esse hominem est contingens'. Similiter bene sequitur 'Deum creare est contingens, igitur creantem esse Deum est contingens'. Et ita particularis affirmatiua et uniuersalis negatiua de cantingenti, sumptae in sensu Compositionis, conuertuntur simpliciter. Similiter bene sequitur 'haec est contingens: nullus homo est albus; igitur haec est contingens: nullum album est hamo'. Et ita est de aliis.

Sed quando illa de inesse non conuertitur simpliciter sed per accidens tantum, tunc illa de contingenti in sensu compositionis non conuertitur in terminis, quia talis conuersio non potest tenere nisi per hoc medium 'si antecedens est contingens, consequens est contingens'; quod est simpliciter falsum, cum ex contingenti sequatur necessarium. Et ideo non sequitur 'omnem hominem esse album est contingens, ergo aliquod album esse hominem est contingens'; sicut non sequitur 'omnem substantiam exsistentem in actu esse Deum est contingens, igitur Deum esse substantiam exsistentem in actu est contingens', quia antecedens est uerum et consequens falsum. Haec enim est contingens 'omnis substantia exsistens in actu est Deus', quia potest esse uera et falsa, et tamen haec est necessaria 'Deus est substantia exsistens in actu'.

Si autem illa de contingenti sumatur in sensu diuisionis uel alia aequiualens ei, tunc si illa propositio habeat pro subiecto terminum communem uel aliquid includens terminum communem, cuiusmodi sunt talia 'hoc album', 'iste homo', 'iste asinus', uel etiam habeat pro subiecto aliquod participium uel aequiualens ei, illa propositio est distinguenda, eo quod subiectum potest supponere pro his quae sunt uel pro his quae contingunt. Si subiectum talis propositionis accipiatur primo modo, siue etiam subiectum sit nomen proprium uel pronomen demonstratiuum, sic non conuertitur in idem genus contingentis, sed conuertitur in illam de inesse et in illam de possibili, sumpto subiecto consequentis cum ista additione 'quod contingit esse'.

Primum patet, scilicet quod non conuertitur in idem genus contingentis, nam non sequitur 'contingit Deum esse creantem, igitur creantem contingit esse Deum'; nec etiam sequitur 'quod contingit esse creantem, contingit esse Deum', nam sua repugnans est uera, ista scilicet 'quod contingenter creat, necessario est Deus', et per consequens non est contingenter Deus.

Secundum, scilicet quod conuertitur in illam de inesse, praedicto modo, patet: nam bene sequitur 'Deus contingenter est creans, igitur aliquid, quod contingenter est creans, est Deus'.

Ista conuersio potest probari: quia si haec sit uera 'Deus contingenter est creans', manifestum est quod utraque istarum est uera 'hoc' — demonstrando illud pro quo subiectum supponit — 'est Deus' et 'hoc est contingenter creans'. Nunc autem sequitur per syllogismum expositorium 'hoc est Deus; hoc est contingenter creans; igitur aliquid, quod est contingenter creans, est Deus'. Et per consequens cum ista 'Deus est contingenter creans' non stat opposita istius 'aliquid, quod est contingenter creans, est Deus', et per consequens ipsa sequitur ad primam. Et ita conuersio ista probatur per syllogismum expositorium. Et sicut ista probatur per syllogismum expositorium, ita aliae multae priores, quarum probationes sunt dimissae, eodem modo probantur.

Est autem probatio sufficiens, quia syllogismus expositorius est ex se euidens, nec indiget ulteriori probatione. Et ideo multum errant qui negant talem syllogismum in quacumque materia, nisi possint ibi ostendere fallaciam aequiuocationis uel amphiboliae uel compositionis et diuisionis uel accentus uel figurae dictionis uel fallaciam secundum quid et simpliciter uel ignorantiam elenchi uel petitionis principii. Nec potest ibi esse fallacia accidentis, sicut multi dicunt.

Et quia syllogismi expositorii, qui sunt ex se euidentes, frequenter negantur a modernis theologis, et ideo contra tales non est disputandum, cum negent per se nota, ideo — aliqualiter disgrediendo a proposito — ponam exempla in quibus non est syllogismus expositorius, quamuis uideatur.

Unde hic non est syllogismus expositorius 'hoc animal est canis; hoc animal non est caeleste sidus; igitur caeleste sidus non est canis'. Et hoc quia tam maior quam conclusio est distinguenda penes aequiuocationem.

Similiter hic iion est syllogismus expositorius 'iste uellet se accipere pugnantes; iste uellet uincere; igitur qui uellet uincere, uellet se accipere pugnantes', nam maior est distinguenda penes amphiboliam, sicut alibi patet.

Similiter hic non est syllogismus expositorius 'haec: tu es asinus, est falsa; haec: tu es asinus, est uera si est necessaria; igitur aliquod uerum, si est necessarium, est falsum', nam tam minor quam conclusio est distinguenda secundum compositionem et diuisionem.

Similiter hic non est syllogismus expositorius 'iste uult pendere; iste non uult pendere; igitur qui uult pendere, non uult pendere', nam propositiones sunt distinguendae penes accentum.

Similiter hic non est syllogismus expositorius 'Sortes est albus; Sortes est animal; igitur animal est albus', sed hic est fallacia figurae dictionis. Similiter nec hic 'iste homo est sanus; iste homo est substantia; igitur aliqua substantia est sanus'.

Similiter nec hic 'Sortes non est filius Platonis; Sortes est pater; igitur aliquis pater non est filius', sed est ignorantia elenchi.

Similiter nec hic 'Sortes est albus secundum dentes; Sortes est niger; igitur aliquod nigrum est album', sed est fallacia secundum quid et simpliciter.

Nec hic est syllogismus expositorius probatiuus 'Sortes est calidus; Sortes est productiuus caloris; igitur productiuum caloris est calidum', quia est ibi petitio principii, et ideo non probat, quamuis illatio sit bona.

Et sicut est de istis, qui uidentur esse syllogismi expositorii et non sunt, quod est in eis manifestus defectus praeter fallaciam accidentis, ita est de aliis.

Unde sciendum quod regula generalis est quod quando propositiones sunt mere de inesse et de praesenti et disponuntur in figura sine omni additione uel diminutione ad subiectum et praedicatum quod numquam est in tali discursu fallacia accidentis, sicut nec in discursu disposito in primo modo primae figurae potest esse fallacia accidentis, sicut inferius ostendetur. Eodem modo quando aliquis discursus potest reduci ad talem syllogismum expositorium, uel per conuersionem uel per impossibile uel per propositiones aequiualentes assumptas, non est fallacia accidentis.

Est tamen aduertendum quod ad syllogismum expositorium non sufficit arguere ponendo pro medio pronomen demonstratiuum uel nomen proprium alicuius rei singularis, sed cum hoc oportet quod illa res demonstrata uel importata per tale nomen proprium non sit realiter plures res distinctae. Et propter hoc hic non est syllogismus expositorius 'haec essentia' — demonstrando diuinam essentiam — 'est Pater; haec essentia est Filius; igitur Filius est Pater', et hoc quia haec essentia est plures personae distinctae. Et ideo in tali paralogismo magis est fallacia cansequentis quam accidentis, quamuis etiam sit ibi fallacia accidentis.

Cum igitur in isto syllogismo 'hoc est Deus; hoc est contingenter creans; igitur aliquid quod est contingenter creans est Deus' non possit ostendi aliquis defectus, manifestum est ipsum esse euidentem syllogismum expositorium; et per consequens probatum est sufficienter quod ista 'Deus contingenter creat' conuertitur in istam 'quod contingenter creat, est Deus'. Ex quo etiam patet quod conuertitur in istam de possibili 'aliquid, quod contingenter creat, potest esse Deus', quia semper illa de inesse formaliter infert illam de possibili.

Si autem subiectum talis propositionis de contingenti sit pronomen demonstratiuum uel nomen proprium, tunc conuertitur sicut prior, scilicet in illam de inesse et de possibili. Sed si subiectum talis propositionis de contingenti sumatur pro his quae contingunt esse, sic conuertitur in idem genus contingentis, sumpto subiecto consequentis pro eo quod contingit. Unde bene sequitur 'contingit aliquem hominem currere, igitur contingit aliquod currens esse hominem', si subiectum utriusque sumatur pro eo quod contingit, ut iste sit sensus 'aliquid, quod contingenter est currens, contingenter est homo'. Nam oppositum consequentis non stat cum antecedente, scilicet 'nihil quod contingenter est currens, contingenter est homo'. Nam si haec sit uera 'aliquid quod contingenter est homo, contingenter currit', sit illud a: tunc utraque istarum est uera 'a contingenter est homo' et similiter ista 'a contingenter currit'. Ex istis arguo sic 'a cantingenter est homo; a contingenter currit; igitur aliquid quod contingenter currit, contingenter est homo', quae est contradictoria prioris, igitur prior non stat. Et ita euidenter sequitur 'aliquid quod contingenter est homo, contingenter currit, igitur aliquid quod contingenter currit, contingenter est homo'. Et ita ista consequentia est bona 'aliquis homo contingenter currit, igitur aliquod currens contingenter est homo', subiecto utriusque accepto pro eo quod cantingit.

Et sidicatur quod tunc sequeretur 'Deus contingenter creat, igitur aliquod creans contingenter est Deus', quia sequitur 'a contingenter est Deus; a contingenter creat; igitur aliquid quod contingenter creat, contingenter est Deus', sicut argutum est in priori exemplo:

Dicendum est quod iste ultimus syllogismus est bonus, non tamen probat istam conuersionem. Et hoc quia per istam 'Deus contingenter creat' non habentur aliquae tales propositiones 'a contingenter est Deus', 'a contingenter creat', quia ad ueritatem istius non requiruntur aliquae tales duae, sicut ad ueritatem istius 'aliquis homo contingenter currit' requiruntur tales duae, si subiectum sumatur pro his quae contingunt. Et ideo per unum syllogismum expositorium probatur una conuersio sufficienter et per alium non probatur alia. Unde si subiectum illius de contingenti est pronomen demonstratiuum uel nomen proprium, non conuertitur in idem genus contingentis, nec subiectum potest habere talem acceptionem, scilicet pro eo quod contingit.

Sciendum est tamen quod praedicta distinctio de propositionibus de contingenti, de possibili, de praeterito et de futuro debet sic intelligi quod subiectum accipiatur pro eo quod est etc., uel denotetur accipi pro eo quod est tale, uel contingit esse tale, uel fuit etc. Unde si nihil sit album, in ista 'album potest esse homo' subiectum non potest accipi pro eo quod est album, cum nihil sit album; potest tamen denotari accipi pro eo quod est album. Et ideo si nihil sit album, ipsa est falsa, cum per ipsam denotetur falsum, quia per ipsam in illo sensu denotatur aliquid esse album, cum tamen nihil sit album.

2.28 DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM DE CONTINGENTI PER OPPOSITAS QUALITATES

Sequitur uidere de conuersione propositionum de contingenti per oppositas qualitates. Et est sciendum quod quaelibet propositio de contingenti ad utrumlibet, si sumatur in sensu diuisionis, conuertitur per oppositas qualitates; hoc est, affirmatiua conuertitur in negatiuam et e conuerso, sicut sequitur 'contingit b esse a, igitur contingit b non esse a'. Similiter sequitur 'omnis homo contingenter currit, igitur omnis homo contingenter non currit'.

Et est aduertendum quod quando propositio de contingenti ad utrumlibet conuertitur per oppositas qualitates, in utraque propositione modus debet esse affirmatus et non negatus. Et ideo non sequitur 'omnis homo contingenter currit, igitur nullus homo contingenter currit', nec sequitur 'nullus homo contingenter currit, igitur omnis homo contingenter currit', sed bene sequitur 'omnis homo contingenter currit, igitur omnis homo contingenter non currit'. Similiter sequitur 'omnis homo contingenter non currit, igitur omnis homo contingenter currit'.

Praedicta conuersio patet, nam sequitur formaliter 'homo contingenter currit, igitur homo potest currere'. Similiter sequitur 'omnis homo contingenter currit, igitur non necesse est omnem hominem currere'; ex qua sequitur ista 'aliquis homo potest non currere'. Nunc autem ex istis duabus 'aliquis homo potest non currere' et 'ille potest currere' sequitur quod aliquis homo contingenter non currit. Igitur ex prima sequitur ista per illam regulam 'quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens', quae semper uera est.

Propter proteruos autem est sciendum quod quandocumque dico talem propositionem 'homo contingenter currit', 'homo contingenter non currit' intelligo talem 'contingit hominem currere', 'contingit hominem non currere', ne proteruiatur contra me, dicendo quod sequitur 'homo contingenter currit, igitur homo currit'.

Sic igitur patet manifeste quomodo quaelibet talis propositio de contingenti in sensu diuisionis et aequiualens ei conuertitur per oppositas qualitates. Sed talis propositio in sensu campositionis non conuertitur per oppositas qualitates, nam tunc argueretur per aliquam istarum regularum 'una contrariarum est contingens, igitur reliqua est contingens', 'una subcontrariarum est contingens, igitur reliqua est contingens'; quae falsae sunt. Et ideo non sequitur 'nullum exsistens esse hominem est contingens, igitur omne exsistens esse hominem est contingens'; nec sequitur 'omne exsistens esse Deum est contingens, igitur nullum exsistens esse Deum est contingens'. Similiter non sequitur 'aliquod exsistens esse hominem est contingens, igitur aliquod exsistens non esse hominem est contingens', quia in omnibus praedictis exemplis antecedens est uerum et consequens falsum, si sumantur omnes propositiones in sensu compositionis.

2.29. DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM MODALIUM QUAE NON AB OMNIBUS CONCEDUNTUR ESSE MODALES, CUIUSMODI SUNT 'OMNEM HOMINEM CURRERE EST VERUM' ET CONSIMILIA

Dicto de conuersione propositionum modalium quae ab omnibus conceduntur esse modales, restat dicere de conuersione propositionum modalium quae non ab omnibus conceduntur esse modales, quae tamen uere sunt modales, sicut dictum est prius'. Et quia sunt quasi innumerabiles, ideo non intendo dicere de omnibus in speciali, sed uolo dare aliquas regulas generales.

Est autem sciendum quod quando est aliquod nomen modale quod potest uerificari de uno conuertibilium sine hoc quod uerificetur de reliquo, talis propositio modalis, sumpta in sensu compositionis, uel etiam aequiualens tali, non conuertitur simpliciter, quamuis sua de inesse conuertatur simpliciter. Si autem talis modus possit uerificari de antecedente sine hoc quod uerificetur de consequente, talis propositio, sumpta in sensu compositionis, uel aequiualens ei, non conuertitur per accidens nec simpliciter, quamuis sua de inesse conuertatur per accidens. Si autem talis modus non possit competere uni conuertibilium nisi canueniat reliquo, semper talis propositio in sensu compositionis uel aequiualens ei conuertitur simpliciter si sua de inesse conuertatur simpliciter; et proportionaliter conuertitur sicut sua de inesse. Si autem talis modus non possit competere antecedenti nisi competat consequenti, tunc illa propositio conuertitur per accidens sicut sua de inesse.

Ex ista regula patet quod ista conuersio est bona 'hominem currere est uerum, igitur currens esse hominem est uerum'; similiter ista 'omnem hominem currere est uerum, igitur aliquod currens esse hominem est uerum'; nam prima tenet per istam regulam 'si unum conuertibilium est uerum, reliquum est uerum', et secunda per istam 'si antecedens est uerum, consequens est uerum'; quae ambae sunt uerae. Similiter ista conuersio est bona 'nullum hominem currere est falsum, igitur nullum currens esse hominem est falsum', quia tenet per istam regulam 'si unum conuertibilium est falsum, reliquum est falsum. Sed ista conuersio non ualet 'omnem hominem currere est falsum, igitur aliquod currens esse hominem est falsum', quia tenet per istam regulam 'si antecedens est falsum, consequens est falsum'; quae falsa est.

Ex istis patet quod quando uniuersalis affirmatiua talis non conuertitur per accidens, frequenter particularis affirmatiua et similiter particularis negatiua conuertuntur per accidens, per istam regulam 'consequens est falsum, ergo antecedens'.

Per praedicta etiam patet quod tales consequentiae non ualent 'nullum hominem currere est scitum, igitur nullum currens esse hominem est scitum', quia ista regula non est generaliter uera 'unum conuertibilium est scitum, ergo reliquum est scitum' — Potest enim unum conuertibilium sciri, quamuis aliud non sciatur, immo quamuis de alio non cogitetur. Similiter, tales consequentiae non ualent 'omnem hominem esse animal est per se primo modo, ergo aliquod animal esse hominem est per se primo modo', quia non sequitur 'antecedens est per se primo modo, ergo consequens est per se primo modo'; nec ualet 'omnem hominem esse risibile est per se secundo modo, ergo aliquod risibile esse hominem est per se secundo modo'. Et ita in talibus semper aspiciendum est ad tales propositiones

'unum conuetibilium est tale, igitur reliquum est tale', 'antecedens est tale, igitur consequens est tale', et per istas potest sciri quae propositio in sensu compositionis uel aequiualens ei conuertitur sicut sua de inesse et quae non.

Sed circa conuersionem talium propositionum in sensu diuisionis et aequiualentium eis est sciendum quod semper uel frequenter conuertuntur sicut aliqua propositionum modalium de quibus dictum est prius in speciali. Sicut ista 'album scitur esse homo' non conuertitur in istam 'igitur aliquis homo scitur esse albus', nam posito quod sciam Sortem esse hominem, et quod sit albus et tamen hoc ignorem, tunc haec est uera 'aliquod album scitur a me esse homo'; quia iste syllogismus expositorius est bonus 'Sortes scitur a me esse homo; Sortes est albus; igitur aliquod album scitur a me esse homo'. Et tamen haec est falsa 'aliquis homo scitur a me esse albus', ponatur quod nesciam quod aliquis homo est albus, et ideo prima conuertitur in istam 'igitur aliquid quod scitur esse homo, est album'. Similiter ista conuersio non ualet 'Deus trinus et unus scitur a philosophis esse immortalis, igitur aliquod immortale scitur a philosophis esse Deus trinus et unus', sed conuertitur in istam 'igitur aliquid quod a philosophis scitur esse immortale, est Deus trinus et unus'.

Et si dicatur quod haec est falsa 'Deus trinus et unus scitur a philosophis esse immortalis', quia impossibile est quod philosophi naturaliter sciant istam 'Deus trinus et unus est immortalis', igitur haec non est uera 'Deus trinus et unus scitur a philosophis esse immortalis':

Dicendum quod ista est uera 'Deus trinus et unus scitur a philosophis esse immortalis', et tamen ipsi nesciunt istam, immo negarent eam et dicerent eam esse falsam, quia dicerent quod implicat falsum, scilicet Deum esse trinum et unum. Et tamen ipsa est uera, quia per istam non plus denotatur nisi quod de illo qui est trinus et unus, quamuis nesciatur ipsum esse trinum et unum, scitur a philosophis quod est immortalis. Unde per istam 'Deus trinus et unus scitur a philosophis esse immortalis' non denotatur nisi ista copulatiua 'Deus est trinus et unus et de illo scitur a philosophis quod est immortalis'. Et hoc est uerum, quia utraque pars istius copulatiuae est uera.

Similiter, quod haec sit uera, patet, nam ista est uera 'aliquid quod scitur a philosophis esse immortale, est Deus trinus et unus', quia Deus, qui scitur a philosophis esse immartalis, est Deus trinus et unus. Tunc arguo per syllogismum expositorium 'Deus est Deus trinus et unus; Deus est aliquid quod scitur a philosophis esse immortale; ergo aliquid quod scitur a philosophis esse immortale, est Deus trinus et unus'. Praemissae sunt uerae, ergo conclusio. Et ultra, similiter sequitur 'Deus scitur a philosophis esse immortalis; Deus est trinus et unus; igitur Deus trinus et unus scitur a philosophis esse immortalis'. Sic igitur patet euidenter ueritas propositionis acceptae et bonitas conuersionis.

Similiter ista 'intellectus cognoscitur esse anima intellectiua' non conuertitur in istam 'igitur anima intellectiua cognoscitur esse intellectus'; sed in istam 'igitur aliquid quod cognoscitur esse anima intellectiua, est intellectus'.

Similiter ista 'aliquis ueniens cognoscitur a te esse Coriscus' non conuertitur in istam 'ergo Coriscus cognoscitur a te esse ueniens', sed in istam 'aliquis, qui cognoscitur a te esse Coriscus, est ueniens'.

Similiter ista 'aliquis homo per se est animal' non conuertitur in istam 'aliquod animal per se est homo', sed in istam 'aliquid, quod per se est animal, est homo'. Similiter ista 'album per se aedificat' conuertitur in istam 'aliquid, quod per se aedificat, est album'.

Similiter ista 'Deus per accidens est creans' non conuertitur in istam 'aliquid creans per accidens est Deus', sed in istam 'aliquid, quod per accidens creat, est Deus'.

Et sicut dictum est de istis, ita dicendum est de aliis, quod talis propositio conuertitur uel sicut propositio de necessario uel de possibili uel de impossibili uel de contingenti.

Et forte ista fuit causa quare Philosophus specialem tractatum de talibus propositionibus et proprietatibus earum et conuersionibus non fecit, quia ex illis quae scienda sunt circa propositiones de necessario, de cantingenti, de possibili et impossibili et quibusdam paucis, potest faciliter sciri quid sentiendum sit de aliis modalibus et proprietatibus earum. Quarum tamen ignorantia, sicut ignorantia propositionum et proprietatum earum, facit multos modernos errare et intricari in theologia et in aliis scientiis particularibus, tam speculatiuis quam practicis.

Ad euidentiam autem conuersionum omnium modalium propositionum sciendum est quod communiter propositiones modales in sensu diuisionis et eis aequiualentes similiter conuertuntur sicut illae de inesse in quibus aliqua aduerbialis determinatio additur uerbo. Nam sicut in illis aduerbialis determinatio et ei aequiualens non est addenda eodem modo compositioni in conuertente et conuersa, sed in conuertente debet poni praecise a parte subiecti, sicut dictum est, ita modus in consequente debet poni totaliter a parte subiecti, sicut exemplificatum est.

2.30 DE PROPOSITIONIBUS HYPOTHETICIS ET PROPRIETATIBUS EARUM

Postquam transcurrendo de propositionibus categoricis et proprietatibus earum est tractatum, nunc de propositionibus hypotheticis et proprietatibus earum sunt aliqua pauca dicenda.

Est autem primo sciendum quod illa propositio dicitur hypothetica quae ex pluribus componitur categoricis mediante aliquo aduerbio uel coniunctione

coniunctis. Et non tantum potest unicum aduerbium uel unica coniunctio coniungere propositioes categoricas et facere propositionem hypotheticam, immo etiam possunt plures coniunctiones et aduerbia, et aliquando unum aduerbium uel plura aduerbia, et coniunctio uel coniunctiones concurrere ad faciendum propositionem hypotheticam. Unde ista est propositio hypothetica 'Sortes currit uel Plato uel loannes'; similiter ista 'si homo currit, animal currit et Plato disputat'. Et secundum hoc aliqua propositio hypothetica componitur ex pluribus quam ex duabus propositionibus categoricis.

Tamen faciliter posset dici quod non est hypothetica ubi concurrunt aduerbium et coniunctio uel etiam duae coniunctiones natae facere propositiones hypotheticas diuersarum specierum. Et idem potest dici de aduerbiis.

Secundo sciendum est quod propositionum hypotheticarum quinque assignantur species, scilicet condicionalis, copulatiua, disiunctiua, causalis, temporalis.

Sed uidetur quod praeter istas sunt aliae propositiones hypotheticae: nam omnis propositio uera uel falsa, composita ex duabus categoricis, est propositio hypothetica; sed huiusmodi sunt multae praeter praedictas; igitur etc. Maior est manifesta satis. Minor patet, nam haec est huiusmodi 'Sortes est currens ubi Plato disputat'.

Sed aduertendum est quod quamuis sint multae propositiones hypotheticae praeter praedictas, multae tamen uidentur esse aliae a praedictis, quae ad ipsas reduci debent. Unde ista est causalis 'Sortes philosophatur, ne sit ignorans', quia aequiualet isti 'quia Sortes non uult esse ignorans, Sortes philosophatur'. Et sicut est de ista, ita est de multis aliis.

2.31 DE PROPOSITIONE CONDICIONALI ET AEQUIVALENTE EI

Sequitur modo uidere de istis in speciali. Sed quia condicionalis aequiualet uni consequentiae, ita quod tunc condicionalis est uera quando antecedens infert consequens et non aliter, ideo differatur usque ad tractatum de consequentiis.

Hoc tamen sciendum quod illa hypothetica dicitur condicionalis quae componitur ex duabus categoricis, coniunctis mediante hac coniunctione 'si' uel aequiualenti ei. Propter istud ultimum est dicendum quod ista est condicionalis 'Sortes non legit nisi sit magister', quia aequiualet isti 'si Sortes non sit magister, Sortes non legit'. Et uniuersaliter, quando dute propositiones coniunguntur mediante aliqua coniunctione, et totum aequiualet uni condicionali, illa propositio dicetur hypothetica et condicionalis.

Est etiam sciendum quod ad ueritatem condicionalis nec requiritur ueritas antecedentis nec ueritas consequentis, immo est aliquando condicionalis necessaria

et quaelibet pars eius est impossibilis, sicut hic 'si Sortes est asinus, Sortes est rudibilis'.

2.32 DE PROPOSITIONE COPULATIVA ET QUID REQUIRITUR AD VERITATEM EIUS

Capulatiua est illa quae componitur ex pluribus categoricis coniunctis mediante hac coniunctione 'et' uel mediante aliqua parte aequiualente tali coniunctioni. Sicut ista est capulatiua 'Sortes currit et Plato disputat'. Similiter ista est copulatiua 'Sortes nec est albus nec niger'; similiter ista 'Sortes est tam albus quam calidus'; quia prima aequiualet isti 'Sortes non est albus et Sortes non est niger', et secunda isti 'Sortes est albus et Sortes est calidus'.

Ad ueritatem autem copulatiuae requiritur quod utraque pars sit uera, et ideo si quaecumque pars copulatiuae sit falsa, ipsa copulatiua est falsa. Et similiter ad necessitatem copulatiuae requiritur quod quaelibet pars sit necessaria. Et ad hoc quod sit possibilis requiritur quod utraque pars sit possibilis. Sed ad hoc quod sit impossibilis non requiritur quod utraque pars sit impossibilis, nam haec est impossibilis 'Sortes sedet et non sedet', et tamen utraque pars est possibilis; sed ad hoc quod copulatiua sit impossibilis requiritur quod altera pars sit impossibilis uel quod una sit incompossibilis alteri, sicut haec est impossibilis 'Sortes est albus et Sortes est asinus', quia haec est impossibilis 'Sortes est asinus', et haec est impossibilis 'Sortes sedet et non sedet', quia duae partes sunt incompossibiles.

Sciendum est etiam quod opposita contradictorie copulatiuae est una disiunctiua composita ex contradictoriis partium copulatiuae'. Et ideo idem requiritur et sufficit ad ueritatem oppositae copulatiuae quod sufficit et requiritur ad ueritatem disiunctiuae. Unde istae non contradicunt 'Sortes est albus et Plato est niger', 'Sortes non est albus et Plato non est niger', sed illi copulatiuae contradicit ista 'Sortes non est albus uel Plato non est niger'.

Oportet autem scire quod semper a copulatiua ad utramque partem est consequentia bona, sicut sequitur 'Sortes non currit et Plato disputat, ergo Plato disputat'; sed e conuerso est fallacia consequentis. Tamen sciendum est quod quandoque ab altera parte copulatiuae ad copulatiuam potest esse consequentia bona gratia materiae, puta si una pars copulatiuae inferat aliam, tunc ab illa parte ad totam copulatiuam est consequentia bona.

2.33 DE PROPOSITIONE DISIUNCTIVA

Disiunctiua est illa quae componitur ex pluribus categoricis mediante hac caniunctione 'uel', uel mediante aliquo aequiualente sibi. Sicut ista est disiunctiua 'tu es homo uel asinus'; similiter ista est disiunctiua 'tu es homo uel Sortes disputat'.

Ad ueritatem autem disiunctiuae requiritur quod aliqua pars sit uera; et hoc est intelligendum quando propositiones sunt de praesenti et non de futuro nec

aequiuaientes propositionibus de futuro. Et hoc diceret Philosophus; tamen secundum ueritatem ad ueritatem disiunctiuae requiritur quod altera pars sit uera, quia secundum ueritatem propositio de futuro est uera uel falsa, quamuis euitabiliter.

Sed ad necessitatem disiunctiuae non requiritur necessitas alterius partis, sicut ad hoc quod haec sit necessaria 'Sortes sedet uel non sedet' non requiritur quod altera pars sit necessaria. Tamen ad necessitatem disiunctiuae requiritur ==uel== necessitas alicuius partis, uel quod partes sibi contradicant, uel aequiualeant contradictoriis, uel sint conuertibilia cum contradictoriis. Unde haec est necessaria 'Sortes currit uel Deus est', quia altera pars est necessaria; haec autem est necessaria 'Deus creat uel non creat', quia partes contradicunt.

Ad possibilitatem autem disiunctiuae sufficit quod altera pars sit possibilis; sed ad hoc quod distiunctiua sit impossibilis requiritur quod utraque pars sit impossibilis.

Sciendum est etiam quod opposita contradictorie distiunctiuae est una copulatiua composita ex contradictoriis partium ipsius disiunctiuae, et ideo idem sufficit et requiritur ad ueritatem oppositae disiunctiuae quod sufficit et requiritur ad ueritatem copulatiuae.

Sciendum est etiam quod ab altera parte disiunctiuae ad totam disiunctiuam est bonum argumentum, et e conuerso est fallacia consequentis, nisi sit aliquando aliqua causa specialis impediens fallaciam consequentis. Similiter a disiunctiua cum negatione alterius partis ad alteram partem est bonum argumentum, sicut bene sequitur 'Sortes est homo uel asinus; Sortes non est asinus; igitur Sortes est homo'.

2.34. DE PROPOSITIONE CAUSALI

Propositio causalis est illa quae componitur ex pluribus categoricis mediante hoc coniunctione 'quia' uel aequiualente ei. Unde ista est causalis 'quia Sortes est homo, Sortes est animal'. Similiter ista est causalis 'Sortes laborat, ut sanetur'; aequiualet enim isti 'Sortes laborat, quia uult sanari'. Similiter ista est causalis 'Sortes deambulat post cenam, ne infirmetur', quia aequiualet isti 'quia Sortes non uult infirmari, deambulat post cenam'. Similiter ista est causalis 'Sortes calefit in quantum mouetur', quia aequiualet isti 'quia Sortes mouetur, calefit'.

Ad ueritatem autem causalis requiritur quod quaelibet pars sit uera, et simul cum hoc quod antecedens sit causa consequentis. Et idea ista non est uera 'Sortes est albus, quia Plato est albus'; quamuis enim utraque pars sit uera, quia tamen ista non est uera 'Sortes est albus propter hoc quod Plato est albus', ideo est falsa.

Et est sciendum quod hic accipitur causa large et non stricte. Non enim requiritur ad ueritatem causalis quod una propositio sit causa quare alia ponitur in esse, sed sufficit quod exprimat causam requisitam ad hoc quod alia propositio sit

uera. Sicut est hic 'lignum calefit, quia ignis est sibi praesens'; per illud enim antecedens 'ignis est praesens ligno' exprimitur causa sine qua haec non esset uera 'lignum calefit', ideo ista causalis est uera. Vel requiritur quod propositio illa sit prior alia, ita quod praedicatum antecedentis prius praedicetur de subiecto suo quam praedicatum consequentis praedicetur de subiecto suo — Et secundum hoc potest haec esse uera 'isosceles habet tres, etc., quia triangulus habet tres etc.'.

Et est sciendum quod hic accipitur causa large, siue sit causa per se siue per accidens, siue uoluntaria siue naturalis.

Ex istis patet quod omnes tales sunt falsae 'asinus est risibilis, quia est homo', 'omnis homo peccat, quia est liberi arbitrii' et huiusmodi.

Unde ad necessitatem causalis requiritur necessitas utriusque partis. Sed ad impossibilitatem causalis non requiritur impossibilitas nec falsitas alicuius partis, sed sufficit quod antecedens non possit esse causa consequentis, modo praedicto accipiendo causam.

Et est aduertendum quod non dicitur hic antecedens illud quod secundum uocem praecedit, sed illa propositio quae immediate sequitur hanc coniunctionem 'quia', illa est antecedens.

Similiter ad possibilitatem causalis requiritur quod quaelibet pars sit possibilis. Sed hoc non sufficit, sicut ad necessitatem non sufficit necessitas utriusque partis.

Ex praedictis patet quod a causali ad alteram partem est consequentia bona sed non e conuerso. Similiter a causali ad copulatiuam est bona consequentia sed non e conuerso. Unde bene sequitur 'omnis homo peccat, quia est liberi arbitrii; igitur omnis homo peccat et omnis homo est liberi arbitrii'; sed e conuerso non sequitur.

2.35 DE PROPOSITIONE TEMPORALI ET QUID REQUIRITUR AD VERITATEM EIUS

Propositio temporalis est illa quae componitur ex pluribus categoricis mediante aliquo aduerbio temporis. Sicut ista est temporalis 'Sortes currit, dum Plato disputat'; similiter ista 'Sortes fuit albus, quando Plato fuit niger'; similiter ista 'Sortes fuit albus, quando Plato non currebat'.

Ad ueritatem autem temporalis requiritur ueritas utriusque partis pro eodem tempore uel pro diuerso tempore. Unde aliqua sunt aduerbia quae denotant propositiones quas coniugunt esse ueras pro eadem tempore et aliqua pro diuerso tempore. Unde ad ueritatem istius 'Deus agit, quando creatura agit' requiritur quod utraque istarum sit uera et in eodem tempore. Similiter ad ueritatem istius 'Apostoli praedicabant, dum Christus praedicauit' requiritur ueritas utriusque partis et quod in eodem tempore fuerint uerae, si fuerint formatae. Sed ad ueritatem istius 'Paulus fuit conuersus, postquam Christus fuit passus' requiritur quod istae propositiones fuerint

uerae pro diuerso tempore; similiter ad ueritatem istius 'Christus praedicauit, antequam patiebatur' requiritur quod ambae partes fuerunt uerae pro diuerso tempore.

Tamen sciendum est quod ad hoc quod temporalis sit uera, non requiritur quod numquam fuerint partes uerae pro eodem tempore uel numquam pro diuerso, sed quod aliquando fuerint uerae pro eodem tempore uel pro diuerso. Et ideo istae duae stant simul 'Apostoli praedicauerunt, dum Christus praedicauit' et 'Apostoli praedicauerunt postquam Christus praedicauit'.

Similiter ad necessitatem temporalis requiritur necessitas utriusque partis. Et ideo nulla talis est necessaria 'lignum calefit, quando ignis sibi approximatur'; 'creatura creatur, quando Deus creat'; 'asinus est risibilis, quando est homo'. Et si in aliquo auctore inueniantur tales propositiones et asserat eas esse necessarias, glossandae sunt tales: ut auctor non loquatur de uirtute sermonis, sed per temporalem intelligit condicionalem, ut talis 'creatura creatur, quando Deus creat' importat istam 'si Deus creat, creatura creatur'.

Unde ista propositio 'Sortes est, dum est' uel 'Sortes mouetur, dum currit' non est necessaria, sed poterit esse falsa. Verumtamen per tales temporales intelligunt condicionales, quae condicionales uerae sunt.

Similiter, ad impossibilitatem temporalis non requiritur impossibilitas alicuilis partis, sed sufficit quod partes sint incompossibiles. Unde ista est impossibilis 'Deus creat, dum non creat', quia partes sunt incompossibiles. Si autem sit temporalis quae notet propositiones esse ueras pro diuerso tempore, tunc ad hoc quod sit impossibilis, sufficit quod partes sint conuertibiles, ita quod una non possit esse uera sine alia nec e conuerso.

Ex praedictis patet quid requiritur ad hoc quod temporalis sit possibilis uel contingens. Ex praedictis etiam patet quod a temporali ad alteram partem est bona consequentia sed non e conuerso. Similiter ex temporali sequitur copulatiua et non e conuerso: non enim sequitur 'Adam fuit et Noe fuit, igitur Adam fuit, quando Noe fuit'; nec seqnitur 'Iacob fuit et Esau fuit, igitur Iacob fuit, quando Esau fuit'.

2.36 DE PROPOSITIONE HYPOTHETICA, QUAE POTEST VOCARI LOCALIS

Prapositio hypothetica localis potest uacari illa quae componitur ex pluribus categoricis, coniunctis mediante aduerbio locali uel aliquo aequiualente ei, qualis est ista 'accidens est, ubi suum subiectum est' et ista 'Christus patiebatur, ubi praedicauit'.

Ad ueritatem talis hypotheticae requiritur ueritas utriusque partis et pro eodem loco uel pro diuerso. Et in hoc differt a temporali, quia ad ueritatem temporalis requiritur ueritas utriusque partis pro eodem tempore uel pro diuerso, ad ueritatem autem localis requiritur ueritas utriusque partis pro eodem loco uel pro diuerso.

Est tamen sciendum quod tempus large accipitur pro tempore proprie dicto et pro aeternitate siue negatione temporis. Quod qualiter habeat intelligi, alibi expositum est, super IV Physicorum et super II Sentenitiarum. Hoc autem dica pro talibus propositionibus 'Deus fuit, antequam mundus fuit' et huiusmodi.

Per praedicta de propositione temporali patet quid dicendum est de propositione locali, quia omnia, uel fere, quae dicuntur de temporali, possunt proportionaliter dici de locali.

Per praedicta etiam de propositionibus hypotheticis praenominatis potest faciliter sciri quid sentiendum est de aliis hypotheticis, si quae sint. Cuiusmodi forte sunt tales 'albedo est in Sorte, in quo non est nigredo', 'Deus est a quo sunt omnia' et huiusmodi. Tales tamem possunt reduci ad copulatiuam.

2.37 DE PROPOSITIONIBUS IN QUIBUS CONIUNCTIONES VEL ADVERBIA PONUNTUR INTER DUOS TERMINOS

Praedictis autem est adiciendum quod quando aliqua praedictarum coniunctionum uel aduerbiorum ponitur inter duos terminos, ita quod propositiones categoricae non complete exprimuntur, talis propositio est distinguenda secundum compositionem et diuisionem, quia potest esse categorica uel hypothetica. Vel talis distinguenda est secundum amphiboliam, eo quod potest esse categorica uel hypothetica. Et forte ista distinctio est planior et magis propria. Tamen siue distinguatur secundum compositionem et diuisionem siue secundum amphiboliam, sensus non diuersificatur. Unde ubi ponitur haec coniunctio 'uel' illa propositio est distinguenda, eo quod potest esse disiunctiua uel de disiuncto extremo. Sicut haec est distinguenda 'omnis homo saluabitur uel damnabitur', eo quod potest esse disiunctiua, et tunc aequiualet isti 'omnis homo saluabitur uel omnis homo damnabitur', quae falsa est; uel potest esse de disiuncto extremo, et tunc aequiualet isti 'de quolibet contento sub homine uerificatur hoc tatum: saluabitur uel damnabitur'; et hoc est uerum, et ideo prima est uera.

Et est aduertendum quod quando talis propositio est singularis, tunc disiunctiua et de disiuncto praedicato aequipollent, non autem quando est uniuersalis, ut patet in praedicto exemplo.

Similiter, ubi panitur haec coniunctio 'et' illa propositio est distinguenda, eo quod potest esse copulatiua uel de copulato extremo, sicut ista est distinguenda 'tria et duo sunt quinque': si sit de capulato subiecto, uera est; si sit copulatiua, falsa est.

Similiter est de tali propositione ubi panitur haec coniunctio 'si' quod talis propositio est distinguenda, eo quod potest esse condicionalis uel de condicionato extremo, sicut ista 'omne possibile, si est necessarium, est uerum' est distinguenda, eo quod potest esse condicionalis, et tunc est sensus 'si omne possibile est necessarium, omne possibile est uerum', quod uerum est; si sit de condicionato subiecto, tunc aequiualet isti: de omni illa de quo uerificatur hoc totum 'possibile, si

est necessarium', uerificatur hoc praedicatum 'uerum'. Et hoc est falsum. Nam de ista propositione 'homo est asinus' uerificatur hoc totum 'possibile, si est necessarium'. Haec enim est uera 'te esse asinum est possibile, si est necessarium', siue sit condicionalis siue de condicionato subiecto, et tamen haec non est uera 'te esse asinum est uerum'

Similiter est de coniunctione causali, quod propositio in qua ponitur est distinguenda, eo quod potest esse causalis uel de causali extremo. Sicut ista est distinguenda 'omnis homo est capax Dei, quia habens animam rationalem', eo quod potest esse causalis uel de causali praedicato. Sed semper uel frequenter illi sensus conuertuntur.

Similiter, ubi ponitur aduerbium temporis, illa propositio est distinguenda, eo quod potest esse temporalis uel de temporali extremo. Sicut ista est distinguenda 'omnis damnatus, dum fuit uiator, peccauit', eo quod potest esse temporalis uel de temporali praedicato. Si sit temporalis, tunc aequiualet isti 'dum omnis damnatus fuit uiator, omnis damnatus peccauit', quae falsa est, quia istae duae numquam fuerunt simul uerae; si sit de temporali extremo, tunc aequiualet isti 'de quolibet damnato uerificatur hoc totum: dum fuit uiator, peccauit', et hoc est uerum, quia quaelibet singularis est uera.

Similiter est de aduerbio locali. Sicut patet de ista 'omnis homo currebat, ubi disputabat'. Panatur enim quod quilibet homo in eodem loco in quo disputabat, currebat, sed diuersi in diuersis. Tunc patet quod prima est uera, si sit de locali praedicato; et falsa, si sit localis.

Est etiam sciendum quod talis distinctio non tantum habet locum in praedictis, sed etiam consimilis distinctio potest poni quando hoc pronomen 'qui' ponitur inter duos terminos. Sicut hic 'omnis homo, qui est albus, currit', nam in sensu diuisionis aequiualet uni copulatiuae, isti scilicet 'omnis homo currit et ille est albus'; in sensu compositionis denotatur quod de quocumque uerificatur hoc totum 'homo, qui est albus', de illa uerificatur hoc praedicatum 'currit'.

Et de propositionibus ad praesens ista sufficiant.

Pars III – 1 : De Syllogismo simpliciter

3–1.01 DE DIVISIONIBUS ET DEFINITIONIBUS SYLLOGISMORUM

Completis primis duobus tractatibus, nunc ad tertium tractatum, de argumentis uidelicet, est accedendum. Et quia inter omnes species argumentorum syllogismus obtinet principatum, ideo de syllogismo est primo dicendum. Praemittendae autem sunt quaedam distinctiones ad propositum necessariae.

Unde sciendum est quod syllogismus aliquando accipitur pro uno communi omni syllogismo, ita quod in propositione supponat pro uno communi et non pro aliquo significato. Et sic accipiendo syllogismum haec est falsa 'syllogismus est oratio' etc., et haec similiter 'syllogismus componitur ex tribus terminis' etc. Aliquando autem accipitur syllogismus significatiue pro oratione, 'in qua quibusdam positis' etc.

Secunda distinctio est quod syllogismorum quidam sunt demonstratiui, quidam topici, quidam nec topici nec demonstratiui. Syllogismus demonstratiuus est ille in quo ex propositionibus necessariis euidenter notis potest adquiri prima notitia conclusionis.

Syllogismus topicus est syllogismus ex probabilibus. Et sunt "probabilia quae uidentur uel omnibus uel pluribus uel sapientibus, et de his quae uidentur uel omnibus uel pluribus uel maxime sapientibus". Et est ista descriptio sic intelligenda quod probabilia sunt illa, quae cum sint uera et necessaria, non tamen per se nota, nec ex per se notis syllogizabilia, nec etiam per experientiam euidenter nota, nec ex talibus sequentia; tamen propter sui ueritatem uidentur esse uera omnibus uel pluribus etc., ut sic breuis descriptio sit ista: probabilia sunt necessaria, nec principia nec conclusiones demonstrationis, quae propter sui ueritatem uidentur omnibus uel pluribus etc. Per primam particulam excluduntur omnia contingentia et omnia falsa; per secundam omnia principia et conclusiones demonstrationis; per tertiam excluduntur quaedam necessaria, quae tamen omnibus apparent falsa uel pluribus etc. Et sic articuli fidei nec sunt principia demonstrationis nec conclusiones, nec sunt probabiles, quia omnibus uel pluribus uel maxime sapientibus apparent falsi. Et hoc accipiendo sapientes pro sapientibus mundi et praecise innitentibus rationi naturali, quia illo modo accipitur 'sapiens' in descriptione probabilis.

Ex istis sequitur quod syllogismus topicus nec peccat in materia nec in forma. Sequitur etiam aliud, quod nullus secundum communem cursum potest euidenter et demonstratiue cognoscere de aliquo syllogismo topico ipsum esse topicum, quamuis possit habere fidem quod est syllogismus topicus. Sequitur etiam aliud, quod non omnis syllogismus topicus facit semper praecise dubitationem et formidinem, sed etiam frequenter facit firmam fidem, sine omni dubitatione, quia ita aliquando adhaeremus probabilibus sicut euidenter notis.

Syllogismus qui nec est demonstratiuus nec topicus potest diuidi, quia quidam est ex improbabilibus, quidam non ex improbabilibus. Similiter, quidam syllogismus peccat in materia, quidam non peccat in materia.

Alia distinctio. quidam est syllogismus uniformis, quidam mixtus. Et uniformis quidam est uniformis ex propositionibus de inesse, quidam ex propositionibus modalibus. Et isti sunt diuersi, [secundum quod diuersitas inuenitur in propositionibus modalibus].

Mixtus syllogismus quidam est mixtus ex necessario et inesse, quidam ex necessario et contingenti. Et sic de aliis, de quibus omnibus dicetur inferius.

Similiter, syllogismus uniformis ex propositionibus de inesse quidam est uniformis ex propositionibus de praesenti, quidam ex omnibus de praeterito, quidam ex omnibus de fututo, quidam ex una de praesenti et alia de praeterito uel de futuro.

Sciendum est tamen quod definitio communis omnibus praedictis est ista: Syllogismus est oratio in qua ex duabus praemissis, dispositis in modo et in figura, de necessitate sequitur conciusio. Et ad istam definitionem nihil refert an praemissae sint uerae uei falsae.

Hoc tamen est generale quod numquam praemissae sunt uerae et conclusio falsa, quamuis possit esse e conuerso. Unde in tota parte sequenti, usque ad partem in qua tractabitur de syllogismo demonstratiuo, uel semper uel frequenter uolo loqui de condicionibus syllogismi requirentis particulas praedictae definitionis, et non amplius.

3–1.02 DE QUIBUSDAM PPAEAMBULIS QUAE PRAEMITTENDA SUNT ANTEQUAM DESCENDATUR AD PROPOSITUM

Positis diuisionibus et distinctionibus syllogismi, de quibusdam diuidentibus in speciali est dicendum. Et primo de uniformi generatione syllogismorum de inesse, secundo de uniformi modalium, et tertio de mixtis.

Circa primum primo est dicendum de syllogismis ex omnibus de inesse et de praesenti, secundo de aliis. Sed antequam accedatur ad propositum, uidenda sunt quaedam praeambula.

Primum est quod tantum sunt duae praemissae categoricae ponendae in syllogismo et conclusio; et tantum tres termini, scilicet maior extremitas et minor et medium. Est autem medium quod ponitur in utraque praemissa; maior extremitas est quae cum medio termino ponitur in maiori; minor extremitas quae ponitur cum medio in minori propositione, hoc est in secunda propositione.

Secundum est quod tantum sunt tres figurae. Prima est in qua medius terminus subicitur in prima propositione et praedicatur in secunda. Secunda figura est quando medius terminus praedicatur in utraque. Tertia figura est quando medius terminus subicitur in utraque. Non est apponenda quarta figura, quia si medius terminus praedicetur in prima propositione et subiciatur in secunda, non erit nisi transpositio propositionum positarum in prima figura, et ideo non sequitur alia conclusio quam illa quae sequitur ex praemissis dispositis in prima figura. Et ideo non est negandum quin possit argui ex duabus praemissis in quarum prima medius terminus praedicetur et in secunda subiciatur, sed illa conclusio quae primo sequitur ex illis praemissis erit eadem quae sequitur ex eisdem praemissis dispositis in prima figura. Si enim arguatur sic 'omnis homo est animal; omne animal est substantia', conclusio quae primo sequitur est ista 'igitur omnis homo est substantia'. Et ista sequitur ex praemissis eisdem, dispositis in prima figura, sic 'omne animal est substantia omnis homo est animal; igitur omnis homo est substantia'.

Tertium praeambulum est quod omnis syllogismus, immediate uel mediate, regulatur per dici de omni uel per dici de nullo. Syllogismi enim in prima figura regulantur immediate per dici de omni uel per dici de nullo. Syllogismi autem secundae et tertiae figurae reducuntur in syllogismos primae figurae, uel per conuersionem uel per impossibile uel per transpositionem propositionum, et ideo mediate regulantur per dici de omni uel per dici de nullo. Et quandocumque sic est quod aliquis discursus regulatur per dici de omni uel per dici de nullo, siue mediate siue immediate, ille discursus est bonus.

Est autem dici de omni quando nihil est sumere sub subiecto, quin de eo dicatur praedicatum,. Quod est sic intelligendum: non quod praedicatum conueniat cuilibet de quo dicitur subiectum, — tunc enim non esset dici de omni nisi in propositionibus ueris —, sed sufficit quod per talem propositionem denotetur quod nihil sit sumere sub subiecto, quin de eo dicatur praedicatum. Et hoc denotatur per omnem propositionem uniuersalem affirmatiuam. Dici de nullo est quando per eam denotatur quod de quocumque dicitur subiectum, quod ab eo remouetur praedicatum. Et hoc denotatur per omnem propositionem uniuersalem negatiuam, siue sit uera siue falsa.

3—1.03 DE SYLLOGISMIS FACTIS IN PRIMA FIGURA

Istis uisis uidendum est primo de syllogismo primae figurae. Et est primo sciendum quod, cum dictum sit omnes syliogismos primae figurae regulari immediate per dici de omni uel per dici de nullo, oportet circa modos primae figurae seruare duo principia.

Primum est quod maior sit propositio uniuersalis. Si enim maior esset particularis, patet manifeste quod talis discursus non posset regulari per dici de omni nec per dici de nullo. Tunc enim aliquis syllogismus regulatur per dici de omni quando per primam propositionem denotatur de omni illo de quo dicitur subiectum here dici praedicatuni, et per secundanl propositionem denotatur subiectum primae

propositionis uere dici de aliquo assumpto. Sicut per istam propositionem 'omnis homo est animal' denotatur quod de quocumque dicitur 'homo' de eodem dicitur 'animal'; per istam autem secundam 'Sortes est homo' denotatur quod 'homo', qui fuit subiectum primae propositionis, uere dicitur de Sorte; propter quod euidenter sequitur quod hoc praedicatum 'animal' uere dicitur de Sorte. Et ideo iste syllogismus est regulatus per dici de omni 'omnis homo est animal; Sortes est homo; igitur Sortes est animal'.

Et eodem modo, proportionaliter, dicendum est de syllogismo regulato per dici de nullo. Sed nihil tale potest denotari per propositionem particularem, igitur numquam propositio particularis potest esse maior in prima figura.

Ex eodem patet quod minor semper debet esse affirmatiua, quia semper per mniorem debet denotari quod illud quod in prima proposi tione fuit subiectum uere praedicatur de aliquo determinato assumpto, quod non potest esse nisi per propositionem affirmatiuam.

Ex praedictis sequitur quod in prima figura sunt tantum quatuor modi in quibus fiunt utties coniugationes. Nam combinando duas pro positiones per uniuersalem et Particularem, per affirmatiuam et negati uam, sexdecim erunt combinationes, quarum duodecim peccabunt con tra praedicta principia. Quod patet sic. si sint duae propositiones, aut utraque est uniuersalis aut utraque particularis, aut una uniuersalis et alia particularis. Si autem utraque sit uniuersalis, aut utraque est affirma tiua aut utraque negatiua, aut una affirmatiua et alia negatiua. Si utraque sit affirmatiua, sic est primus modus et utilis, si utraque sit negatiua, sic est alia coniugatio et est inutilis, quia habet minorem negatiuam. Si una sit affirmatiua et alia negatiua, aut maior est negatiua et minor affirma tiua, uel e conuerso; si primo modo, habetur tertia coniugatio, et est utilis; si e conuerso, est quarta et inutilis, quia habet minorem negatiuam.

Si utraque sit propositio particularis, sic fiunt quatuor combinationes per affirmatiuam et negatiuam, sicut prius, sed omnes erunt inutiles, quia omnes habebunt maiorem particularem.

Si autem una sit uniuersalis et alia particularis, aut maior est uniuersalis et minor particularis, aut e conuerso. Si primo modo, aut utraque est affirmatiua et habetur nona coniugatio et utilis, aut utraque negatiua, et est decima coniugatio et inutilis, quia minor est negatiua. Aut una est affirmatiua et alia negatiua, et tunc est aut maior affirmatiua et minor negatiua, et est undecima coniugatio et inutilis, quia minor est negatiua; aut maior est negatiua et minor affirmatiua, et est duodecima coniugatio et utilis. Si autem maior sit particularis et minor uniuersalis, sic fiunt quatuor combinationes per affirmatiuam et negatiuam, sed omnes erunt inutiles, quia quaelibet illarum habet maiorem particularem.

Ex quibus omnibus manifeste patet quod tantum sunt quatuor modi utilium coniugationum, scilicet primus et tertius et nonus et duodecimus. Duodecim uero

alii sunt inutiles, quia soli quatuor possunt regulari per dici de omni uel per dici de nullo; aii non possunt, quia semper habent maiorem particularem uel minorem negatiuam, quorum utrumque repugnat syllogismo regulato per dici de omni uel per dici de nullo.

3—1.04 IN QUO PROBANTUR PRAEDICTA IN PRAECEDENTI CAPITULO

Ista narrata non possunt probari nisi per modum quo probat Aristoteles ea, probando scibando quod quatuor modi sunt utiles, per hoc quod non contingit inferre instantiam. Unde seruando talem modum arguendi ex duabus uniuersalibus affirmatiuis 'omnis homo est animal, omne risibile est homo, igitur omne risibile est animal' impossibile est inuenire instantiam ubi praemissae sunt uerae et conclusio falsa. Similiter est sic arguendo 'nullus homo est asinus; omne risibile est homo; igitur nullum risibile est asinus'. Similiter sic arguendo 'omnis homo est animal; aliquod corpus est homo; igitur aliquod corpus est animal'. Similiter sic arguendo 'nullus homo est asinus; aliquod animal est homo; igitur aliquod animal non est asinus'.

Alii autem modi sunt inutiles, quia contingit inuenire praemissas taliter dispositas esse ueras et conclusionem falsam. Unde quando utraque est uniuersalis et negatiua, patet instantia, sic arguendo 'nullus homo est animal irrationale; nullus asinus est homo; igitur nullus asinus est animal irrationale'. Praemissae sunt uerae et conclusio falsa. Eodem modo est de aliis, quod praemissae possunt esse uerae conclusione exsistente falsa, sicut patet discurrendo, et ideo non ualent.

Et est hic aduertendum quod ad probandum coniugationem inutilem uel modum inutilem non oportet inuenire instantiam in terminis substantialibus, sicut aliqui errantes dicunt, sed sufficit inuenire instantiam in quibuscumque terminis, siue substantialibus siue accidentalibus siue quibuscumque. Unde et Aristoteles frequenter per tales terminos instat in libro Priorum, sicut manifeste patet ibidem. Et ideo quatuor modi primae figurae tenent in omnibus terminis, nec refert utrum sumatur sub terminus substantialis uel accidentialis, quale quid uel hoc ahquid, siue quantum siue ad aliquid, siue quale siue quodcumque aliud, dummodo per primam propositionem denotetur praedicatum uere dici uel remoueri ab omni illo de quo dicitur subiectum et per secundam propositionem denotetur illud quod prius fuit subiectum non aequiuoce acceptum dici de assumpto, et postea in conclusione concludatur illud quod fuit praedicatum in prima dici uel remoueri de illo praecise quod fuit subiectum in secunda propositione.

Ex isto sequitur quod tales sillogismi sunt boni 'omne coloratum est; omne album est coloratum; ergo omne album est'; 'omne animal est homo; omnis asinus est animal; ergo omnis asinus est homo'. Et ideo errat Magister Abstractionum assignando in praedictis syllogismis fallaciam accidentis, cum isti syllogismi regulentur per dici de omni et sint de se euidentes.

Similiter tales syllogismi sunt boni, nisi aequiuocatio impediat, 'omnis homo continetur in genere substantiae; album est homo; igitur album continetur in genere substantiae'; 'nullus homo est aggregatum per accidens; homo albus est homo; igitur homo albus non est aggregatum per accidens'; 'nullus homo distinguitur ab homine; homo albus est homo; igitur homo albus non distinguitur ab homine', 'nullus homo est genus; animal est homo, ergo animal non est genus', et ceteri huiusmodi, in quibus tamen uolunt aliqui moderni assignare fallaciam accidentis, nescientes naturam syllogismi nec fallaciae accidentis.

Aduertendum est tamen quod numquam syllogismus est regulatus per dici de omni uel per dici de nullo quando aliquis terminus aequiuocus sumitur. Et ideo quia in aliquibus praedictis exemplis potest terminus accipi aequiuoce in altera praemissa et in conclusione, ideo potest ibi assignari fallacia aequiuocationis; et conclusione accepta in uno sensu est bonus syllogismus, et accepta in alio sensu non ualebit, sed erit fallacia aequiuocationis. Verbi gratia sic arguendo 'nullus homo est genus; animal est homo; igitur animal non est genus' ista conclusio 'animal non est genus' est distinguenda, eo quod li animal potest stare persolialiter siue pro suis significatis, Vel potest stare simpliciter siue pro intentione animae siue conceptu. Si primo modo, sic est bonus syllogismus, regulatus per dici de omni; si secundo modo, sic non ualet, nec regulatus per dici de omni, nisi solum uocaliter, propter hoc quod 'animal' aequiuoce accipitur in minore et in conclusione.

Est igitur regula generalis quod quando praemissae disponuntur in modo et in figula, et propositiones sunt de praesenti, et aduerbialis determinatio uel aequiualens uniformiter accipitur uel non accipitur, semper est bonus syllogismus, nisi aequiuocatio impediat uel accentus uel amphibolia uel compositio et diuisio uel fallacia secundum quid et simpliciter, pro insolubilibus. Et tunc in uno sensu est bonus syllogismus et in alio sensu erit fallacia aequiuocationis, et sic de aliis. Unde quando est compositio et diuisio uel amphibolia, in illo sensu in quo fallit discursus praemissae non disponuntur in modo et figura praedicto modo. Unde sic arguendo 'quidquid est uiuens semper est; Sortes est uiuens; ergo Sortes semper est', si li uiuens componatur cum li semper, ut sit sensus 'quidquid est uiuelis semper, est', praemissae non sunt dispositae in modo et in figura, quia in propositione prima subiectum est hoc totum 'uiuens semper', sed in secunda propositione hoc totum non est praedicatum sed 'uiuens' tantum, et ita non est dispositio in figura. Sed si li semper componatur cum li est, tunc praemissae sunt dispositae in modo et in figura, et sequitur ista conclusio 'igitur Sortes semper est'.

Et ita ista est regula generalis quod quando praemissae sunt dispositae ill modo et in figura prima, si propositiones sunt de praesenti, siue sint acceptae cum determinationibus aduerbialibus siue aequiualentibus, determinantibus compositionem siue non, dummodo illae determinationes ponantur in maiore et in conclusione et semper determinent uerbum, Syllogismus est bonus et regulatus per dici de omni uel dici de nullo, nisi aequiuocatio uel accentus impediat, uel alia fallacia de enumeratis.

Nec aliqua alia fallacia ibi potest assignari. Et hoc est uerum, qualecumque sit uerbum, siue faciat propositionem modalem siue non, siue etiam determinatio aduerbialis faciat propositionem modalem siue non.

Propter quod omnes tales syllogismi, secundum intentionem Aristotelis, sunt boni 'omnis ueniens cognoscitur a te; Coriscus est ueniens; igitur Coriscus cognoscitur a te'; 'omnnis persona diuina de necessitate est Deus; creans est persona diuina; igitur creans de necessitate est Deus'; 'omnis homo est ens per Se; homo albus est homo; igitur homo albus est ens per se'; 'omnis homo per se est animal; album est homo; igitur album per se est animial'; 'omnis ignis est per se calefactiuus; siccum est ignis; igitur siccum per se est calefactiuum'; 'omnis aedificator per se aedificat; album est aedificator; igitur album per se aedificat'; 'nulla persona diuina intelligitur a me; Deus est persona diuina; igitur Deus lion intelligitur a me'; `omniis Deus scitur a philosophis esse immortalis; quaelibet persona diuina est Deus; igitur quaelibet persona diunia scitur a philosophis esse lmmortalis'; 'omnis anima intellectiua scitur a ponentibus intellectum esse accidens esse substantia; intellectus est anima intellectiua; igitur intellectus scitur a ponentibus intellectum esse accidens esse substantia. Et multi tales syllogismi innumeri, qui negantur a modernis, sunt optimi syllogismi et regulati per dici de omni uel de nullo.

Quod enim tales syllogismi sint regulati per dici de omni uel de nullo, secundum intentionem Aristotelis, patet manifeste. Nam per istam propositionem 'omnis Deus scitur a philosophis esse immortalis' denotatur quod de quocumque dicitur hoc subiectum'Deus' quod de eodem dicitur hoc praedicatum 'scitur a philosophis esse immortalis'. Et per istam 'quaelibet persona diuina est Deus' denotatur quod hoc quod fuit subiectum in prima propositione, scilicet 'Deus', dicitur de hoc subiecto 'persona diuina' uniuersaliter sumpto; igitur necessario sequitur conclusio, in qua denotatur illud quod fuit praedicatum in prima propositione dici de hoc subiecto 'persona diuina', quod fuit subiectum in secunda propositione; et hoc per uirtutem dici de omni. Istae enim sylogismus 'omnis homo currit; omne album est homo; igitur omne album currit' non tenet nisi quia per maiorem denotatur quod de quocumque dicitur hoc subiectum 'homo' quod de eodem dicitur hoc praedicatum 'currit'; et per minorem denotatur quod 'homo' dicitur de hoc subiecto 'album' uniuersaliter sumpto, ideo necessario sequitur conclusio in qua denotatur hoc praedicatum 'currit' dici de hoc subiecto 'album' uniuersaliter sumpto. Et ideo cum aequaliter inueniatur dici de omni uel dici de nullo in omnibus praedictis exemplis et consimilibus sicut inuenitur in istis 'omnis homo currit; omne album est homo; igitur omne album currit'; 'nullus homo currit; omiie nigrum est homo; igitur nullum nigrum currit', aeque boni syllogismi, et regulati per dici de omni uel de nullo, erunt praedicti syllogismi et consimiles sicut isti ultimi, de quibus nullus dubitat qclin sint boni.

Sic igitur praedicti syllogismi sunt boni. Et similiter tales sunt boni 'omnis natura specifica est realiter communicabilis; differentia indiuidualis est realiter natura specifica; igitur differentia indiuidualis est realiter communicabilis'; 'omnis differentia

indiuidualis est de se haec; natura specifica est differentia indiuidualis; igitur natura specifica est de se haec'; 'omnis intellectus diuinus est principium producendi Filium; uoluntas diuina est intellectus diuinus; igitur uoluntas diuina est principium producendi Filium'.

Et si dicatur quod tunc esset hic bonus syllogismus 'omnis essentia diuina est Pater; Filius est essentia diuina; igitur Filius est Pater'; similiter 'nullus Pater est Filius, essentia diuina est Pater, igitur essentia diuina non est Filius':

Dicendum est quod Phi1osophus diceret tales syllogismos tenere et regulari per dici de omni uel de nullo, et hoc quia non posuit unicam rem simplicem esse plures res distinctas realiter. Sed theologi, qui ponunt — secundum ueritatem — unam rem numero esse plures res, quia dicunt quod essentia diuina simplex et indiuisibilis est plures personae distinctae realiter, habent dicere quod praedicti discursus non ualent, nec regulantur per dici de omni uel de nullo. Et ratio est, quia per istam omnis essentia diuina est Pater' non denotatur quod de quocumque dicitur hoc subiectum 'essentia diuina' quod de eodem dicatur hoc praedicatum 'Pater'. Tunc enim necessario iste syllogismus regularetur per dici de omni 'omnis essentia diuina est Pater; Filius est essentia diuina; igitur Filius est Pater'. Sed ista esset tunc falsa 'omnis essentia diuina est Pater', sicut ista est falsa: de quocumque subiecto dicitur hoc subiectum 'essentia diuina' de eodem dicitur hoc praedicatum 'Pater'.

Sed per istam 'omnis essentia diuina est Pater' denotatur quod omne illud quod est omnis res absoluta et relatiua quae est essentia, est Pater. Et hoc est uerum; sed tunc, si uniformiter acciperetur minor, ipsa esset falsa. Tunc enim per istam 'Filius est essentia diuina' denotaretur quod Filius esset quaelibet res respectiua quae est essentia diuina. Quod falsum est, quia non est Pater, et tamn essentia diuina est Pater. Et sicut dictuni est de isto syllogismo affirmatiuo, ita proportionaliter dicendum est de syllogismo negatiuo adducto.

Talis igitur modus arguendi numquam fallit nisi quando accipitur terminus qui importat aliquam rem unicam numero, quae tarmen est plures res numero, et accipitur alia res, de qua et una alia uere dicitur quod illa unica est illae duae res. Sed istum defectum non contingit in aliis assignare, sicut manifeste patet. Unde hic non est talis defectus 'omnis Deus cognoscitur a philosophis esse immortalis; quaelibet persona diunia est Deus; igitur quaelibet persona diuina cognoscitur a philosophis esse immortalis'. Nam per istam 'omnis Deus cognoscitur a philosophis esse immortalis' denotatur quod de quocumque dicitur hoc subiectum Deus quod de eodem dicitur hoc praedicatum 'cognoscitur a philosophis esse immortalis', et ideo necessario praedictus syllogismus erit regulatus per dici de omni, secundum uiam Aristotelis.

Et si dicatur quod secundum ista phi1osophi cognouissent tres personas esse in diuinis, dicendum quod philosophi non cognouerunt tres personas esse in diuinis, quia ad notitiam istius propositionis 'tres personae sunt in diuinis' nullo modo poterant deuenire, tamen de illo quod est tres personae poterant scire quod ip sum

est immortale. Et huiusmodi multa. Et propter hoc potest ista uerificari 'qualibet persona diuina scitur a philosophis esse immortalis', quia per istam propositionem non denotatur quod haec propositio sit scita a philosophis 'quaelibet persona diuina est immortalis'. lsta enim propositio nullo modo potest sciri euidenter ex puris naturalibus, quia nec ista potest sciri ex puris naturalibus 'aliqua persona est Deus', accipiendo 'personam' sicut theologi accipiunt. Sed per istam 'quaelibet persona diuina scitur a philosophis esse immortalis' denotatur quod de quolibet, quod est persona diuina, scitur quod est immortale.

Et si dicatur quod tunc haec esset uera 'de Patre scitur a philosophis quod est immortalis', et per consequens philosophi sciuerunt quod Pater est immortalis, dicendum quod haec est uera 'de Patre scitur a philosophis quod est immortalis', quia per istam non denotatur quod haec fuerit scita a philosophis 'pater est immortalis', quia nec istam nec aliquam consimilem poterant scire, sed per istam denotatur quod de aliquo, qui est Pater, fuit scitum a philosophis quod est immortalis, hoc est de Deo fuit scitum ipsum esse immortalem, et ipse est Pater, non tamen fuit scitum a philosophis ipsum esse Patrem. Unde ista est uera 'Pater scitur a philosophis esse Deus', et tamen haec non est uera 'Deus scitur a philosophis esse Pater'.

Quod autem ista stent simul 'quaelibet persona diuina scitur a philosophis esse immortalis' et tamen quod haec non est scita a philosophis 'quaelibet persona diuina est immortalis' potest declarari per exempla. Sit primum istud: sit ita quod ista nomina sint synonyma simpliciter 'gladius'et'ensis', et tamen quod Sortes hoc ignoret, sed sciat significa— tionem, istius nominis 'gladius' et nesciat quid significet hoc nomen 'ensis'. Tunc haec est uera 'ensis scitur a Sorte esse unum genus armorum' uel 'ensis scitur a Sorte esse acutus' uel 'ensis scitur a Sorte esse ferrum', quia hoc praedicatum uere competit et uere praedicatur de pronomine demonstrante illud pro quo subiectum supponit. lgitur ista propositio est uera, et tamen nulla is1arum, propositionum est scita a Sorte 'ensis est unum genus armorum', 'ensis est acutns', 'ensis est ferrum'. Igitur similiter stant simul quod 'quaelibet persona diuina scitur a philososphis esse immortalis', et tamen quod ista non sit scita ab eis 'quaelibet persona diuina est immortalis'.

Aliud exemplum est: quod ponatur, sicut ponunt philosophi, et credo esse uerum, et alibi est sufficienter probatum, ut mihi uidetur, quod essentia diuina et intellectus qui est in Deo sint idem omnibus modis ex natura rei. Tunc si haec sit uera 'essentia diuina scitur ab omnibus esse essentia diuina', haec erit uera 'intellectus diuinus scitur ab omnibus esse essentia diuina'. Et tamen cum hoc stat quod haec sit scita ab omnibus 'essentia diuina est essentia diuina' et non ista 'intellectus diuinus est esselitia diuina'. Et hoc, quia ad ueritatem istius 'intellectus diuinus scitur ab omnibus esse essentia diuiua' non requiritur nisi quod praedicatum uere praedicetur de pronomine demonstrante illud pro quo subiectum supponit. Hoc autem uerum est in proposito, cum pro eodem supponat subiectum in ista 'intellectus scitur esse essentia diuina' et in ista 'essentia diuina scitur esse essentia diuina'.

Aliud exemplum est de actiua generatione et paternitate. Quia si sint idem omnibus modis, impossibile est quod paternitas credatur esse constitutiua Patris nisi credatur actiua generatio esse constitutiua Patris. Et tamen a multis creditur ista esse uera paternitas est constitutiua Patris' a quibus non creditur ista esse uera 'actiua generatio est constitutiua Patris'.

Similiter, si anima sensitiua in homine et anima intellectiua sint simpliciter eadem forma, necessario si anima intellectiua hominis scitur non esse distincta ab anima intellectiua hominis, anima sensitiua hominis scietur non esse distincta ab anima intellectiua hominis. Et tamen haec erit scita 'anima intellectiua hominis non est distincta ab anima intellectiua hominis', quamuis haec non sit scita 'anima sensitiua hominis non est distincta ab anima intellectiua hominis'.

Et ratio omnium praedictorum est, quia per talem propositionem 'anima sensitiua hominis scitur non esse distincta ab anima intellectiua hominis' non denotatur nisi qnod hoc praedicatum 'non esse distinctum ab anima intellectiua hominis' scitur de illo quod est anima sensitiua hominis, non quod sciatur de hoc subiecto 'anima sensitiua hominis'. Sicut per istam 'ueniens scitur esse homo' denotatur quod res, quae est ueniens, scitur esse homo, quamuis nesciatur an hoc praedicatum 'homo' sciatur de hoc subiecto 'ueniens'.

Contra tamen praedicta exempla potest instari: quia in omnibus supponitur quod duo subiecta propositionum duarum adductarum supponant simpliciter pro eodem. Non sic autem est in istis 'quaelibet persona diuina scitur esse immortalis', 'Deus scitur esse immortalis', quia snbiectum unius supponit pro persona diuina et subiectum alterius non supponit pro persona diuina sed pro essentia diuina, et ita non est simile de istis et de aliis exemplis adductis:

Sed istud non obstat, quia quamuis quantum ad hoc non sit simile, quia tamen persona diuina est essentia diuina, —propter quam identitatem quidquid conuenit essentiae diuinae, conuenit personae diuinae, nisi oppositum inueniatur in Sacra Scriptura uel sequaatur euidenter ex talibus —, ideo si concedatur quod Deus scitur esse immortalis debet concedi quod persona diuina scitur esse immortalis. Nec ex hoc aliquo modo sequitur quod aliquis potest scire ex naturalibus qnod tres personae sunt in Deo, quia per istam et consimiles 'persona diuina scitur esse immortalis' non denotatur nisi quod de illo, qnod est persona diuina, scitur qnod est immortale. Et hoc est uerum, quia de Deo, qui est persona diuina, scitur quod est immortalis. Sic igitur numquam talis discursus debet negari nisi quando accipitur aliquis teminius importans aliquam rem quae est plures res distinctae realiter.

Sed adhuc non semper in tali casu, sed tunc solum quando non denotatur per maiorem quod praedicatum dicitur de omni illo quod est subiectum, sed quando solum denotatur quod omne illud quod est formliter illud quod importatur per subiectum quod de omni tali dicatur praedicatum. Quid autem sit aliquid esse formaliter aliqnid, decla ratum est alibi. Cum igitur inter creaturas hoc non possit reperiri quod una res sit plures res, numquam in creaturis talis modus arguendi

debet negari, nisi forte aliquando aliquis terminus includat aliquod syncategorema, quo expresso pateret talis discursus non ualere. Unde si a significet idem quod hoc totum 'tantum animal', iste syllogismus non ualere 'omnis homo est substaiitia; a est homo; igitur a est substantia', quia expresso syncategoremate incluso aequiualenter in li a et etiam expresso alio termino illo modo incluso, manifestum est discursum non ualere. Sicut non sequitur 'omnis homo est substantia; tantum animal est homo; igitur tantnm animal est substantia'.

Et si dicatur quod talis syllogismus regulatur per dici de omni, nam per istam maiorem 'omnis homo est substantia' denotatur quod de quocumque dicitur 'homo' de eodem dicitur 'substantia', et per istam minorem 'tantum animal est homo' denotatur qnod 'homo' dicitur de hoc toto 'tantum animal'; igitur sequitur conclusio in qua 'substantia' praedicatur de hoc toto 'tantum animal'; igitur p raedictus discursus regulatur per dici de omni:

Dicendum est quod non regulatur per dici de omni, et hoc quia quamuis per minorem denotetur quod 'homo' p raedicetur de hoc toto 'tantum animal', tamen non tantum hoc denotatur, sed etiam denotatur quod hoc snbiectum 'homo' remouetur a qnolibet non—animali. Et propter hoc non sequitur conclusio praedicta, quia tunc argueretur per istam regulam 'a quocumque remouetur subiectum uniuersalis, ab eodem remouetur praedicatum', quae falsa est, et propter hoc non regulatur praedictus discursus per dici de omni.

Similiter si a significet idem quod 'non omnis homo', tunc non regulabitur iste discursus per dici de omni 'omne album est substantia; a est album, igitur a est substantia'. Et ratio patet. Et sicut est de istis, ita est de consimilibus.

Et forte propter talem causam negantur aliqui syllogismi ab aliquibus auctoribus, qui tamen aliter essent de se euidentes. Unde si abstracta concretorum substantialium includant aliqua determinata syncategoremata, sicut forte secundum modum loquendi aliquorum includunt, multi discursus apparebunt euidentes, qui tamen fallunt, sicut multae propositiones tunc essent falsae, quae tamen aliter essent uerae. Si enim talia abstracta 'humanitas', 'equinitas', 'animalitas' et huiusmodi includant aequiualenter talia sylicategoremata 'per se primo modo' uel 'necessario' uel aliquod huiusmodi, tunc erunt istae propositiones falsae 'humanitas est homo', 'humanitas est animal', 'humanitas est animalitas', 'humanitas est alba', 'humanitas currit' et huiusmodi. Et hoc, quia expresso syncategoremate aequiualenter incluso cum alio termino, patet falsitas earum. Haec enim est falsa 'homo necessario currit' et ista similiter 'homo necessario est homo' uel 'homo necessario est animal'. Et sic auctoritates, quae negant tales propositiones de talibus abstractis, sunt glossandae. Eodem modo, hoc supposito, tales discursus non ualebunt 'omnis homo cnrrit; humanitas est homo; igitur humanitas currit', nam iste discursus non ualet 'omnis homo currit; homo necessario est homo; igitur homo necessario currit'. Instantia enim patet In istis terminis 'omnis persona diuina est creans, Pater est necessario persona diuina; igitur Pater necessario est creans, nam praemissae sunt uerae et

conclusio falsa. Et per istum modum multae anctoritates, sonantes quod humanitas non sit homo et quod humanitas non sit alba, debent solui.

Sic igitur, breuiter, omnis syllogismus regulatus per dici de omni uel de nullo est simpliciter bonus et de se euidens, nec indigens aliqua probatione. Et non refert guale sit illud quod sumitur sub in minore, siue sit terminus substantialis siue accidentalis, siue dicat quale siue quantum siue ad aliquid siue ubi, siue quodcumque aliud.

Ex quo patet quod non semper quando commutatur quid in quale uel in quantum uel in ad aliquid uel in quale quid uel in aliquid aliud est fallacia figurae dictionis. Tunc enim hic esset fallacia figurae dictionis 'omnis homo currit; album est homo; igitur album currit'. Similiter hic 'omnis homo est animal; aliquod bicubitum est homo; igitur aliquod bicubitum est animal', et in multis aliis euidentibus syllogismis; quod est manifeste falsum.

3—1.05 AD VIDENDUM QUANDO SYLLOGISMUS REGULATUR PER DICI DE OMNI ET DE NULLO ET QUANDO NON

Quando autem syllogismus non regulatur per dici de omni uel de nullo, tunc non oportet quod ualeat, sed est fallacia accidentis uel aliqua alia fallacia. Ad uidendum autem quando discursus non regulatur per dici de omni nec de nullo intelligendae sunt ad praesens regulae infra scriptae.

Prima est quod quandocumque minor habet aliquam exponentem negatiuam talis discursus non potest regnlari per dici de omni uel de nullo. Et ratio est quia, sicut dictum et prius, per maiorem non denotatur nisi quod de quocumque dicitur subiectum quod de eodem dicitur praedicatum, uel ab eo remouetur. Igitur si in minori denotetur subiectum remoueri ab aliquo, uel aliquid aliud remoueri ab aliquo, nullo modo poterit regulari per dici de omni uel de nullo, quia in minori non debet denotari nisi quod subiectum primae propositionis dicitur de aliquo. Et ita patet manifeste quod quando minor habet aliquam exponentem negatiuam, non poterit syllogismus regulari per dici de omni uel de nullo.

Per istam regulam excluduntur propositiones exclusiuae et exceptiuae et habentes aliquod istorum uerborum 'incipit' uel 'desinit', et quaecumgue aliae quae habent exponentes negatiuas, ne possint esse minores in tali syllogismo. Et ideo talis discursus non ualet 'omnis homo est animal; tantum risibile est homo; igitur tantum risibile est animal'; nec talis 'omne album est corpus; omne animal praeter coruum est album; igitur omne animal praeter coruum est corpus'; nec iste 'omne ridens est homo; Sortes incipit esse ridens; igitur Sortes incipit esse homo'; nec talis 'omne sentiens est animal; asinus desinit esse sentiens; igitur asinus desinit esse animal'; et omnes alii liabentes colisimilem defectum non ualent.

Alia regula est quod qnandocumque in minori propositione denotatur praedicatum dici de subiecto cum aliquo modo, nato determinare compositionem,

non expresso in maiore, qui modus positus et non positus mutat propositionem quantum ad ueritatem uel falsitatem, talis discursus non regulatur per dici de omni uel de nullo. Tales autem modi sunt huinsmodi 'necessario', 'contingenter', 'uelociter', 'bene', 'male' et cetera aduerbia. Nam haec est uera 'homo est albus' et haec est falsa 'homo necessario est albus'. Similiter haec est uera 'homo est albus' et haec est falsa 'homo per se est albus'. Et ita est de multis aliis.

Et ratio istius regulae est, quia per propositionem uniuersalem maiorem non denotatur nisi quod de quocumque dicitur subiectum de eodem dicitur praedicatum uel remouetur, et non denotatur quod de quocumque dicitur subiectum cum aliquo aduerbio determinante com positionem quod de eodem dicitur praedicatum cum eodem aduerbio. Et ideo accipere in minore aliquod tale aduerbium non est regulare talem syllogismum per dici de omni uel de nullo. Et ideo tales syllogismi non ualent 'omnis homo est albus, Sortes necessario est homo; igitur Sortes necessario est albus'. Instantia dicta est prius. Nec tales syllogismi ualent 'omnis creans est Deus, quaelibet persona diuina contingenter est creans, igitur quaelibet persona diuina contingenter est Deus'; 'omne currens est homo; Sortes est uelociter currens; ergo Sortes est uelociter homo.

Et est diligenter aduertendum an in minore accipiatur aliquis terminus inclndens aequiualenter talem determinationem aduerbialem uel aequiualentem, quamuis non exprimatur. Quia si sic, non erit syllogismus regulatus per dici de omni uel de nullo.

Alia regula est quod quando in propositione minori ponitur aliquis modus qui potest competere toti propositioni, si in maiore hoc denotetur, non semper talis discursus regulabitur per dici de omni uel de nullo. Sed quia hoc tangit syllogismos ex modalibus, ideo de hoc dimittatur ad praesens.

Alia regula est quod quando per maiorem non denotatur praedicatum uere affirmari uel uere negari de pronomine demonstrante quodcumque quod est realiter idem cum significato per subiectum, tunc accipiendo sub aliquid tale, non erit syllogismus regulatus per dici de omni uel de nullo. Et ideo talis discursus non regulatur per dici de omni 'omnis essentia diuina est communis tribus personis; Pater est essentia diuina; igitur Pater est communis tribus personis', et hoc quia per istam 'omnis essentia diuina est communis tribus personis' non denotatur quod quilibet, qui est essentia diuina realiter, sit communis tribus personis, sed praecise denotatur quod quidquid est essentia realiter et formaliter, est commune tribus personis. Et ideo accipiendo sub 'Pater est essentia', nisi acciperetur sic sub 'Pater est essentia realiter et formaliter' non arguitur per dici de omni. Secus autem est hic 'omnis homo currit album est homo; igitur album currit, nam per istam 'omnis homo currit denotatur quod quicumque est homo realiter quod ipse currit, et ideo accipiendo sub 'Sortes est homo' sequitur quod Sortes currit. Non sic autem per istam 'omnis essentia diuina est communis tribus personis', quia non denotatur quod quicumque est essentia diuina quod est communis tribus personis, hoc enim falsum est. Et ita patet satis euidenter, supposito quod essentia diuina unica et singularissima sit tres personae et tamen quod una non sit alia, quomodo iste syllogismus non

regulatur per dici de omni 'omnis essentia diuina est communis tribus personis; Pater est essentia diuina; igitur Pater est communis tribus personis', et tamem iste syllogismus regulatur per dici de omni 'omnis homo currit; album est homo; igitur album currit'.

Est autem sciendum quod quamuis propter rationem dictam nullus discursus, ubi persona accipitur sub essentia uel e conuerso, reguletur per dici de omni uel de nullo, tamen multi tales ualent et tenent et multi non ualent. Quando autem talis discursus tenet et quando non, non potest sciri nisi quando in Scriptura Sacra uel ex determinatione Ecclesiae uel ex eis, mediante euidenti syllogismo, habetur quod praemissae sunt uerae et conclusio falsa: sicut oportet credere qnod omnis essentia diuina est Pater, et quod Filius est essentia diuina, et tamen qood haec est falsa 'Filius est Pater', et ideo iste discursus non ualet 'omnis essentia diuina est Pater; Filius est essentia diuina; igitur Filios est Pater'. Sed non sic est de isto discursu 'omnis essentia diuina fuit scita a philosohis esse immortalis; Pater est essentia diuina; igitur Pater fuit scitus a philosophis esse immortalis' Non enim habentur praemissae in Sacra Scriptora uel ex determinatione Ecclesiae cum opposito conclusionis, nec illa tria euidenter Sequuntur ex illis, ideo talis discursus est concedendos. Et uniuersaliter omnis talis discursus est concedendus nisi possit inueniri in Sacra Scriputra uel ex determinatione Ecclesiae uel euidenter sequatur ex talibus quod praemissae sunt uerae cum opposito conclusionis. Et ideo talis discursus in creaturis numquam debet negari, qoia inter creaturas impossibile est quod una res numero, simplex et singularis, sit. realiter plures res distinctae realiter.

Alia regula est qnod nollns terminus in praemissis uel conclusione somator aequiuoce. Si enim aliquis terminus, siue in praemissis siue in conclusione, sumatur aequiuoce, non poterit regulari per dici de omni uel de nullo. Et ideo talis syllogismus 'omnis canis currit; caeleste sidus est canis; igitur caeleste sidus currit' non regulatur per dici de omni uel de nullo si 'canis' sumatur aequiuoce. Nam per istam propositionem 'omnis canis currit' non denotatur qnod de quocumque dicitur subiectum quod de eodem dicitur praedicatum, sed denotatur quod de quocumque dicitur hoc subiectum 'canis', quando supponit pro animali latrabili, quod de eodem dicitur praedicatum, et non plus. Et ideo accipere postea quod 'caeleste sidus est canis', accipiendo 'canis' pro caelesti sidere et non pro animali latrabili, non est arguere per dici de omni, sicut clare patet. Et sicut est de istis, ita est de aliis.

Alia regula est quod nullum syncategorema, nisi forte signum uniuersale uel particulare additum super subiecto, addatur uel auferatur in minore uel conclusione praeter illa quae sunt in maiore. Et si aliquod tale syncategorema ponator in maiore, si in illa sit determinatio praedicati, oportet quod in alia propositione, in qua debet poni, sit determinatio praedicati. Si autem sit in illa determinatio compositionis, debet etiam in alia esse determinatio compositionis, quia aliter non regulabitur per dici de omni uel de nullo. Et ideo tales syllogismi non ualent 'omnis homo est tantum animal; Sortes est homo; igitur Sortes est tantum animal'. Et multi tales deficiunt propter aliquem defectum tactorum.

3—1.06 DE SUFFICIENTIA MODORUM PRIMAE FIGURAE

Sciendum est etiam circa syllogismos regulatos per dici de omni uel de nullo quod, cum quatuor sint modi, quorum primus est ex duabus uniuersalibus affirmatiuis inferentibus uniuersalem affirmatiuam per dici de omni, secundus est ex maiori uniuersali negatiua et minori uniuersali affirmatiua inferentibus uniuersalem negatiuam per dici de nullo, tertius est ex maiori uniuersali affirmatiua et minori particulari affirmatiua inferentibus particolarem affirmatiuam, quartus est ex maiori uniuersali negatiua et minori particulari affirmatiua inferentibus particularem negatiuam, istae conclusiones praenominatae sunt primo sequentes ex praemissis, mediate tamen et secundario sequuntur aliae conclusiones.

Nam in primo modo, praeter uniuersalem conclusionem sequentem, sequitur conclusio particularis et etiam conuersa primae conclusionis uniuersalis. Et ita tres conclusiones sequuntur in primo modo; et ultima conclusio potest sequi in illo modo qui dicitur Baralipton.

Ex praemissis autem dispositis in secundo modo sequuntur quatuor conclusiones: prima, uniuersalis negatiua, in qua negatur maior extremitas de minori; secunda, conuersa illius uniuersalis, et tunc habetur ille modus qui dicitur Celantes; tertia est particularis subalterna primae uniuersalis; quarta est particularis negatiua de terminis transpositis, quae est subalterna secundae conclusionis uniuersalis.

Ex praemissis dispositis in tertio modo sequuntur duae conclusiones, scilicet particularis directa et secundario conuersa illius; et tunc habetur ille modus qui dicitur Dabitis.

Ex praemissis dispositis in quarto modo non sequitur nisi una conclusio, et hoc quia conclusio particularis negatiua non conuertitur. Sed illa eadem conclusio particularis negatiua sequitur ex uniuersali affirmatiua de terminis transpositis ipsius minoris et uniuersali negatiua conuersa maioris, ipsis propositionibus transpositis, concludentibus conclusionem indirectam; et similiter ex conuersa minoris et conuersa maioris, transpositis praemissis et indirecte concludentibus. Et tunc habentur illi duo modi Fapesmo et Frisesomorum.

0mnia autem praedicta probantur per istas duas regulas quae semper uerae sunt 'quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens'; 'quidquid sequitur ad consequens cum addita propositione, sequitur ad antecedens cum eadem propositione'.

Tales autem modi non possunt accipi penes alios tres modos per transpositionem propositionum. Nam modi affirmatiui non possunt reduci per conuersionem in modos affirmatiuos, propter hoc quod nec uniuersalis affirmatiua nec uniuersalis negatiua potest conuerti in uniuersalem affirmatiuam. Et eadem ratio

est quare penes modum uniuersalem non potest sumi talis modus concludens indirecte per transpositionem propositionum de terminis transpositis.

3—1.07 QUOMODO SOLVUNTUR MULTA ARGUMENTA QUAE VIDENTUR FACERE CONTRA PRAEDICTA

Per praedicta possunt solvi multa argumenta quae videntur contra praedicta. Et sunt talia: non videtur quod iste syllogismus sit bonus 'omne animal, si est sensibile, est corpus animatum; lapis est animal, si est sensibile; igitur lapis est corpus animatum'. Nec iste 'omnis homo vel asinus est rationalis; iste asinus est homo vel asinus; igitur iste asinus est rationalis'; et alii tales non videntur valere.

Et est dicendum, breviter, quod maior utriusque syllogismi est distinguenda secundum compositionem et divisionem vel secundum amphiboliam, sicut in tractatu praecedenti est declaratum. Unde maior primi syllogismi est distinguenda, eo quod potest esse conditionalis, et tunc est vera, sed tunc discursus non valet, quia maior non est categorica. Si sit de conditionato subiecto, tunc est maior falsa, et syllogismus bonus et regulatus per dici de omni. Consimiliter est dicendum de secundo discursu: quia si maior sit disiunctiva, tunc est maior vera, sed discursus non valet, eo quod maior non est categorica. Si sit de disiuncto subiecto, tunc est maior falsa; denotatur enim quod omne illud de quo dicitur hoc totum disiunctum 'homo vel asinus' quod sit rationale; quod est simpliciter falsum.

Et sicut dictum est de talibus, ita, proportionaliter, dicendum est de propositionibus quae possunt esse de copulato extremo vel copulativae, vel de temporali extremo vel temporales, vel de causali extremo vel causales. Consimiliter est dicendum quando subiectum est conpositum ex duobus terminis mediante hoc toto 'qui est' vel 'quod est'. Sicut si arguatur sic 'omnis homo, qui est albus, potest disgregare visum; Sortes est homo; igitur Sortes, qui est aluos, potest disgregare visum'. Sit Sortes niger. Nam si hoc totum sit distributum 'homo, qui est albus', tunc syllogismos non valet, cum non reguletor per dici de omni, sicut manifeste patet. Si autem 'homo' tantum sit distributus, tunc aequivalet copulativae tali 'omnis homo est albus et iile potest disgregare visum'; et tunc iste discursus est bonus, quamvis non sit syllogismos categoricus, sed potest reduci in syllogismos categoricos.

3—1.08 QUOD MAIOR IN PRIMA FIGURA POSSIT CONVENIENTER ESSE SINGULARIS ET SEQUETUR EADEM CONCLUSIO QUAE SEQUERETUR SI ESSET UNIVERSALIS

Sciendum est etiam quod sicut arguitur evidenter ponendo talem universalem affirmativam vel negativam pro maiori in prima figura, ita etiam sequitur evidenter si maior sit singularis affirmativa vel negativa. Bene enim sequitur 'Sortes est albus; omnis homo est Sortes; igitur omnis homo est albus'. Similiter bene sequitur 'Sortes non currit; omnis homo est Sortes; igitur nullus homo currit'. Et ita sequitur 'Sortes non currit; aliquod album est Sortes; igitur aliquod album non currit'. Et ratio istorum est, quia quando propositio singularis est vera, si sit affirmativa, subiectum

non potest dici de aliquo nisi de eo dicatur praedicatum; si sit negativa, non potest removeri ab aliquo nisi ab eo removeatur praedicatum. Et ideo talis syllogismus est bonus sicut ille qui regulatur per dici de omni vel de nullo et hoc quia sicut subiectum universalis supponit actualiter pro omni suo significato, ita etiam subiectum singularis supponit actualiter pro omni suo significato, cum non habeat nisi unum.

Et regulae, quae dictae sunt prius, quando maior est universalis, sunt etiam servandae quando maior est singularis. Et propter hoc talis discursus non valet 'Sortes est animal, tantum homo est Sortes; igitur tantum homo est animal'; 'Pater distinguitur a Filio; essentia est Pater; igitur essentia distinguitur a Filio'. Et hoc quia per istam 'Pater distinguitur a Filio' non denotatur quod omne illud quod est Pater distinguitur a Filio. Et sicut est de istis, ita est de aliis, proportionaliter, sicut declaratum est ibidem.

Ultimo notandum est quod ea quae dicta sunt in istis capitulis de uniformi ex propositiones de inesse et de praesenti, sunt intelligenda quando omnes propositiones sunt in recto, non in obliquo, nam illae quae sunt in obliquo specialem habent difficultatem, de quibus dicendum est in sequenti capitulo.

3—1.09 DE SYLLOGISMO EX PROPOSITIONIBUS DE INESSE SUMPTIS IN OBLIQUO

Circa syllogismum de obliquis est sciendum quod quando maior est de obliquo et minor de recto semper sequitur conclusio de obliquo et regulatur per dici de omni vel de nullo, dummodo obliquitas cadata parte eiusdem extremi in conclusione a parte cuius cadit in maioreita quod si subiectum maioris sit terminus obliquus, oportet quod sub—iectum conclusionis sit terminus obliquus. Unde omnes tales syllogismiregulantur per dici de omni vel de nullo ‘omnem hominem videt asinus; Sortes est homo; igitur Sortem videt asinus’; ‘cuiuslibet hominisest asinus; Sortes est homo; igitur Sortis est asinus’; ‘omnis homo videtasinum; Sortes est homo; igitur Sortes videt asinum’; ‘nullum asinumvidet homo; Brunellus est asinus; igitur Brunellum non videt homo’;nullus homo est asini; Sortes est homo; igitur Sortes non est asini’.

Sciendum est etiam quod variis modis potest esse terminus obliquusin syllogismo: quia aliquando utraque praemissarum est de obliquo,aliquando altera tantum. Similiter, aliquando utriusque subiectum est terminus aliquando praedicatum utriusque; aliquando subiectum unius est terminus obliquus, aliquando praedicatum alterius. Et aliis modis possunt fieri combinationes, quas longum foret enarrare.

Hoc tamen sciendum est quod praeter praedictos modos regulatos per dici de omni vel de nullo, in quatuor casibus est bonus discursus, ubi aliqua praemissarum est de obliquo, et non in aliis. Primus est, quando maior est est universalis negativa cuius subiectum est terminus obliquus, et minor est affirmativa, habens terminum

praedicatum obliquum; et tunc sequitur conclusio de recto et non de obliquo Bene enim sequitur ‘nullum hominem videt asinus; omne nsibile videt hominem; igitur nullum risibile est asinus'; similiter bene sequitur nullius hominis est asinus; omne risibile est hominis; igitur nullum risibile est asinus'; quia impossibile est quod conclusio sit falsa si praemissae sint verae.

Sed talis modus arguendi ex affirmativis non valet. Non enim sequitur ‘omnem hominem videt asinus; omnis equus videt hominem; igitur omnis equus est asinus’.

Secundus casus est quando maior est universalis negativa, habens praedicatum obliquum, et minor est affirmativa, habens subiectum obliquum; et tunc sequitur conclusio de recto. Bene enim sequitur ‘nullus asinus videt hominem; omne rudibile videt asinus; igitur nullum rudibile est homo’. Sed si praemissae sint affirmativae, non sequitur conclusio; non enim sequitur ‘omnis homo videt asinum; omnem equum videt homo; igitur omnis equus est asinus'.

Tertius casus est quando maior est universalis affirmativa de recto et minor est affirmativa habens subiectum obliquum; et tunc sequitur conclusio habens subiectum obliquum. Sicut bene sequitur ‘omnis asinus currit; Sortis est asinus; igitur Sortis est currens’. Bene etiam sequitur 'omnis homo est animal; Sortem videt homo; igitur Sortem videt animal’. Sed si maior sit negativa, non sequitur; non enim sequitur 'nullus equus est asinus; cuiuslibet hominis est equus; igitur nullius hominis est asinus'.

Quartus casus est quando maior est affirmativa de recto et minor habens praedicatum obliquum; et tunc sequitur conclusio habens prae dictum obliquum. Nam sequitur ‘omnis homo est animal; asinus est hominis; igitur asinus est animalis’. Similiter bene sequitur ‘omnis homo currit; Sortes videt hominem; igitur Sortes videt currentem’. Sed si maior sit negativa, non sequitur; non enim sequitur ‘nullum risibile est asinus; omnis homo videt risibile; igitur nullus homo videt asinum’.

In aliis casibus non tenet processus quando aliqua praemitta est de obliquo, sed semper servandae sunt regulae positae in prioribus capitulis. Propter quod tales discursus non valent ‘omnis homo videt asinum;tantum risibile est homo; igitur tantum risibile videt asinum'; 'omnis hominis est asinus; omne album praeter Sortem est homo; igitur omnis albi praeter Sortem est asinus', et huiusmodi, sive arguatur ex terminis praecise importantibus res creatas sive increatas.

3—1.10 DE SYLLOGISMIS FACIENDIS IN SECUNDA FIGURA EX PROPOSITIONIBUS DE RECTO

Post praedicta videndum est quomodo fit talis syllogismus in secunda figura ex propositionibus de recto.

Et est primo sciendum quod semper in secunda figura altera praemissarum debet esse negativa nisi in duobus casibus, de quibus dicetur inferius. Cuius ratio est,

nam secunda figura est quando medius terminus praedicatur in utraque. Sed nunc est ita quod superius praedicatur universaliter de quolibet inferiori, ubi tamen unum inferius universaliter negatur a reliquo; igitur per tale medium, quod praedicatur de utroque, numquam potest concludi unum extremum affirmari de reliquo. Igitur per talem discursum praecise potest concludi unum extremum negari de reliquo, et per consequens oportet quod altera prae missarum sit negativa, cum ex affirmativis numquam sequatur syllogistice conclusio negativa.

Secundo sciendum quod in secunda figura semper oportet quod maior sit universalis. Nam si maior esset particularis, sive affirmativa sive negativa, posset medium primo affirmari particulariter vel negari de superiori, et postea universaliter negari vel affirmari de inferiori ad illud superius; et tamen non sequeretur illud superius universaliter nec particulariter negari ab inferiori. Verbi gratia, cum hoc quod 'animal' particulariter affirmatur de 'substantia' et universaliter negatur a 'lapide', non sequitur quod 'substantia' universaliter vel particulariter negetur a 'lapide'. Non enim sequitur 'aliqua substantia est animal; nullus lapis est animal; igitur aliquis lapis non est substantia'.

Similiter, ex hoc quod 'animal' particulariter negatur a 'substantia' et universaliter affirmatur de 'homine' non sequitur quod 'substantia' particulariter negatur ab 'homine'. Non enim sequitur 'aliqua substantia non est animal; omnis homo est animal; igitur aliquis homo non est substantia'. Et ratio quare maior in secunda figura non potest esse particularis, est quia unum inferius, puta a, potest particulariter negari a suo superiori, puta a b, et illud praedicatum inferius, scilicet a, potest universaliter negari a c quod est inferius ad b, et universaliter affirmari de d, quod est etiam inferius ad b; et tamen illud superius, scilicet b, a nullo suo inferiori vere negatur, nec universaliter nec particulariter. Sicut 'animal' particulariter negatur a 'substantia' et universaliter negatur a 'lapide' et universaliter praedicatur de 'homine', et tamen 'substantia' praedicatur de omnibus istis universaliter.

Ex istis duobus sequitur quod in secunda figura non sunt nisi quatuor modi coniugationum utilium, directe concludentium. Nam si utraque praemissa sit negativa, possunt fieri quatuor combinationes per universale et particulare, sed quaelibet erit inutilis, quia semper oportet alteram praemissarum esse affirmativam. Si etiam utraque sit affirmativa, possunt fieri quatuor combinationes per universale et particulare, sed quaelibet erit inutilis, quia dictum est quod in secunda figura oportet alteram praemissarum esse negativam. Et ita habemus quatuor coniugationes inutiles. Si autem una sit affirmativa et alia negativa, aut igitur maior est affirmativa et minor negativa, vel e converso. Si primo modo, possunt fieri quatuor combinationes per particulare et universale, quia aut utraque est universalis, et tunc habetur secundus modus utilis, scilicet Camestres, in quo maior est universalis affirmativa et minor universalis negativa.

Aut utraque est particularis, et tunc est coniugatio inutilis, quia dictum est quod semper maior debet esse universalis. Aut maior est universalis affirmativa et minor particularis negativa, et tunc est quartus modus, scilicet Baroco. Aut maior est

particularis et minor universalis, et tunc est coniugatio inutilis, quia dictum est quod maior debet esse universalis. Si autem sit e converso, scilicet quod maior est negativa et minor affirmativa, adhuc possunt fieri quatuor combinationes per particulare et universale, Quia aut utraque est universalis, et sic habetur primus modus secundae figurae, in quo maior est universalis negativa et minor universalis affirmativa, scilicet Cesare. Aut utraque est particularis, et tunc est coniugatio inutilis, propter causam saepius dictam. Aut maior est universalis et minor particularis, et habetur tertius modus, scilicet Festino. Aut maior est particularis et minor universalis, et sic est coniugatio inutilis, propter causam superius dictam.

Sic igitur patet quod cum non possint fieri nisi sexdecim combinationes per istas quatuor differentias 'universale—particulare', 'negativum—affirmativum', duodecim sunt inutiles et quatuor tantum utiles. Quarum exempla sunt ista 'nullus lapis est animal; omnis homo est animal; igitur nullus homo est lapis'; 'omnis homo est rationalis; nullus asinus est rationalis; igitur nullus asinus est homo'; 'nullus homo est lapis; quaedam substantia est lapis; igitur quaedam substantia non est homo'; 'omnis homo est animal; quaedam substantia non est animal; igitur quaedam substantia non est homo'.

Exempla coniugationum inutilium sunt ista 'omnis homo est animal; omnis asinus est animal; igitur omnis asinus est homo'. Et est inutilis, quia cum praemissis stat quod nullus asinus est homo. Et hoc exemplum sufficit ad probandum quod ex omnibus affirmativis, qualitercumque combinentur per universale et particulare, non contingit arguere in secunda figura, ex quo cum ambabus universalibus stat universalis negativa de eisdem extremis. Pro omnibus ex omnibus negativis sit illud exemplum 'nullum animal est albedo; nullus homo est albedo' et stat quod 'omnis homo est animal'. Et sic habemus octo coniugationes inutiles. Pro aliis quatuor sunt ista exempla 'quaedam substantia non est animal; omnis homo est animal' et stat quod 'omnis homo est substantia'; 'quaedam substantia est animal; nullus lapis est animal' et stat quod 'omnis lapis est substantia'. Et ista eadem exempla sufficiant ad probandum quod alii duo, quorum uterque est ex una particulari affirmativa et particulari negativa, non valent.

Et est sciendum quod praedicti quatuor modi ita tenent in terminis accidentalibus sicut in terminis substantialibus. Immo, nihil penitus refert ad bonitatem syllogismi an termini sint substantiales an accidentales, et ideo commutatio unius praedicamenti in aliud vel quale quid in hoc aliquid vel e converso non facit fallaciam figurae dictionis nec fallaciam accidentis in praedictis, dummodo aliae circumstantiae debite observentur. Et ideo in talibus nulla est fallacia 'omnis essentia divina intelligitur a me; nulla sapientia divina intelligitur a me; igitur nulla sapientia divina est essentia divina'; 'omnis intellectus divinus est principium producendi Filium; nulla voluntas divina est principium pro ducendi Filium; igitur nulla voluntas divina est intellectus divinus'; 'omnis voluntas divina est principium producendi Spiritum Sanctum; nullum velle divinum est principium producendi Spiritum Sanctum; igitur nullum velle divinum est voluntas divina'; 'nullum veniens

cognosatur a me; Coriscus cognoscitur a me; igitur Coriscus non est veniens'; 'nulla differentia individualis est realiter communicabilis; omnis natura specifica est realiter communicabilis; igitur nulla natura specifica est realiter differentia individualis'.

Verumtamen si aliquis terminorum positorum in praedictis syllogismis vel in aliquo eorum includat aequivalenter aliquod syncategorema, quo expresso syllogismus non teneret quia non convenienter ordinaretur in modo et in figura, tunc talis syllogismus non valet. Sed hoc posset ita contingere in terminis substantialibus sicut in accidentalibus. Unde sic arguendo 'omnis homo est risibilis; nulla humanitas est risibilis; ergo nulla humanitas est homo', non valet si li humanitas includat aequivalenter hoc syncategorema 'per se primo modo'. Et talis defectus posset hic assignari 'nullus homo est animal; omne risibile est animal; igitur nullum risibile est homo', scilicet per alicuius determinati syncategorematis inclusionem per aequivalentiam.

Ideo dicendum est quod sicut in prima figura, quando praemissae sunt dispositae in modo et in figura, non potest aliquis defectus plus assignari si omnes termini sint in genere accidentis, vel unus in genere substantiae et alius in genere accidentis, quam si omnes essent in genere substantiae vel omnes in aliquo uno praedicamento, ita etiam in secunda figura non plus peccat discursus quando fit in terminis accidentalibus praecise, vel ex uno termino substantiali et aliis accidentalibus sive e converso, quam si fieret in omnibus terminis substantialibus. Et ideo ubicumque servatur talis modus arguendi, est bonus syllogismus, nisi impediatur per aequivocationem vel per amphiboliam vel per compositionem et divisionem vel per accentum vel per hoc quod aliquis terminus est importans aliquam rem quae est plures res, cuiusmodi est essentia divina, vel per aliquem talem defectum, cuiusmodi ita potest inveniri in terminis substantialibus sicut in accidentalibus et e converso. Et ideo Philosophus, in libro Priorum, ad probandum aliquos modos coniugationum esse inutiles non tantum instat per terminos substantiales sed etiam per terminos accidentales, sicut per huiusmodi 'album', 'nigrum', 'corvus', 'currens', 'movens', 'animal' et huiusmodi; et ideo omnes syllogismi aequivalent in terminis accidentalibus sicut essentialibus. Et ideo errant qui volunt semper assignare fallaciam accidentis quando aliquid primo attribuitur rei subiectae et postea accidenti. Sic enim esset dicere quod hic esset fallacia accidentis 'omnis homo est animal; aliquod album est homo; igitur aliquod album est animal'; et hic 'nullus homo est albus; omne calidum est album; igitur nullum calidum est homo'. Quod nullus diceret, nisi qui ignoraret omnem modum arguendi.

Sciendum est etiam quod illae regulae quae dictae sunt prius circa primam figuram, sunt etiam servandae circa secundam. Et ideo tot modis potest fallere discursus in secunda figura et propter eosdem defectus propter quos in prima.

Intelligendum est quod sicut ex praemissis aliquando in prima figura sequuntur plures conclusiones, et propter hoc ponuntur aliqui modi concludentes indirecte, ita est etiam aliquando in secunda figura. Unde ex praemissis utriusque syllogismi universalis sequuntur quatuor conclusiones, scilicet duae directe, videlicet universalis

negativa et sua subalterna, et duae indirecte, scilicet conversa primae conclusionis universalis et subalterna ipsius. Ex praemissis autem syllogismorum particularium sequitur una conclusio sola, scilicet particularis negativa, quia illa non est convertibilis nec simpliciter nec per accidens. Sed ex praemissis de terminis transpositis et propositionibus transpositis non sequitur aliqua conclusio in secunda figura, quia tunc praemissae erunt in tertia figura dispositae.

3—1.11 DE REDUCTIONE SYLLOGISMORUM SECUNDAE FIGURAE IN QUATUOR MODOS PRIMAE FIGURA

Notandum est quod syllogismi in secunda figura non sunt ex se apparentes, sed habent reduci in syllogismos primae figurae, et hoc per conversionem vel per impossibile.

Per conversionem autem reducuntur tantum tres modi primi. Unde primus modus reducitur per solam conversionem maioris, quia conversa maiore fit syllogismus in prima figura, sicut de se patet. Et patet talis modus arguendi et reductio per conversionem per illam regulam 'quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens'. Secundus modus reducitur per conversionem minoris propositionis et transpositionem propositionum et conversionem conclusionis. Tertius modus reducitur per solam conversionem maioris.

Sed quartus modus non potest reduci per conversionem, quia si sua maior converteretur, praemissae disponerentur in prima figura, sed maior esset particularis, et ita per consequens non disponerentur in modo; minor autem non potest converti, cum sit particularis negativa, quae non potest converti. Sed iste quartus modus, sicut quilibet alius, reducitur per impossibile. Unde iste quartus modus reducitur in primum modum primae figurae arguendo ex contradictoria conclusionis et maiore, inferendo contradictoriam minoris. Ut si fiat talis syllogismus in quarto modo secundae figurae 'omnis homo est animal; quaedam substantia non est animal; igitur quaedam substantia non est homo' accipiatur contradictoria istius conclusionis 'quaedam substantia non est homo', quae est ista 'omnis substantia est homo', et arguatur sic 'omnis homo est animal; omnis substantia est homo; igitur omnis substantia est animal', quae est contradictors primae minoris. Et tenet omnis reductio per istam regulam 'oppositum consequentis non stat cum antecedente, igitur consequent bona'. Unde si talis syllogismus non valeret, tunc oppositum conclusionis staret cum praemissis. Sed hoc est falsum, quia tunc possent praemissae esse verae et tamen oppositum conclusionis simul esset verum; et per consequens oppositum conclusionis et una praemissarum non inferrent oppositum alterius praemissarum, quia oppositum staret. Et ita universaliter, quando ex opposito conclusionis cum altera praemissarum infertur oppositum alterius praemissae, semper est bonus discursus per hanc regulam 'oppositum consequentis non stat cum antecedente, igitur consequentia bona'.

Similiter primus modus secundae figurae reducitur in secundum modum primae figurae, arguendo ex contraria conclusionis, quae est universalis affirmativa,

et ponendo eam loco minoris, et maiore negativa, qua prius, inferendo contrariam minoris, quae erit universalis negativa.

Secundus modus reducitur in primum modum primae figurae, arguendo ex eadem maiore qua prius et contraria conclusionis, quae erit universalis affirmativa, inferendo contrariam minoris, quae erit universalis affirmativa.

Tertius modus reducitur in secundum modum primae figurae, arguendo ex eadem maiore et contradictoria conclusionis, inferendo contradictoriam minoris.

Sic igitur omnis syllogismus secundae figurac reducitur in syllogismos primae figurae, scilicet in duos primos modos, arguendo semper ex maiore qua prius et contraria vel contradictoria conclusionis, inferendo contrariam vel contradictoriam minoris, semper virtute istius regulae 'repugnans conclusionis non stat cum antecedente, igitur prima consequentia bona'..

Unde sciendum est quod numquam valet syllogismus in secunda figura nisi possit reduci in syllogismum primae figurae vel per conversionem vel per impossibile. Et propter hoc dictum est prius quod omnis syllogismus regulatur per dici de omni vel de nullo, immeddiate vel mediate.

3—1.12 DE SYLLOGISMO EX OBLIQUIS IN SECUNDA FIGURA

Ex istis, et dictis prius, potest patere quando syllogismus ex obliquis valet in secunda figura. Primo, quia si utraque praemissarum sit de obliquo a parte subiecti, sequitur conclusio de recto, sic 'nullum equum videt asinus; omnem hominem videt asinus; igitur nullus homo est equus'. Similiter sequitur 'cuiuslibet hominis est asinus; nullius rudibilis est asinus; igitur nullum rudibile est homo'.

Similiter, si utraque praemissarum habeat praedicatum obliquum, sequitur conclusio de recto, sic 'nullus asinus est hominis; omnis bos est hominis; igitur nullus bos est asinus'.

Similiter, si maior affirmativa sit in recto et minor habens subiectum obliquum, sequitur conclusio habens subiectum obliquum, sic 'omnis asinus est animal; nullius hominis est animal; igitur nullius hominis est asinus'.

Similiter, si maior sit de recto et minor negativa, habens praedicatum obliquum, sequitur conclusio habens praedicatum obliquum, sic 'omnis homo est animal; nullus asinus est animalis; igitur nullus asinus est hominis'.

Similiter, si maior sit negativa, habens subiectum obliquum, et minor de recto, sequitur conclusio habens praedicatum obliquum, sic 'nullum hominem videt asinus; omne rudibile est asinus; igitur nullum rudibile videt hominem'.

Similiter, si maior sit negativa, habens praedicatum obliquum. Et minor de recto, sequitur conclusio habens subiectum obliquum. Unde bene sequitur 'nullus homo videt asinum; omne rudibile est asinus; igitur nullum rudibile videt homo'. In aliis casibus non sequitur conclusio.

Praedicta patere possunt convertendo propositiones et reducendo in primam figuram vel arguendo ex opposito.

3—1.13 QUOMODO ALIQUANDO EX OMNIBUS AFFIRMATIVIS IN SECUNDA FIGURA EST BONUM ARGUMENTUM

Quamvis dictum sit superius quod ex affirmativis non contingit arguere in secunda figura, tamen ab illa regula generali sunt duo casus excipiendi. Primus est, si medius terminus sit terminus discretus: tunc enim ex duabus affirmativis contingit inferre conclusionem affirmativam; sicut bene sequitur 'omnis homo est Sortes; Plato est Sortes; igitur Plato est homo'. Et potest talis syllogismus probari, quia conversis propositionibus erit syllogismus expositorius in tertia figura.

Secundus casus est quando terminus medius sumitur cum signo universali: tunc enim semper contingit inferre conclusionem affirmativam in qua maior extremitas praedicatur de minore<refAmanuensis codicis D hic notat in margine: 'Haec probatio non concludit necessario'.</ref>. Bene enim sequitur 'omnis homo est omne risibile; Sortes est omne risibile; igitur Sortes est homo'. Iste autem discursus probatur per hoc quod semper talis propositio maior convertitur in unam universalem affirmativam, qua conversione facta patet quod discursus est in prima figura, regulatus per dici de omni. Bene enim sequitur 'aliquis homo est omne animal, igitur omne animal est homo'. Et ita talis discursus est bonus in secunda figura 'omne musicum est omnis homo; Sortes est omnis homo vel Sortes est homo; igitur Sortes est musicus'. Nam conversa ista maiore 'omne musicum est omnis homo' in istam 'omnis homo est musicus' syllo gismus regulabitur per dici de omni in prima figura, sic arguendo 'omnis homo est musicus; Sortes est homo; igitur Sortes est musicus'.

Et est sciendum quod in duobus praedictis casibus non solum contingit arguere ex affirmativis universalibus, sed etiam contingit arguere ex omnibus affirmativis particularibus. Et eodem modo probantur syllogismi tales ex particularibus sicut ex universalibus.

Et ideo tales regulae generales 'ex particularibus nihil sequitur', 'oportet alteram praemissarum in secunda figura esse negativam' intelligendae sunt; quod non semper contingit arguere ex particularibus nec semper ex affirmativis. Tamen in praedictis casibus contingit arguere tam ex particularibus quam ex affirmativis. Et tenet talis discursus non gratia materiae sed gratia formae, quia in omni materia, observato quod medius terminus sit terminus discretus vel sumptus cum signo universali in maiori, discursus erit bonus.

3—1.14 DE SYLLOGISMIS FACTIS IN TERTIA FIGURA ET SUFFICIENTIA MODORUM

Post haec videndum est quomodo in tertia figura fit syllogismus.

Est autem primo sciendum quod in tertia figura numquam potest concludi conclusio universalis. Quod enim universalis affirmativa non possit concludi in tertia figura, patet, nam duo superiora, ordinata secundum superius et inferius, possunt universaliter praedicari de eodem contento; igitur ex hoc quod aliqua praedicantur universaliter de eodem contento, non potest haberi quod unum praedicatur universaliter de reliquo.

Quod etiam universalis negativa non possit concludi, patet, nam de eodem subiecto potest unum ordinatorum secundum superius et inferius universaliter negari et reliquum universaliter affirmari. Sicut de animali universaliter negatur lapis et universaliter affirmatur substantia, et tamen lapis et substantia se habent secundum superius et inferius; igitur ex talibus praemissis numquam potest concludi unum extremum universaliter negari a reliquo.

Secundo sciendum est quod in tertia figura semper debet minor esse affirmativa, ita quod nullo modo potest esse negativa. Et ratio est ista: quia de eodem potest primo aliquod superius praedicari universaliter et postea inferius removeri universaliter, et tamen ex hoc non potest concludi superius removeri ab inferiori nec universaliter nec particulariter. Unde animal praedicatur de homine universaliter et asinus removetur ab homine universaliter, et tamen animal non negatur ab homine nec universaliter nec particulariter.

Ex praedictis et duobus principiis communibus omni figurae, quorum unum est quod 'semper altera praemissarum debet esse universalis vel singularis' et aliud quod 'altera praemissarum debet esse affirmativa' sequitur quod non sunt nisi sex modi utiles in tertia figura. Nam sicut in aliis figuris per istas quatuor differentias 'universale—particulare', 'affirmativum—negativum' possunt fieri tantum sexdecim combinationes, scilicet octo, in quibus semper utraque praemissarum est negativa vel utraque est particularis; restant igitur aliae. Quia si utraque sit universalis et altera affirmativa, aut utraque est affirmativa, et habetur primus modus. Aut maior est negativa et minor affirmativa, et habetur secundus modus; aut e converso, et est modus peccans contra principium proprium istius figurae. Si autem non utraque praemissarum sit universalis sed altera, tunc aut maior est universalis et minor particularis vel e converso. Si primo modo, aut maior est affirmativa et minor negativa, et non valet, sicut patet; aut e converso, et habetur sextus modus; aut utraque est affirmativa, et habetur quartus modus. Si autem maior sit particularis et minor universalis, aut utraque est affirmativa, et est tertius modus; aut maior est negativa et minor affirmativa, et est quintus modus; aut maior est affirmativa et minor negativa, et non valet, quia peccat contra principium proprium istius figurae.

Exempla praedictorum possunt esse ista: ‘omnis homo est animal; omnis homo est substantia; igitur aliqua substantia est animal’; ‘nullus homo est asinus; omnis homo est animal; igitur quoddam animal non est asinus’; ‘quidam homo est animal; omnis homo est substantia; igitur quaedam substantia est animal’; ‘omnis homo est animal; quidam homo est substantia; igitur quaedam substantia est animal’; ‘aliquis homo non est asinus; omnis homo est animal; igitur quoddam animal non est asinus’; ‘nullus homo est asinus; quidam homo est animal; igitur quoddam animal non est asinus’.

Sciendum est etiam quod praedicti modi ita tenent in terminis accidentalibus quibuscumque sicut in terminis substantialibus. Unde tales syllogismi sunt boni ‘nullus homo est ens per accidens; aliquis homo est homo albus; igitur aliquis homo albus non est ens per accidens’; ‘nullus homo distinguitur secundum rationem ab homine; aliquis homo est homo albus; igitur homo albus non distinguitur secundum rationem ab homine’; ‘nulla essentia divina distinguitur secundum rationem ab essentia divina; essentia divina est sapientia divina; igitur sapientia divina non distinguitur secundum rationem ab essentia divina’; ‘omnis intellectus speculativus informatur habitu speculativo; intellectus speculativus est intellectus practicus; igitur intellectus practicus informatur habitu speculativo’.

Verumtamen in quibusdam praedictis potest assignari fallacia aequivocationis; sed hoc non obstat quin ita teneat forma syllogistica in terminis accidentalibus sicut in terminis substantialibus, quia talis defectus, scilicet aequivocatio, potest contingere quando termini sunt substantiales. Et ideo si de praedictis vel aliquo consimili inveniatur in aliquo auctore quod praemissae sunt verae et conclusio falsa, auctoritates sunt glossandae: vel quod loquuntur aequivoce vel non de virtute sermonis. Unde quando arguitur sic ‘nullus homo distinguitur ratione ab homine; homo est homo albus; igitur homo albus non distinguitur. ratione ab homine', conclusio potest distingui, eo quod li homo albus potest supponere personaliter et significative, et tunc est discursus bonus et conclusio vera; vel potest supponere materialiter vel simpliciter, et tunc syllogismus non valet, propter hoc quod unus terminus aequivoce accipitur in una praemissa et in conclusione. Et sicut dictum est de ista, ita potest de multis aliis consimiliter dici.

Notandum est etiam quod regulae datae de prima figura et secunda sunt etiam servandae in tertia. Et propter hoc iste discursus non valet ‘omnis homo est animal; tantum homo est risibilis; igitur tantum risibile est animal’, et ita est de aliis.

Notandum est etiam quod sicut in prima figura aliqui modi concludunt indirecte, ita etiam in tertia figura. Nam quilibet modus affirmativus concludit duas conclusiones, scilicet unam directam et suam conversam, modi autem negativi concludunt tantum unam, quia particularis negativa non convertitur.

Sciendum est etiam quod omnes syllogismi tertiae figurae reducuntur in primam figuram, vel per conversionem vel per impossibile. Unde primus modus reducitur in tertium primae per conversionem minoris. Secundus reducitur in quartum modum

per conversionem minoris. Tertius reducitur in tertium per conversionem maioris et transpositionem propositionum et conversionem conclusionis. Quartus reducitur per conversionem minoris. Sextus reducitur per conversionem minoris. Sed quintus modus non potest reduci per conversionem, quia non est in eo aliqua propositio convertibilis nisi universalis affirmativa, quae non convertitur nisi in particularem, et tunc in syllogismo in prima figura utraque praemissa esset particularis; quod non est verum. Et ideo iste modus reducitur praecise per impossibile, sicut etiam omnes alii per impossibile reducuntur. Unde sciendum quod quilibet syllogismus factus in tertia figura reducitur in primam figuram, arguendo ex opposito contradictorie conclusionis et minore, inferendo oppositum contradictorie maioris. Et tenet talis reductio per istam regulam 'oppositum conclusionis non stat cum antecedente, igitur consequentia bona'.

Sciendum est tamen quod si in quinto modo maior esset singularis, posset reduci per conversionem minoris. Verumtamen talis syllogismus non plus deberet poni in isto quinto modo quam, in secundo, propter hoc quod singularis non plus convenit cum particulari quam cum universali sed minus.

3—1.15 DE SYLLOGISMIS EX OBLIQUIS IN TERTIA FIGURA

Quantum ad syllogismos ex obliquis in tertia figura est sciendum quod in primo modo possunt fieri octo combinationes: quia aut utraque praemissarum est de obliquo aut altera. Si utraque, aut obliquitas est a parte subiecti in utraque aut a parte praedicati in utraque, aut a parte subiecti in maiore et a parte praedicati in minore, aut a parte praedicati in maiore et a parte subiecti in minore. Si primo modo, syllogismus non valet: non enim sequitur 'cuiuslibet hominis est asinus; cuiuslibet hominis est leo; igitur leo est asinus vel leo est asini'. Si secundo modo, non valet, quia non sequitur 'omnis asinus est Sortis; omnis asinus est Platonis; igitur Plato est Sortes vel Sortis'. Tamen si conclusio resolvatur sic 'aliquid, quod est Platonis est Sortis', est consequentia bona. Si tertio modo, non sequitur, sicut non sequitur formaliter 'omnem hominem videt asinus; omnis homo videt bovem; igitur bovem videt asinus vel est asinus'. Si altera praemissarum sit de obliquo, aut maior aut minor. Si maior, aut habet praedicatum obliquum, et tunc bene tenet; sicut sequitur 'omnis asinus est hominis; omnis asinus est animal; igitur aliquod animal est hominis'; aut habet subiectum obliquum, et valet; sicut bene sequitur 'cuiuslibet hominis est asinus; omnis homo est animal; igitur alicuius animalis est asinus'. Si autem. minor sit de obliquo, aut de praedicato obliquo, et valet; sicut bene sequitur 'omnis asinus est animal; omnis asinus est hominis; igitur hominis est animal'. Aut est de subiecto obliquo, et sequitur conclusio de praedicato obliquo; sicut bene sequitur 'omnis homo est animal; aliquem hominem videt asinus; igitur aliquis asinus videt animal'.

Praedictae combinationes possunt fieri circa secundum modum. Primo modo sequitur conclusio in recto, sic 'nullius hominis est asinus; cuiuslibet hominis est leo; igitur aliquis leo non est asinus'. Secundo etiam modo sequitur conclusio in recto 'nullus asinus est Sortis; omnis asinus est Platonis; igitur Plato non est Sortes'. Sed

tertio modo non valet; non enim sequitur 'nullum hominem videt asinus; omnis homo videt rudibile; igitur rudibile non videt asinum vel non est asinus'. Si quarto modo, non sequitur; sicut non sequitur 'nullus homo videt asinum; omnem hominem videt rudibile; igitur aliquod rudibile non videt asinum vel non est asinus'. Quinto modo tenet, nam sequitur 'nullus asinus est hominis; omnis asinus est animal; igitur aliquod animal non est hominis'. Sexto modo tenet, sicut patet. Septimo modo non tenet; non enim valet 'nullus asinus est bos; omnis asinus est hominis; igitur alicuius hominis non est bos'. Octavo modo non valet; non enim sequitur 'nullus homo est asinus; aliquem hominem videt bos; igitur aliquis bos non videt asinum.

Per praedictum modum potest leviter sciri quando syllogismus ex obliquis valet in aliis modis tertiae figurae et quando non.

Ultimo, pro tota ista parte de syllogismis et pro sequentibus est sciendum quod numquam refert ponere indefinitam pro particulari vel e converso quando termini supponunt personaliter et significative, quia si termini tam particularis quam indefinitae supponant personaliter, generaliter — sine instantia — particularis et indefinita convertuntur.

3—1.16 DE SYLLOGISMIS EXPOSITORIIS IN TERTIA FIGURA

Praeter praedictos syllogismos fiunt syllogismi expositorii, de quibus est nunc dicendum.

Unde sciendum est quod syllogismus expositorius est qui est ex duabus praemissis singularibus, dispositis in tertia figura, quae tamen possunt inferre conclusionem tam singularem quam particularem seu indefinitam sed non universalem, sicut nec duae universales in tertia figura possunt inferre universalem.

Sed intelligendum est quod ad propositionem singularem, quae debet esse in syllogismo expositorio, requiritur quod subiectum supponat pro aliquo quod non est plures res quaecumque, nec est idem realiter cum aliquo quod est plures res, sive relativae sive absolutae, et praecise pro uno tali. Si autem subiectum, sive sit pronomen demonstrativum sive nomen proprium sive pronomen demonstrativum sumptum cum aliquo termino addito, supponat pro aliquo quod quamvis sit unicum et simplex et unum numero et singularissimum et tamen est plures res, non tenet consequentia per rationem syllogismi expositorii. Cuius ratio est, quia sicut quando terminus subiectus est communis non valet consequentia arguendo ex particularibus, propter hoc quod terminus supponit pro diversis et ita una propositio potest verificari pro uno et alia pro alio, ita quando illud quod demonstratur est plures res, poterit una propositio verificari pro una illarum rerum et alia pro alia, et per consequens non contingit inferre praedicatum primae propositionis de praedicato secundae. Unde sicut non sequitur 'homo est Sortes; homo est Plato; ergo Plato est Sortes', ita si haec humanitas una numero esset Sortes et Plato, et simul cum hoc Sortes et Plato essent plures homines, non sequeretur 'haec humanitas est Sortes;

haec humanitas est Plato; igitur Plato est Sortes'. Et hoc quia haec propositio 'haec humanitas est Plato' verificaretur quia Plato est Plato, et haec propositio 'haec humanitas est Sortes' verificaretur quia Sortes est Sortes, et propter hoc haec humanitas est tam Sortes quam Plato.

Ex isto patet quare iste syllogismus non est expositorius 'haec essentia est Pater; haec essentia est Filius; igitur Filius est Pater', quia scilicet haec essentia est plures personae distinctae. Similiter iste syllogismus non est expositorius 'hic Pater est essentia; hic Pater non est Filius; igitur Filius non est essentia'; et hoc quia Pater est realiter divina essentia, quae est tres personae distinctae realiter.

Est tamen sciendum quod aliquando talis modus arguendi tenet de illis terminis, quamvis non per virtutem syllogismi expositorii sed per aliam rationem, de qua tactum est prius.

Est igitur dicendum quod syllogismus expositorius est quando arguitur ex duabus singularibus in tertia figura, quarum singularium subiectum supponit pro aliquo uno numero quod non est plures res, nec est idem realiter cum aliquo quod est plures res. Et quia in creaturis nulla una res numero est plures res realiter quaecumque, ideo generaliter quando arguitur ex propositionibus singularibus praedicto modo, fit syllogismus expositorius, hoc addito quod minor sit affirmativa. Quia si minor sit negativa, non valet syllogismus; sicut non sequitur 'Sortes est animal; Sortes non est Plato; igitur Plato non est animal'; et propter eandem rationem propter quam dictum est quod minor in tertia figura non potest esse negativa. Sed si minor sit affirmativa, sive maior sit affirmativa sive negativa, semper est bonus syllogismus. Unde omnes tales syllogismi sunt boni 'Sortes non est aggregatum per accidens; Sortes est homo albus; igitur homo albus non est aggregatum per accidens', si termini supponant semper personaliter et significative. Similiter sequitur 'Sortes non distinguitur a Sorte; Sortes est Sortes albus; igitur Sortes albus non distinguitur a Sorte'; 'Coriscus cognoscitur a te; Coriscus est veniens; igitur veniens cognoscitur a te'; 'Sortes est alter a veniente; Sortes est veniens; igitur veniens est alter a veniente'; 'hoc est Sortes; — demonstrando quoddam singulare, ita tamen quod sit unum et non plura —; hoc est asinus; igitur aliquis asinus est Sortes'. Et universaliter in talibus non potest assignari fallacia accidentis, sicut aliqui assignant, non plus quam hic 'Sortes est homo; Sortes est animal; igitur animal est homo'. Et ideo multum errant qui in talibus assignant fallaciam accidentis et destruunt omnem modum arguendi et omnem disputationem.

Notandum est hic quod, quamvis syllogismus expositorius sit in tertia figura tantum, tamen arguendo in secunda figura ex duabus praemissis affirmativis in quibus ponitur terminus singularis, est bonus syllogismus, secundum quod dictum est. Sicut bene sequitur 'homo est Sortes; animal est Sortes; igitur animal est homo'. Et probatur iste syllogismus per conversionem maioris, sic: ista 'homo est Sortes' convertitur in istam 'Sortes est homo'; nunc autem sequitur in prima figura 'Sortes est homo; animal est Sortes; igitur animal est homo', quia dictum est prius, quod in prima figura non refert an maior sit universalis an singularis. Sed si altera

praemissarum talium in secunda figura sit negativa, discursus non valet, quia non sequitur ‘aliquod animal non est Sortes; homo est Sortes; igitur aliquis homo non est animal’. Nec valet ‘aliquod animal est Sortes; aliquis homo non est Sortes; igitur aliquis homo non est animal’. Nec potest aliquis istorum discursuum probari, sicut probatur primus. Non primus istorum; quia maior, cum sit particularis negativa, non convertitur; nec secundus potest probari, quia minor in prima figura non potest esse negativa.

Sic igitur patet quod aliquis discursus in secunda figura valet ex omnibus affirmativis, sed iste discursus non disponitur in aliquo praedictorum modorum. Patet etiam quod aliquis discursus ex omnibus particularibus tenet, sed de talibus non loquitur Philosophus in libro Priorum

3—1.17 DE SYLLOGISMIS EX PROPOSITIONIBUS DE PRAETERITO ET DE FUTURO IN PRIMA FIGURA

Iam visum est qualiter syllogizandum est ex propositionibus de praesenti et de inesse; nunc videndum est quomodo est syllogizandum ex propositionibus de praeterito et de futuro.

Unde sciendum est quod quando medius terminus est terminus communis, si subiectum maioris supponit pro his quae sunt, minor debet esse de praesenti et non de futuro nec de praeterito. Nam si minor propositio esset de praeterito et non de praesenti, non regularetur talis syllogismus per dici de omni vel de nullo, quia in maiore universali de praeterito subiecto, supponente pro his quae sunt, non denotatur quod de quocumque dicitur subiectum per verbum de praeterito quod de eodem dicatur vel removeatur praedicatum per verbum de praeterito, sed denotatur quod de quocumque dicitur subiectum per verbum de praesenti quod de eodem dicatur praedicatum vel removeatur per verbum de praeterito. Et ideo sumendo sub minorem de praeterito, non arguitur per dici de omni vel de nullo, sed sumendo sub minorem de praesenti, arguitur per dici de omni vel de nullo. Unde sic arguendo ‘omne album fuit Sortes; — si album supponat praecise pro his quae sunt alba —; Plato fuit albus; ergo Plato fuit Sortes’ non valet, sed est fallacia accidentis et etiam fallacia figurae dictionis. Sed sic arguendo ‘omne album fuit Sortes; Plato est albus; ergo Plato fuit Sortes’ est bonus syllogismus, regulatus per dici de omni.

Si autem subiectum maioris supponat pro his quae fuerunt, tunc non debet accipi sub minor de praesenti, quia sicut manifeste patet, non arguitur per dici de omni vel de nullo; sed debet sumi sub minor de praeterito, et non refert sive subiectum minoris supponat pro his quae sunt sive pro his quae fuerunt. Unde iste syllogismus non valet ‘omne album fuit homo; asinus est albus; igitur asinus fuit homo’. Ponatur enim quod nihil fuerit album ante nunc nisi homo et quod multi asini sint modo albi, tunc haec est vera 'omne album fuit homo' sub hoc sensu ‘omne quod fuit album, fuit homo’; et haec etiam est vera ‘asinus est albus’ et haec est falsa ‘asinus fuit homo’. Sed iste syllogismus est bonus ‘omne album fuit homo; asinus fuit albus; igitur asinus fuit homo’, et regulatur per dici de omni.

Ex istis potest patere solutio aliquorum sophismatum quae peccant per fallaciam figurae dictionis, puta talium 'quidquid fuit homo, hodie est animal; aliquod album fuit homo; igitur aliquod album hodie est animal'; 'quidquid vidisti, hodie tetigisti; album vidisti; igitur album hodie tetigisti'. Unde ad videndum an sit fallacia figurae dictionis et fallacia accidentis in talibus, videndum est an subiectum minoris supponat pro his quae sunt, et tunc est fallacia accidentis; vel pro his quae fuerunt, et tunc non est fallacia, sed regulatur per dici de omni, vel potest reduci in talem syllogismum per expositionem propositionum.

Ista quae dicta sunt de propositionibus de praeterito, proportionaliter sunt servanda circa propositiones de futuro. Nam si subiectum maioris accipiatur pro his quae erunt, minor debet esse de futuro; si accipiatur pro his quae sunt, minor debet esse de praesenti.

Est etiam intelligendum quod quando maior est de praesenti, numquam minor debet esse de praeterito vel de futuro, nisi a parte subiecti maioris exprimatur verbum de praeterito vel de futuro; et tunc minor debet esse singularis, vel subiectum debet accipi pro eo quod est, et hoc sive subiectum sit terminus communis sive sit pronomen demonstrativum cum termino communi sumptum. Si enim subiectum accipiatur pro eo quod fuit, non valet discursus; sicut non sequitur 'omne, quod fuit album, est homo; nigrum fuit album; ergo nigrum est homo', et est fallacia accidentis in talibus. Quando tamen in talibus est fallacia figurae dictionis, patebit inferius.

Propter protervos vero est intelligendum quod quamvis talis propositio sit vera 'Sortes fuit albus', quamvis Sortes non sit, tamen tali discursus est bonus 'quidquid fuit album est animal; Sortes fuit albus; igitur Sortes est animal'. Tamen sic arguendo 'quilibet homo, qui fuit albus, est animal; Sortes fuit albus; igitur Sortes est animal' non tenet, et hoc quia in ista 'quilibet homo, qui fuit albus, est animal' li homo non supponit pro his quae sunt homines. Haec dicta sunt de talibus syllogismis in prima figura.

3—1.18 DE SYLLOGISMIS IN SECUNDA FIGURA EX PROPOSITIONIBUS DE PRAETERITO ET DE FUTURO

Circa syllogismos in secunda figura ex illis de praeterito et de futuro est sciendum quod quamvis in prima figura si maior sit de praeterito, sive subiectum supponat pro his quae sunt sive pro his quae fuerunt, non sequatur conclusio de praesenti sed tantum de praeterito, tamen aliquando ex ambabus praemissis de praeterito in secunda figura sequitur conclusio de praesenti.

Unde sciendum quod quando ambae praemissae sunt de praeterito in secunda figura et utriusque subiectum supponit pro his quae sunt, semper sequitur conclusio de praesenti et non de praeterito. Sicut sequitur 'nullum album fuit homo; omne nigrum fuit homo; igitur nullum nigrum, est album', si subiectum utriusque accipiatur pro his quae sunt, quia ex opposito conclusionis et maiore sequitur

oppositum minoris in prima figura, sicut ostensum est prius. Sed illa de praeterito non sequitur, quia si sequeretur, tunc ex opposito conclusionis et maiore sequeretur oppositum minoris in prima figura, et per consequens in prima figura sub maiore, in qua subiectum supponit pro his quae sunt, contingeret accipere sub unam minorem de praeterito; quod ostensum est esse falsum. Quod etiam talis discursus non valeat, patet per instantiam in terminis. Nam ponatur quod nihil currat nisi homo et quod nihil sit album nisi asinus et quod multi asini prius currebant, tunc haec est vera 'omne currens fuit homo', quia omne, quod currit, fuit homo, per casum; similiter haec est vera 'nullum album fuit homo', sumpto albo pro his quae sunt, quia quaelibet singularis est vera; et tamen haec est falsa 'nullum album fuit currens' sive album supponat pro his quae sunt sive pro his quae fuerunt.

Si autem subiectum utriusque supponat pro his quae fuerunt, tunc sequitur conclusio de praeterito, quia ex opposito conclusionis et maiore sequitur oppositum minoris. Per idem patet quod si subiectum maioris supponat pro his quae fuerunt, sequitur conclusio de praeterito.

Sciendum est hic quod non quilibet syllogismus talis in secunda figura est reducibilis in syllogismum primae figurae per conversionem, sine omni variatione vocis praeter solam transpositionem terminorum, sed si debet reduci per conversionem, debent propositiones converti illo modo quo dictum est prius de conversione talium propositionum.

3—1.19 DE SYLLOGISMIS IN TERTIA FIGURA EX PROPOSITIONIBUS DE PRAETERITO ET DE FUTURO

In tertia figura, si subiectum utriusque praemissae accipiatur uniformiter, semper sequitur conclusio de praeterito, subiecto conclusionis accepto pro eo quod fuit; quia ex opposito conclusionis, quae erit de praeterito et cuius subiectum supponit pro his quae fuerunt, et minore de praeterito sequitur conclusio de praeterito, in qua subiectum eodem modo supponet sicut supponit in minore, quia — per casum — subiectum praemissarum supponit uniformiter in utraque praemissa primi syllogismi.

Propter quod sciendum quod quando arguitur ex omnibus de praeterito in prima figura, subiectum conclusionis debet habere eandem acceptionem in conclusione et in minore. Si autem subiectum in una supponat pro his quae sunt et in alia pro his quae fuerunt, tunc si supponat pro his quae sunt in maiore et pro his quae fuerunt in minore, tunc nulla conclusio sequitur. Sicut non sequitur 'omne album fuit currens; omne album fuit nigrum; igitur nigrum fuit currens'. Nam ponatur quod omne, quod unquam fuit nigrum, fuit lignum, et quod tantum lignum fuit nigrum, et quod homo modo primo sit albus, et quod quilibet homo, qui est modo albus, currebat, tunc haec est vera 'omne album fuit currens', quia omne, quod est album, fuit currens; et haec est vera 'omne album fuit nigrum', quia omne, quod fuit album, fuit nigrum; et tamen haec est falsa 'aliquod nigrum fuit currens', sive 'nigrum' accipiatur pro his quae sunt sive pro his quae fuerunt. Et ita non

sequitur conclusio de praeterito, nec sequitur conclusio de praesenti, sicut manifeste patet.

Si autem supponat pro his quae fuerunt in maiore et in minore pro his quae sunt, sic nulla conclusio sequitur. Nam ponatur quod homo tantum fuerit albus et quod modo nihil sic album nisi lignum, tunc sunt istae praemissae verae 'omne album fuit homo; omne album fuit lignum', et tamen. haec est falsa 'aliquod lignum fuit homo'.

Ex quo sequitur quod ex maiore de praeterito et minore de praeterito, subiecto supponente pro his quae sunt, non sequitur conclusio de praeterito, subiecto supponente pro his quae fuerunt. Si autem maior sit de praeterito et minor de praesenti, si subiectum maioris supponat pro his quae sunt, sequitur conclusio de praeterito, subiecto conclusionis supponente pro his quae sunt; quia ex opposito conclusionis et minore sequitur in prima figura oppositum maioris, sicut patet ibidem. Si autem subiectum maioris supponat pro his quae fuerunt, nulla sequitur conclusio. Nam ponatur quod nihil fuerit nigrum nisi homo, et quod nihil sit nigrum nisi corvus, tunc non sequitur 'omne nigrum fuit homo; omne nigrum est corvus; igitur corvus est homo'.

Si autem maior sit de praesenti et minor de praeterito, tunc nulla conclusio sequitur, quia ex opposito conclusionis et minore non sequitur oppositum maioris in prima figura. Sciendum est etiam quod si maior sit de praeterito et minor de praesenti, sive subiectum maioris supponat pro his quae sunt sive pro his quae fuerunt, nulla sequitur conclusio; quia ex opposito conclusion et maiore non sequitur oppositum minoris in prima figura, quia quando maior est de praeterito in prima figura, non sequitur conclusio de praesenti. Si autem in hac tertia figura maior sit de praesenti et minor de praeterito, nulla sequitur conclusio, quia ex opposito non sequitur, cum maior in prima figura non debeat esse de praesenti respectu conclusionis de praeterito.

3—1.20 DE UNIFORMI GENERATIONE SYLLOGISMORUM EX PROPOSITIONIBUS DE NECESSARIO IN PRIMA FIGURA

Tractatum est prius de uniformi generatione syllogismorum de inesse, et specialiter quando nulla adverbialis determinatio ponitur in praemissa, ideo nunc restaret dicere de syllogismis recipientibus aliquam talem adverbialem determinationem; sed quia eaedem regulae observandae sunt circa tales adverbiales determinationes et alias eis aequivalentes et circa determinationes modales in propositionibus acceptis in sensu divisionis vel eis aequivalentibus, ideo non oportet de eis separatim tractare.

Sed dicendum est post praedicta de uniformi generatione syllogismorum modalium. Et primo dicendum est de uniformi ex illis de necessario.

Et est primo sciendum quod, sicut dictum est frequenter, quando dictum propositionis ponitur cum modo, illa propositio est distinguenda penes

compositionem et divisionem vel secundum amphiboliam. In sensu compositionis denotatur quod ille modus praedicetur de illa propositione tota; in sensu divisionis denotatur quod praedicatum praedicetur de subiecto mediante verbo determinato per talem modum vel mediante verbo tali modali. Sicut per istam 'album esse nigrum est possibile' in sensu compositionis denotatur quod iste modus 'possibile' verificatur de ista tota propositione 'album est nigrum'; in sensu divisionis denotatur quod hoc praedicatum 'nigrum' verificatur de hoc subiecto 'album' mediante hoc verbo 'est', determinate uno adverbio vel aliqua alia determinations aequivalente, correspondente tali modo, vel mediante verbo correspondente, adiecto hoc infinitivo 'esse', sic 'album potest esse nigrum'. Et manifestum est quod isti sensus multum differunt, quia unus est verus et alius falsus. Et sicut est de praedicta propositione, ita, proportionaliter, dicendum est de aliis.Quamvis ista distinctio communis possit sustineri, nec velim eam improbare, tamen potest aliter distingui, et forte magis artificialiter, eo quod dictum propositionis potest sumi materialiter, et tunc non supponit pro se sed pro propositione cuius est dictum. Et iste sensus est idem cum illo qui ponitur sensus compositionis. Vel potest sumi significative, et tunc est idem sensus cum sensu divisionis. Sed quia sive distinguatur uno modo sive alio, non est variatio quantum ad veritatem et falsitatem propositionum nec quantum ad modum arguendi, ideo volo uti communi distinctione in processu.

Unde circa primam figuram est sciendum quod quando praemissae de necessario sunt acceptae in sensu compositionis, vel accipiuntur aliquae aequivalentes talibus propositionibus in sensu compositionis, semper est bonus syllogismus, inferens conclusionem consimilem quantum ad sensum compositionis vel aequivalentem. Unde iste syllogismus est bonus 'omnem hominem esse animal est necessarium; Sortem esse hominem est necessarium; igitur Sortem esse animal est necessarium'. Similiter iste syllogismus est bonus 'haec est necessaria: omnis homo est animal; haec est necessaria: Sortes est homo; igitur haec est necessaria: Sortes est animal'. Et tenet talis discursus per istam regulam 'praemissae in syllogismo regulato per dici de omni vel de nullo sunt necessariae igitur conclusio est necessaria'. Utrum autem debeat did quod talis syllogismus 'omnem hominem esse animal est necessarium; Sortem esse hominem est necessarium; igitur Sortem esse animal est necessarium' sit syllogismus ex universalibus vel non, non est magna cura, quia haec est magis difficultas vocalis quam realis. Vocando enim syllogismum ex universalibus omnem syllogismum habentem propositionem universalem, quae ideo dicatur universalis propositio quia subiectum propositionis materialis sumitur cum signo universali, sic manifestum est quod praedictus syllogismus est ex universalibus; et sic vocat Philosophus propositionem universalem et syllogismum ex universalibus in libro Priorum. Sic igitur circa tales syllogismos non est difficultas quando propositiones sunt acceptae in sensu compositionis vel eis aequivalentes, quin sequatur conclusio tam directa quam indirecta, sicut in illis de inesse. Sed quando omnes propositiones sumuntur in sensu divisionis vel etiam eis aequivalentes, tunc semper sequitur conclusio directa, sed non semper sequitur conclusio indirecta. Primum patet, quia omnis syllogismus talis regulatur per dici de omni vel de nullo. Nam per propositionem talem universalem denotatur quod de quocumque dicitur

subiectum quod de eodem dicitur praedicatum. Sicut per istam 'omnis homo de necessitate est animal' denotatur quod de quocumque dicitur hoc subiectum 'homo' quod de eodem dicitur de necessitate hoc praedicatum 'animal'. Et ita est, proportionaliter, de universali negativa. Igitur accipiendo sub minorem affirmativam, in qua subiectum dicatur de aliquo cum modo necessitatis, arguitur per dici de omni vel de nullo. Unde bene sequitur 'omnis homo de necessitate est animal; Sortes de necessitate est homo; igitur Sortes de necessitate est animal'. Sed conclusio indirecta, scilicet conversa conclusionis sine omni variatione praeter transpositionem terminorum, non sequitur; et hoc quia non semper illa de necessario in sensu divisionis, nec aequivalens ei, est convertibilis in talem, sicut ostensum est prius. Et ideo quamvis sequatur 'quaelibet persona divina de necessitate est Deus; creans de necessitate est persona divina; igitur creans de necessitate est Deus', tamen ista conclusio 'Deus de necessitate est creans' non sequitur, quia praemissae sunt verae et conclusio falsa. Sed sequitur ista conclusio indirecta, conversa prioris conclusionis, 'aliquid, quod de necessitate est Deus, est creans'.

Ex isto sequitur quod illi quinque modi primae figurae, concludentes indirecte, non. concludunt in uniformi de necessario conclusionem de necessario, praemissis sumptis in illo sensu. Si autem praemissae sumantur in sensu divisionis vel aequivalentes eis et conclusio in sensu compositionis vel aequivalens ei, non valet discursus. Sicut non sequitur 'quaelibet persona divina de necessitate est Deus; creans de necessitate est persona divina; igitur haec est necessaria: creans est Deus', quia praemissae sunt verae et conclusio falsa.

Et si dicatur quod minor propositio est falsa, ista scilicet 'creans de necessitate est persona divina', nam possibile est quod creans non sit Deus, dicendum est quod haec est simpliciter vera 'creans de necessitate est persona divina', quamvis sit contingens et possit esse falsa. Nam per istam propositionem 'creans de necessitate est persona divina' non plus denotatur nisi quod aliquis est creans et ipse de necessitate est Deus, ut ista 'creans de necessitate est Deus' aequivaleat isti copulativae 'aliquis est creans et ipse de necessitate est Deus', sicut ista 'album potest esse nigrum' aequivalet isti copulativae 'aliquid est album et illud potest esse nigrum'. Sed manifestum est quod ista copulativa potest esse vera 'aliquis est creans et ipse de necessitate est Deus', quia Pater est creans et ipse de necessitate est Deus; igitur ista est modo vera 'creans de necessitate est Deus'. Sicut tamen copulativa potest esse falsa, eo quod prima pars potest esse falsa, ita ista 'creans de necessitate est Deus' potest esse falsa, tamen modo de facto est vera. Nec est inconveniens propositionem veram de necessario esse contingentem, quamvis propositio necessaria non sit contingens.

Si autem maior sumatur in sensu compositionis vel aequivalens et minor in sensu divisionis, sequitur conclusio in sensu divisionis et non in sensu compositionis. Primum patet, quia bene sequitur 'haec est necessaria: quaelibet persona divina est Deus; creans de necessitate est persona divina; igitur creans de necessitate est Deus', sed non sequitur ista 'igitur haec est necessaria: creans est Deus'.

Si autem maior sumatur in sensu divisionis vel aequivalens et minor in sensu compositionis, sequitur conclusio in sensu divisionis et in sensu compositionis. Et ratio est ista: quia impossibile est aliquid per se inferius vel per accidens inferius necessario praedicari de aliquo, ita quod propositio sit necessaria nisi etiam propositio sit necessaria in qua superios ad illud inferius praedicatur de eodem.

3–1.21 DE UNIFORMI DE NECESSARIO IN SECUNDA FIGURA

Quando omnes propositiones de necessario in secunda figura sumuntur in sensu compositionis vel aequivalentes eis, semper sequitur conclusio de necessario sumpta in sensu compositionis vel aequivalens ei; quando scilicet syllogismus ex illis de inesse tenet, quia talis syllogismus tenet per istam regulam 'si praemissae sint necessariae, conclusio erit necessaria', quae semper vera est. Et ideo bene sequitur 'nullum hominem esse asinum est necessarium; omne rudibile esse asinum est necessarium; igitur nullum rudibile esse hominem est necessarium'.

Probatur etiam talis syllogismus aliter, scilicet per reductionem talis syllogismi in syllogismum primae figurae per conveisionetn, quia dictum est prius quod illa de necessario in sensu compositionis vel aequivalens ei convertitur sicut sua de inesse.

Si autem omnes praemissae sumantur in sensu divisionis vel aequivalentes eis, non semper valet syllogismus. Unde Philosophus negaret istum syllogismum esse bonum 'omne lucidum de necessitate est corpus caeleste vel elementum; corpus mixtum de necessitate non est corpus caeleste nec elementum; igitur corpus mixtum de necessitate non est lucidum'. Nam si nihil esset lucidum nisi corpus caeleste vel elementum, praemissae essent verae, secundum opinionem Aristotelis, et conclusio falsa, sicut manifeste patet. Quod enim maior esset vera, patet, quia quaelibet singularis est vera, per casum, igitur universalis est vera.

Similiter, ponatur quod Deus suspendat actionem cuiuscumque agentis creati, ita quod nullum activum creatum aliquid producat, tunc sunt istae praemissae verae 'omnis producens de necessitate est Deus; omnis natura creata de necessitate non est Deus' et tamen haec est falsa 'omnis natura creata de necessitate non est producens'. Quod enim maior sit vera, patet, quia quaelibet singularis est vera, per casum; et ita patet quod talis conclusio de necessario non sequitur. Tamen sequitur alia conclusio de inesse, talis 'igitur aliquid, quod de necessitate non est Deus, non est producens'. Similiter, si maior sit universalis negativa, non valet syllogismus; nam ante incarnationem fuerunt istae praemissae verae 'omnis homo de necessitate non est Deus; omnis persona divina de necessitate est Deus' et tamen ista conclusio est falsa 'omnis persona divina de necessitate non est homo', et ita talis syllogismus non valet.

Nec potest talis syllogismus perfici et reduci in primam figuram per conversionem, quia dictum est prius, quod illa de necessario non convertitur in illam de necessario quando sumitur in sensu divisionis vel aequivalens ei. Sicut non sequitur 'aliquis creans de necessitate est Deus, igitur Deus de necessitate est creans',

sed sic 'igitur aliquid, quod de necessitate est Deus, est creans'. Et ideo quamvis iste syllogismus sit bonus in prima figura 'omnis Deus de necessitate non est homo; quaelibet persona divina de necessitate est Deus; igitur quaelibet persona divina de necessitate non est homo', tamen iste discursus non valet 'omnis homo de necessitate non est Deus; quaelibet persona divina de necessitate est Deus; igitur quaelibet persona divina de necessitate non est homo', et hoc quia ista maior in secunda figura 'omnis homo de necessitate non est Deus', non convertitur in istam 'omnis Deus de necessitate non est homo'.

Sic igitur patet, quod quamvis omnes propositiones sumantur in sensu divisionis vel sint aequivalentes eis, quod discursus non valet in secunda figura. Si autem maior sumatur in sensu compositionis et minor in sensu divisionis, valet discursus respectu conclusionis sumptae in sensu divisionis, et hoc quia conversa maiore tenet in prima figura, sicut dictum est prius. Si autem maior sumatur in sensu divisionis et minor in sensu compositionis, non sequitur conclusio in sensu compositionis. Nam non sequitur 'nullam creaturam esse Deum est necessarium; omne producens de necessitate est Deus; igitur nullum producens esse creaturam est necessarium', quia praemissae sunt possibles et conclusio impossibilis. Sed conclusio in sensu divisionis bene sequitur, quia conversa maiore sequitur in prima figura.

3—1.22 DE UNIFORMI DE NECESSARIO IN TERTIA FIGURA

In tertia figura quando omnes praemissae sumuntur in sensu compositionis tenet syllogismus sicut ex suis de inesse, quia arguitur per istam regulam 'si praemissae fuerint necessariae, conclusio erit necessaria'. Si autem omnes sumantur in sensu divisionis, omnis discursus valet. Unde in primis duobus modis valet talis syllogismus, quia quamvis ista de necessario non convertatur in illam de necessario, semper tamen convertitur in illam de inesse. Nunc autem in prima figura, maiore exsistente de necessario in sensu divisionis et minore de inesse, sequitur conclusio de necessario in sensu divisionis, sicut posterius ostendetur. Et quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens; igitur ex eadem maiore et minore de necessario, quae convertitur in illam de inesse, sequitur conclusio eadem in tertia figura.

Per idem patet quod quartus et sextus modus valent ex talibus propositionibus; sicut bene sequitur 'quaelibet persona divina de necessitate est Deus; aliqua persona divina de necessitate est Pater; igitur Pater de necessitate est Deus'. Et sic potest probari tertius modus. Vel potest probari per expositionem, sic 'si aliquod creans de necessitate est Deus et omne creans de necessitate est persona divina, igitur aliqua persona divina de necessitate est Deus'. Quia si aliquod creans de necessitate est Deus, sit illud a: tunc a de necessitate est Deus et similiter a de necessitate est persona divina, ex quibus sequitur quod persona divina de necessitate est Deus.

Et per istum modum probatur quintus modus. Nam iste syllogismus est bonus 'aliquis homo de necessitate non est Deus; omnis homo de necessitate est natura intellectualis; igitur aliqua natura intellectualis de necessitate non est Deus. Quia si

haec sit vera 'aliquis homo de necessitate non est Deus', sit ille a: tunc a de necessitate non est Deus et a de necessitate est natura intellectualis, quia omnis homo de necessitate est natura intellectualis, per minorem; nunc autem sequitur 'ade necessitate non est Deus; a de necessitate est natura intellectualis; igitur aliqua natura intellectualis de necessitate non est Deus'.

Si autem maior sumatur in sensu compositionis et minor in sensu divisionis, non sequitur conclusio in sensu divisionis nec in sensu compositionis. Non enim sequitur 'omne falsum esse falsum est necessarium; aliquod falsum de necessitate est ista propositio: tu sedes; igitur ista propositio de necessitate est falsa'; nec etiam sequitur 'igitur istam propositionem esse falsam est necessarium'. Si autem maior sumatur in sensu divisionis et minor in sensu compositionis, semper sequitur conclusio in sensu divisionis, non in sensu compositionis Quod enim illa in sensu divisionis sequatur, patet quia minor convertitur in illam de inesse, ex qua et maiore sequitur conclusio de necessario in sensu divisionis, non in sensu compositionis, sicut inferius ostendetur. Haec dicta sunt quantum ad illos modos qui reducuntur per conversionem, et ex istis potest faciliter sciri quid dicendum est de aliis modis qui non reducuntur sic.

3—1.23 DE UNIFORMI DE POSSIBILI IN PRIMA FIGURA

Post uniformem modum generationis syllogismorum de necessario dicendum est de uniformi generatione syllogismorum de possibili. Et accipio hic 'possible' pro possibili quod est commune omni propositioni quae non est impossibilis.

Et est sciendum quod in omni figura, si accipianrur omnes propositiones de possibili in sensu compositionis vel accipiantur eis aequivalentes, non valet syllogismus, quia tunc argueretur per istam regulam 'praemissae sunt possibiles, ergo conclusio est possibilis', quae regula est falsa. Unde non sequitur 'omne coloratum esse album est possibile; omne nigrum esse coloratum est possibile; igitur omne nigrum esse album est possibile'. Nec sequitur 'omne animal esse hominem est possibile; omnem asinum esse animal est possibile; igitur omnem asinum esse bominem est possibile'. Et ita ista regula est falsa 'praemissae sunt possibiles, ergo conclusio est possibilis'; sed ista regula vera est 'si praemissae sunt possibiles et compossibiles, conclusio est possibilis'. Nunc autem aliquando praemissae sunt possibiles et sunt incompossibiles, et ideo numquam forma syllogistica uniformis ex illis possibilibus tenet in sensu compositionis.

Sed si illa de possibili sumatur in sensu divisionis vel accipiatur aliqua aequivalens, cuiusmodi sunt tales propositiones 'omnis homo potest esse albus', 'album potest esse nigrum' et huiusmodi, tunc est ista propositio distinguenda penes tertium modum aequivocationis, eo quod subiectum potest supponere pro his quae sunt vel pro his quae possunt esse, hoc est, eo quod subiectum potest supponere pro his de quibus verificatur per verbum de praesenti vel pro his de quibus verificatur per verbum de possibili; sive denotatur posse supponere pro talibus, quod dico ad excludendum unam cavillationem. Sicut si dicam sic 'omne album potest esse

homo': unus sensus est iste 'omne quod est album, potest esse homo', et iste sensus est verus si nihil sit album nisi homo. Alius sensus est iste 'omne quod potest esse album, potest esse homo'; et hoc est falsum, sive tantum homo sit albus sive aliud ab homine.

Ista distinctione visa videndum est quomodo ex talibus potest syllogizari et quomodo non. Et primo in prima figura.

Et est sciendum quod si subiectum maioris sumatur pro his quae possunt esse, vel denotetur sumi pro his quae possunt esse, qualitercumque sumatur subiectum minoris, semper est syllogismus uniformis bonus et regulatus per dici de omni vel de nullo, et hoc servatis principiis communibus syllogismo de inesse. Unde sic arguendo 'omne album potest esse homo; — hoc est omne quod potest esse album, potest esse homo —; omnis asinus potest esse albus; igitur omnis asinus potest esse homo', qualitercumque sumatur subiectum minoris vel conclusions, est syllogismus regulatus per dici de oinni, quia per maiorem denotatur quod de omni illo de quo potest verificari subiectum quod de omni illo potest verificari praedicatum. Et eodem modo patet quod iste syllogismus regulatur per dici de nullo 'nullum album potest esse homo; omnis asinus potest esse albus; igitur nullus asinus potest esse homo'; vel sic 'omne album potest non esse homo; omnis asinus potest esse albus; igitur omnis asinus potest non esse homo'.

Si autem subiectum maioris supponat pro his quae sunt, tunc talis uniformis non valet. Non enim sequitur 'omne quod est album potest esse homo; omnis asinus potest esse albus; igitur omnis asinus potest esse homo', quia si nihil sit album nisi homo, praemissae sunt verae et conclusio falsa. Eodem modo non sequitur 'omne producens potest est Deus; omnis ignis potest esse producens; igitur omnis ignis potest esse Deus', quia si nihil produceret aliquid nisi Deus, quod est possibile, praemissae essent verae et conclusio falsa.

Si autem maior sit de possibili in sensu compositionis et minor de possibili in sensu divisionis, nulla sequitur conclusio; sicut non sequitur 'omnem hominem esse Deum est possibile; aliqua humanitas potest esse homo; igitur aliqua humanitas potest esse Deus' vel 'aliquam humanitatem esse Deum est possibile'.

Si autem maior accipiatur in sensu divisionis et minor in sensu compositionis, non sequitur conclusio nec in sensu compositionis nec in sensu divisionis, nisi minor sit singularis. Sed si minor sit singularis, semper sequitur conclusio si subiectum maioris supponat pro his quae possunt esse; si autem supponat pro his quae sunt, non valet. Primum patet. Quod enim non sequatur conclusio in sensu compositionis patet, nam istae praemissae sunt verae 'omne quod potest esse verum contingens ad utrumlibet potest esse falsum; omne verum contingens ad utrumlibet esse verum contingens ad utrumlibet est possibile', et tamen haec conclusio est falsa 'omne verum contingens ad utrumlibet esse falsum est possibile', ipsa accepta in sensu compositionis. Quod etiam non sequatur conclusio in sensu divisionis patet manifeste. Nam istae praemissae sunt verae 'omne quod potest esse album, potest

esse coloratum; omnem substantiam creatam esse albam est possibile', et tamen haec conclusio est falsa 'omne quod potest esse substantia, potest esse coloratum', nam angelus potest esse substantia et tamen non potest esse coloratus. Secundum, scilicet quod si minor sit singularis sequatur conclusio, patet, nam bene sequitur 'omne verum contingens ad utrumlibet potest esse falsum; hoc verum esse verum contingens ad utrumlibet est possibile; igitur hoc verum potest esse falsum'. Sed non sequitur ista de possibili in sensu compositionis 'hoc verum esse falsum est possibile'. Ratio autem quare plus sequitur conclusio talis de possibili quando minor est singularis quam quando minor est universalis, est quia semper singularis de possibili in sensu compositionis infert singularem de possibili in sensu divisionis, quamvis non e converso, nisi subiectum singularis sit praecise pronomen demonstrativum vel nomen proprium. Tunc enim sensus compositionis et divisionis convertuntur.

Per idem patet quod si minor fuerit particularis, sequitur conclusio particularis in sensu divisionis, nam particularis in sensu compositionis semper infert particularem in sensu divisionis. Sequitur enim 'haec est possibilis: homo est Deus; igitur quod potest esse homo, potest esse Deus', quamvis non sequatur semper e converso. Non enim sequitur 'quod potest esse album, potest esse nigrum, igitur haec est possibilis: album est nigrum'; nec sequitur 'quod potest esse suppositum humanum, potest assumi a persona divina; igitur haec est possibilis: suppositum humanum est assumptum a persona divina'.

Circa istam generationem in prima figura sunt duo intelligenda. Primum, quod quamvis aliquando teneat uniformis de possibili, sicut in talibus casibus de quibus dictum est, non tamen semper in illis sequitur conclusio indirecta, quae scilicet praecise differat a conclusione directa per transpositionem terminorum. Quia non sequitur 'omne quod potest esse falsum non—possibile, potest esse impossibile; aliquid, quod est verum, potest esse falsum non—possibile; igitur aliquid, quod est impossibile, potest esse verum'. Et tamen ista conclusio directa 'aliquid, quod est verum, potest esse impossibile' bene sequitur. Unde quando conclusio prima est directe convertibilis, tunc bene sequitur. Semper tamen sequitur illa in quam conclusio est convertibilis. Qualiter autem conclusio debeat converti, dictum est prius.

Aliud notandum est: quod sicut in illis de inesse non refert an maior sit universalis vel singularis, sic in illis de possibili non refert. Unde iste syllogismus est bonus 'Sortes potest esse albus; omnis substantia potest esse Sortes; igitur omnis substantia potest esse alba', Sed oportet quod subiectum minoris et conclusionis uniformiter accipiuntur, quia si in minore accipiatur pro his quae sunt et in conclusione pro his quae possunt esse, non valet. Sicut non sequitur 'Sortes potest esse pater Platonis; omnis homo, qui est, potest esse Sortes; igitur omnis homo, qui est, potest esse pater Platonis'.

3—1.24 DE UNIFORMI EX PROPOSITIONIBUS DE POSSIBILI IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura si subiectum utriusque praemissae supponat pro his quae sunt, syllogismus non valet. Non enim sequitur 'omnis persona divina potest non esse creans; Pater potest esse creans; igitur Pater potest non esse persona divina'. Nec sequitur 'omnis persona divina potest non esse creans; omnis homo, qui est, potest esse creans; — ponatur quod nullus homo sit nisi Christus—; igitur omnis homo potest non esse persona divina', nam illo casu posito praemissae sunt verae et conclusio falsa.

Si autem subiectum utriusque accipiatur pro his quae possunt esse, sic non tenet syllogismus. Nam non sequitur 'omnis homo potest non esse albus; omne risibile potest esse album; igitur omne risibile potest non esse homo'; sicut non sequitur 'omnis persona divina potest non esse creans; omnis persona producta potest esse creans; igitur omnis persona producta potest non esse persona divina'. Et ratio est quia negativa de possibili non convertitur in negativam de possibili. Non enim sequitur 'quaelibet persona divina potest non esse creans, igitur omne quod est creans, vel potest esse creans, potest non esse persona divina'. Et ita talis syllogismus de possibili non potest reduci in primam figuram per conversionem, quia nullus syllogismus secundae figurae reducibilis per conversionem potest reduci nisi per conversionem universalis negativae. Quare autem non teneat talis syllogismus in quarto modo secundae figurae, ratio est quia non potest reduci nisi per impossibile. Sed hoc patebit inferius.

Et si dicatur quod quamvis negativa de possibili non convertatur in illam de possibili, convertitur tamen in illam de inesse, sic 'omnis persona divina potest non esse creans, igitur aliquid, quod potest non esse creans, est persona divina'; immo, in istam de possibili potest converti 'aliquid, quod potest non esse creans, potest esse persona divina'; dicendum est igitur quod per talem conversionem potest reduci in primam figuram: Dicendum est quod illud argumentum concludit oppositum, nam universalis negativa de possibili quamvis praedicto modo possit converti in illam de inesse vel de possibili, secundum quod subiectum aliter et aliter accipitur in antecedente, tamen numquam convertitur nisi in partictularem, quia bene sequitur 'aliquid, quod est persona divina, potest non esse creans, igitur aliquid. quod potest non esse creans, est persona divina'. Similiter bene sequitur 'quodlibet, quod potest esse persona divina, potest non esse creans, igitur aliquid, quod potest non esse creans, potest esse persona divina'; sed non sequitur 'quodlibet, quod potest non esse creans, potest esse persona divina'. Et ita patet quod universalis negativa de possibili non convertitur nisi in particularem. Sed quando syllogismus secundae figurae reducitur per conversionem in primam figuram, semper conversa universalis negativae debet esse maior in prima figura, et per consequens si talis syllogismus reduceretur in primam figuram per conversionem, conversa negativae, quae est particularis, esset maior in prima figura; quod est impossibile, quia tunc non regularetur per dici de omni vel de nullo.

Similiter, si altera praemissarum sumatur in sensu compositionis et altera in sensu divisionis, qualitercumque, non tenet syllogismus. Et ita patet quod

qualitercumque propositiones de possibili combinentur, numquam valet uniformis de possibili in secunda figura. Et ratio est, quia idem potest ab eodem removeri et affirmari cum nota possibilitatis affirmativa, et ita ex tali affirmativa et negativa non sequitur negativa eiusdem a se, sicut patet in exemplis supra positis.

3–1.25 DE UNIFORMI DE POSSIBILI IN TERTIA FIGURA

In tertia figura si utraque sumatur in sensu divisionis et subiectum utriusque supponat pro his quae sunt, sequitur conclusio de possibili, sumpto subiecto pro eo quod potest esse. Sequitur enim 'omnis homo potest esse albus; aliquis homo potest esse niger; igitur quod potest esse nigrum potest esse album'. Similiter sequitur 'omnis homo potest non esse albus; aliquis homo potest esse niger; igitur aliquod nigrum potest non esse album'. Hoc probatur: quia dictum est quod talis minor convertitur in illam de inesse, sic 'aliquis homo potest esse niger, igitur aliquid, quod potest esse nigrum, est homo'. Nunc autem sequitur per syllogismum regulatum per dici de omni 'omnis homo potest esse albus; aliquid, quod potest esse nigrum, est homo; igitur aliquid, quod potest esse nigrum, potest esse album'. Sic igitur talis syllogismus probatur per conversionem. Similiter, si subiectum utriusque supponat pro his quae possunt esse, sequitur conclusio de possibili, sumpto subiecto pro eo quod potest esse, quia illa de possibili, sumpto subiecto pro eo quod est, semper sequitur ad illam de possibili, sumpto subiecto pro eo quod potest esse. Sed uniformis ex illis in quibus subiectum supponit pro his quae sunt, tenet; igitur ex aliis tenet, quia quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens. Potest etiam probari per conversionem, sicut prior uniformis.

Si autem subiectum in maiore sumatur pro eo quod est et in minore pro eo quod potest esse, tenet syllogismus; et similiter e converso. Et uterque probatur per hoc quod ad illam de possibili, sumpto subiecto pro eo quod potest esse, sequitur illa de possibili, sumpto subiecto pro eo quod est. Sed conclusio de possibili, sumpto subiecto pro eo quod est, non sequitur; sicut non sequitur 'omnis homo potest esse albus; omnis homo potest esse intelligens; igitur quod est intelligens, potest esse album', quia si nullus homo esset intelligens sed angelus, praemissae essent verae et conclusio falsa.

Si autem maior sumatur in sensu divisionis et subiectum supponat pro eo quod potest esse, et minor sit de possibili in sensu compositionis, sequitur conclusio de possibili in sensu divisionis, non in sensu compositionis. Quod enim sequatur in sensu divisionis, patet, nam sequitur 'omne quod potest esse homo, potest esse album; haec est possibilis: omnis homo est niger; igitur aliquid, quod potest esse nigrum, potest esse album'. Et ratio istius est, quia semper illa de possibili singularis in sensu compositionis et in sensu divisionis convertuntur si in praemissis supponat pronomen demonstrativum vel nomen proprium. Et quia quidquid sequitur ad quamlibet singularem alicuius particularis cum aliquo, sequitur ad illam particularem cum eodem, per istam regulam 'quidquid sequitur ad quodlibet antecedens alicuius consequentis, sequitur ad illud consequens. Et virtute istius regulae tenet probatio syllogismorum quando probantur per syllogismum expositorium, de quo dictum est

prius. Et ita in ista probationc nun arguitur per illud medium 'quidquid sequitur ad singularem, sequitur ad particularem', quia hoc est falsum, sed per illud medium 'quidquid sequitur ad quodlibet antecedens alicuius consequentis, sequitur ad illud consequens . Probatur igitur talis syllogismus 'omne quod potest esse homo, potest esse album; haec est possibilis: aliquis homo est niger; igitur aliquid, quod potest esse nigrum, potest esse album'. Quia si haec sit possibilis 'aliquis homo est niger', aliqua singularis erit possibilis: sit illa a; tunc haec est possibilis 'a est nigrum et a est homo, igitur a potest esse album', per universalem primam. Modo sequitur 'haec est possibilis: a est nigrum; igitur a potest esse nigrum', sicut dictum est prius. Nunc autem iste syllogismus est bonus 'a potest esse album; a potest esse nigrum; igitur nigrum potest esse album'. Igitur primus syllogismus fuit bonus.

Similiter, si maior sumatur in sensu compositionis et minor in sensu divisionis, bene sequitur per eundem modum respectu conclusionis de possibili in sensu divisionis.

3—1.26 DE UNIFORMI EX PROPOSITIONIBUS DE CONTINGENTI NON—NECESSARIO IN PRIMA FIGURA

Circa uniformem generationem syllogismorum de contingenti non—necessario est primo sciendum, quod in nulla figura est talis uniformis conveniens si omnes propositiones sumantur in sensu compositionis vel si omnes sint talibus aequivalentes; et hoc, quia tunc arguetur per istam regulam 'praemissae sunt contingentes, igitur conclusio est contingens', quae regula falsa est, quia ex contingentibus potest sequi tam necessarium quam impossibile. Sequitur enim 'nullum album est asinus; omnis homo est albus; igitur nullus homo est asinus', ubi praemissae sunt contingentes et conclusio necessaria. Similiter etiam sequitur 'omne animal est homo; omnis asinus est animal; igitur omnis asinus est homo', ubi praemissae sunt contingentes et conclusio impossibilis.

Sciendum est tamen quod numquam possunt praemissae esse contingentes et conclusio impossibilis nisi praemissae repugnent, sicut patet in praedicto exemplo. Sic igitur patet quod uniformis de contingenti in nulla figura tenet si omnes propositiones sumantur in sensu compositionis. Et ideo dicendum est de aliis. Et primo de prima figura. Ubi primo sciendum quod sicut illa de possibili habet duplicem acceptionem, ita illa de contingenti. Potest enim subiectum accipi pro eo quod est vel pro eo quod contingit, sicut in ista 'contingit album esse hominem'. Si enim nullus homo sit albus, tunc haec est falsa 'contingit album esse hominem', sumpto subiecto pro eo quod est. Haec enim est falsa 'aliquid, quod est album, contingit esse hominem', quia quaelibet singularis est falsa. Si autem subiectum sumatur pro his quae contingunt, vera est. Haec enim est vera 'quod contingit esse album, contingit esse hominem; Sortem contingit esse album; igitur Sortem contingit esse hominem'.

Posita ista distinctione sciendum est quod si subiectum maioris sumatur pro his quae contingunt, uniformis est bonus respectu conclusionis de contingenti, subiecto

sumpto eodem modo sicut sumitur in minore, quia est syllogismus regulatus per dici de omni vel de nullo. Unde bene sequitur 'omne quod contingit esse hominem, contingit esse album; omne quod contingit esse nigrum, contingit esse hominem; igitur omne quod contingit esse nigrum contingit esse album'. Nec iste syllogismus indiget aliqua probatione, sed est de se evidens. Similiter etiam patet quod syllogismus valet si subiectum tam in minore quam in conclusione sumatur pro his quae sunt. Et eodem modo patet quod valet syllogismus quando maior est universalis negativa de contingenti. Sed si subiectum minoris supponat pro his quae sunt et subiectum conclusionis pro his quae contingunt, uniformis non valet, Non enim sequitur 'omnem hominem contingit esse album; omnem substantiam creatam intellectualem contingit esse hominem; igitur omnem substantiam creatam intellectualem contingit esse albam', quia posito quod homo sit intelligens et quod nullus angelus sit, conclusio est falsa et praemissae verae. Et est advertendum quod quando uniformis talis de contingenti tenet et omnes propositions sumuntur in sensu divisionis, contingit arguere ex omnibus negativis et ex una negativa et alia affirmativa, sive minor fuerit negativa sive affirmativa. Et ratio est, quia tales propositiones convertuntur per oppositas qualitates, et ideo quidquid sequitur ad affirmativam, sequitur ad negativam et e converso. Et ideo hic est bonus syllogismus 'contingit nullum hominem esse album, contingit nullum nigrum esse hominem; igitur contingit nullum nigrum esse album'.

Si autem maior sumatur in sensu compositionis et minor in sensu divisionis, syllogismus non valet. Nam non sequitur 'omnem hominem esse Deum est contingens; quamlibet personam divinam contingit esse hominem; igitur quamlibet personam divinam contingit esse Deum', nam praemissae sunt verae et conclusio falsa. Si enim nullus homo esset nisi Christus, haec esset vera 'omnis homo est Deus', et tamen modo est falsa, et per consequens est contingens. Similiter si maior accipiatur in sensu divisionis et minor in sensu compositionis, consequentia non valet. Non enim sequitur 'omnem humanitatem contingit assumi a persona divina; haec est contingens: omnis homo est humanitas; igitur contingit omnem hominem assumi a persona divina', nam praemissae sunt verae et conclusio falsa. Quod enim maior sit vera, patet, quia omne quod potest esse vel est humanitas, potest assumi a persona divina. Quod etiam minor sit vera, patet, quia haec est modo falsa 'omnis homo est humanitas' et potest esse vera, quia fuit vera ante incarnationem Verbi, secundum opinionem Aristotelis, sicut alias est ostensum,et eadem ratione posset adhuc esse vera; igitur est contingens. Quod autem conclusio sit falsa, patet, quia si in ista 'contingit omnem hominem assumi a persona divina', li homo supponit pro his quae sunt, sic habet aliquam singularem falsam, istam scilicet 'istum hominem' — demonstrando Verbum – 'contingit assumi'; iste enim homo, cum sit Filius Dei, non potest assumi nec assumitur a Verbo, sed ab ipso assumpta est humanitas sua.

3—1.27 DE UNIFORMI DE CONTINGENTI IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura uniformis de contingenti non valet et hoc qualitercumque combinentur propositiones. Et potest hoc consimiliter probari sicut probatum est

prius s quod uniformis de possibili non valet in secunda figura, quia universalis negativa de contingenti non est con vertibilis in aliquam universalem sed tantum in particularem, illo modo quo potest converti; quae tamen deberet esse maior in prima figura, quod est impossibile.

Quod autem talis universalis negativa de contingenti non convertatur, patet manifeste: nam non sequitur 'contingit omnem hominem non esse album, igitur contingit omne album non esse hominem', nam antecedens est verum et consequens falsum. Quod autem antecedens sit verum, est manifestum, nam omnis homo potest esse albus et potest non esse albus. Falsitas consequentis patet, nam aliquod album de necessitate non est homo, puta cygnus.

Quod etiam talis uniformis de contingenti non valeat, patet per instantiam in terminis: nam non sequitur 'contingit omnem hominem esse album; contingit nullum equum esse album; igitur contingit nullum equum esse hominem'. Et per eosdem terminos potest probari quod talis uniformis non valet in aliquo modo. Nec etiam valet 'contingit omnem hominem esse album; contingit nullum risibile esse album; igitur contingit nullum risibile esse hominem'. Nec etiam sequitur 'contingit quamlibet personam divinam esse creantem; contingit Patrem non esse creantem; igitur contingit Patrem non esse personam divinam', quia praemissae sunt verae et conclusio falsa.

Et per istos terminos patet quod nulla conclusio sequitur ex talibus praemissis, scilicet nec illa de contingenti nec illa de possibili nec illa de inesse. Patet etiam quod qualitercumque praemissae accipiantur, sive in sensu compositionis sive in sensu divisionis, sive una in sensu compositionis et alia in sensu divisionis, qualitercumque etiam subiecta supponant, talis uniformis non valet, quia in praedicto exemplo praemissae sunt verae et conclusio falsa.

3–1.28 DE UNIFORMI EX PROPOSITIONIBUS DE CONTINGENTI IN TERTIA FIGURA

In tertia figura si ambae praemissae sumantur in sensu divisionis et subiectum utriusque supponat pro his quae sunt, sequitur conclusio de contingenti, sumpto subiecto conclusionis pro eo quod contingit non pro eo quod est. Nam sequitur 'omnem hominem contingit esse album; omnem hominem contingit esse scientem; igitur quod contingit esse scientem, contingit esse album'. Sed non sequitur ista conclusio 'quod est sciens, contingit esse album', nam posito quod nullus homo aliquid sciat sed tantum angelus, praemissae sunt verae et conclusio falsa.

Similiter, posito quod tantum equus sit albus, tunc sunt istae praemissae verae 'omne risibile contingit esse hominem; omne risibile contingit esse album', et haec conclusio est falsa 'quod est album, contingit esse hominem', cum quaelibet singularis sit falsa.

Similiter, si subiectum. utriusque praemissae supponat pro his quae contingunt, sequitur conclusio de contingenti, sumpto subiecto pro his quae contingunt, non pro lus quae sunt. Quod patet per praecedens exemplum. Similiter, si subiectum in una supponat pro his quae sunt et in alia pro his quae contingunt, sequitur consimilis conclusio. Sed si una praemissarum sumatur in sensu compositionis et alia in sensu divisionis, non sequitur conclusio. Non enim sequitur omnem hominem esse Deum est contingens; omnem hominem contingit esse humanitatem; igitur aliquam humanitatem contingit esse Deum', et hoc si subiectum minoris sumatur pro his quae sunt; nam praemissae sunt verae et conclusio falsa.

Quod enim maior sit vera, patet: nam ista 'omnis homo est Deus' est modo falsa, et tamen potest esse vera, nam si nullus homo esset nisi Christus, tunc haec esset vera; igitur haec est contingens 'omnis homo est Deus'; igitur maior est vera. Etiani posito quod natura assumpta a Verbo esset deposita, tunc esset minor vera, quia tunc omnis humanitas esset homo. Quia suppono ad praesens, quod alias est probatum, quod haec est vera de virtute sermonis 'omnis homo est humanitas', nisi 'humanitas' includat aliquod syncategorema vel aequivalenter aliquod complexum propter quod falsificetur. Sed hoc non impedit propositum, quia volo quod hoc nomen 'humanitas' semper supponat pro illa natura creata sine inclusione tali quacumque. Et tunc patet quod minor est vera. Et tunc tamen erit conclusio falsa, nam illa natura creata nullo modo potest esse Deus. Unde de facto, quamvis homo sit Deus, tamen illa natura creata non est Deus, sicut quamvis album sit homo, tamen illa albedo inhaerens homini non est homo.

Per idem patet quod si maior accipiatur in sensu divisionis et minor in sensu compositionis, syllogismus non valet. Similiter, si subiectum propositionis acceptae in sensu divisionis supponat pro his quae contingunt, non valet syllogismus. Non enim sequitur 'omne quod contingit esse ens, contingit creari; haec est contingens: omne ens est Deus; igitur Deum contingit creari'. Utrum autem ista propositio 'omne ens contingit creari' possit de virtute sermonis habere talem sensum ''omne quod contingit esse ens, contingit creari' non est modo curandum, quia illa foret magis difficultas vocalis quam realis, eo quod voces sunt ad placitum. Sic igitur patet quomodo contingit arguere ex illis de contingenti in tertia figura.

Probat Aristoteles talem syllogismum in libro Priorum per conversionem minoris propositionis, ut si arguatur sic 'contingit omne b esse a; contingit omne b esse c; igitur contingit aliquod c esse a ; nam conversa minore, sic 'contingit omne b esse et igitur contingit aliquod c esse b' erit uniformis in prima figura, sic 'contingit omne b esse a; contingit aliquod c esse b; igitur contingit aliquod c esse a'. Et ita talis uniformis in tertia figura de contingenti reducitur in primam figuram per conversionem, Sed istud videtur repugnare prius dicto. Dictum est enim in praecedenti tractatu quod ista de contingenti, sumpto subiecto pro eo quod est, non convertitur in illam de contingenti; igitur talis syllogismus in tertia figura non potest praedicto modo probari. Dicendum quod Aristoteles per istam conversionem non probat nisi uniformem de de contingenti in tertia figura, subiecto utriusque

praemissae accepto pro his quae contingent praecise. Et illa de contingenti, accepto subiecto praecise pro his quae contingunt, convertitur in illam de contingenti, subiecto consequentis sumpto eodem modo. Et ita probatio Aristotelis est sufficiens ad intentum suum, nec repugnat dicto meo priori. Alii autem uniformes, de quibus dictum est quod tenent, non probantur illo modo. Ex dictis tamen Philosophi in illo loco et in aliis partibus logicae potest elici probatio eorum.

Ad cuius evidentiam est sciendum quod propositio de contingenti potest habere triplicem sensum penes acceptionem subiecti. Potest enim subiectum accipi praecise pro his quae sunt; potest etiam accipi tam pro his quae sunt quam pro his quae contingunt; et tertio modo potest accipi praecise pro his quae contingunt. Utrum autem isti duo sensus ultimi sint de virtute sermonis vel alter tantum, et si alter tantum, quis eorum, non curo ad praesens. Tamen prius locutus sum, quando dixi uniformem valere, secundum duos primos sensus. Et tunc quando subiectum alterius, scilicet maioris, accipitur pro his quae sunt, probatur talis syllogismus per conversionem minoris in illam de inesse, sic arguendo 'contingit omnem hominem esse album; contingit omnem hominem esse scientem; igitur contingit scientem esse album', convertitur ista minor 'contingit omnem hominem esse scientem' — subiecto stante praecise pro his quae sunt — in istam 'aliquid, quod contingit esse scientem, est homo'. Nunc autem sequitur evidenter in prima figura 'omnem hominem contingit esse album; — subiecto supponente praecise pro his quaesunt —; aliquid, quod contingit esse scientem, est homo; igitur illiquid, quod contingit esse scientem, contingit esse album', quae aequivalet conclusioni primi syllogismi. Et ex isto et ista proposition 'illa de contingenti subiecto supponente praecise pro his quae sunt, convertitur in illam de inesse', cum ista regula infallibili 'quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens' patent evidenter omnes propositiones omnium aliorum. Sed si subiectum maioris accipiatur praecise pro his quae contingent et subiectum minoris praecise pro his quae sunt, uniformis non valet. Sicut non sequitur 'omne quod contingit esse ens, contingit creari; omne quod est ens, contingit esse creantem; igitur aliquid, quod contingit esse creantem, contingit creari', quia si nihil esset nisi Deus, praemissae essent verae et conclusio falsa. Et si minor sumatur particulariter, praemissae de facto erunt verae et conclusio falsa. Istud tamen exemplum tantum exempli gratia adducitur. Similiter, si transponantur tales propositiones diversimode acceptae, non valet. Patet igitur quando contingit arguere ex omnibus de contingenti et quo modo.

Est etiam intelligendum quod sicut in prima figura non refert arguere ex omnibus affirmativis de contingenti et negativis, nisi quod negativus syllogismus perficitur per conversionem propositionum negativarum per oppositas qualitates, ita in tertia figura contingit arguere eodem modo ex omnibus negativis vel indifferenter ex altera, et perficiuntur tales syllogismi per conversionem per oppositas qualitates.

3—1.29 DE UNIFORMI EX PROPOSITIONIBUS DE IMPOSSIBILI

Post praedicta de uniformi ex propositionibus de impossibili est dicendum. Et est sciendum quod si propositiones omnes sumantur in sensu compositionis, talis

discursus non valet, quia argueretur per istam regulam falsam 'praemissae sunt impossibiles, igitur conclusio est impossibilis' Similiter, si omnes propositiones de impossibili sumantur in sensu divisionis, non valet talis discursus, quia nullus talis in prima figura potest regulari per dici de omni vel de nullo. Unde sic arguendo 'omnis homo impossibiliter est asinus; omne rudibile impossibiliter est homo; igitur omne rudibile impossibiliter est asinus', patet quod non valet nec regulatur per dici de omni, quia per minorem non denotatur subiectum maioris verificari de aliquo sed magis removeri. Et ita cum quaelibet de impossibili aequivaleat uni negativae, et ex omnibus negativis non contingit arguere, manifestum est quod ex propositionibus de impossibili non contingit arguere.

3—1.30 QUO MODO CONTINGIT SYLLOGIZARE EX PROPOSITIONIBUS MODALIBUS ALIIS QUAE NON ITA USITATE VOCANTUR MODALES SICUT PRAEDICTAE

Ostenso quomodo contingit syllogizare per syllogismum uniformem ex propositionibus modalibus quae usitate vocantor modales, restat videre quomodo ex aliis modalibus contingit arguere. Est autem primo sciendum quod tales propositions ita possunt habere duos sensus sicut aliae de quibus dictum est. Similiter possunt esse aliquae aequivalentes talibus sensibus compositionis et divisionis. Et ideo pro sensibus compositionis talium propositionum et aequivalentibus eis est ista regula generalis, quod quando aliquod nomen tale modale potest verificari de praemissis absque hoc quod verificetur de conclusione, immo potest vere removeri a conclusione, uniformis ex talibus in sensu compositionis non valet nec ex aequivalentibus eis; quando autem de praemissis non potest verificari talis modus nisi etiam verificetur de conclusione, uniformis ex talibus semper tenet. Et ideo sic arguendo 'omnem hominem esse animal est verum; Sortem esse hominem est verum; igitur Sortem esse animal est verum'; 'omnem hominem esse animal est opinabile vel credibile; Sortem esse hominem est credibile; igitur Sortem esse animal est credibile', — accipiendo 'credibile' pro illo cui intellectus potest assentire, sive evidenter sive non evidenter —, convenienter arguitur. Et hoc quia talis discursus tenet per tales regulas veras 'praemissae sunt verae, igitur conclusio est vera'; 'praemissae sunt credibiles, igitur conclusio est credibilis', praedicto modo accipiendo 'credibile'.

Sed tales syllogismi non valent 'omnem hominem esse album est scitum ab aliquo; Sortem esse hominem est scitum ab aliquo; igitur Sortem esse album est scitum ab aliquo'; 'omnem figuram planam tribus lineis contentam habere tres etc. est indemonstrabile; omnem triangulum esse figuram planam etc. est indemonstrabile; igitur omnem triangulum habere tres etc. est indemonstrabile'; 'omnem intellectum esse animam intellectivam est dubitabile' vel 'omnem intellectum esse formam substantialem est dubitabile; aliquam qualitatem, quae non est forma substantialis, esse intellectum est dubitabile; igitur aliquam qualitatem, quae non est forma substantialis, esse formam substantialem est dubitabile'. Et hoc quia tales regulae falsae sunt 'praemissae sunt scitae, igitur conclusio est scita'; potest

enim una praemissa sciri ab uno et alia ab alio et tamen ab utroque ignorari conclusio; 'praemissae sunt indemonstrabiles, igitur conclusio est indemonstrabilis'; 'praemissae sunt dubitabiles, igitur conclusio est dubitabilis'.

Unde ad sciendum quando talis syllogismus est bonus et quando non, valent regulae, tam falsae quam verae, infra scriptae.

Unde istae regulae sunt falsae: 'praemissae sunt falsae, igitur conclusio est falsa'; 'praemissae sunt scitae, igitur conclusio est scita'; 'praemissae sunt creditae, igitur conclusio est credita'; 'praemissae sunt indemonstrabiles, igitur conclusio est indemonstrabilis'; 'praemissae sunt dubitabiles, ergo conclusio est dubitabilis'; 'praemissae sunt primo verae, igitur conclusio est primo vera'; 'praemissae sunt per accidens, igitur conclusio est per accidens'; 'praemissae sunt intellectae, igitur conclusio est intellecta'; 'praemissae sunt probatae, igitur conclusio est probata'; 'praemissae sunt auditae, igitur conchudo est audita'. Et tales consimiles falsae sunt, et ideo uniformis ex talibus propositionibus modalibus non tenet.

Sed istae regulae sunt verae: 'praemissae sunt evidenter cognoscibiles, igitur conclusio est evidenter cognoscibilis'; 'praemissae sunt credibiles, igitur conclusio est credibilis'; 'praemissae sunt demonstrabiles, igitur conclusio est demonstrabilis'; 'praemissae sunt verae, igitur conclusio est vera'; 'praemissae sunt intelligibiles, igitur conclusio est intelligibilis'. Et multae tales. Et uniformes ex talibus modalibus, sumptis in sensu compositionis vel aequivalentibus eis sunt boni, tenentes per talem regulam 'praemissae sunt tales, igitur conclusio est talis.

Si autem praemissae tales sumantur ambae in sensu divisionis in prima figura, semper est syllogismus regulatus per dici de omni vel de nullo quando ex suis de inesse est bonus syllogismus, nisi ratione modi includatur aequivalenter propositio negativa. Quod dico propter istum modum 'falsum', et si aliquis alius sit sibi similis. Quia non sequitur 'omnis lapis falso est animal; omnis asinus falso est lapis; igitur omnis asinus falso est animal'. Similiter iste syllogismus non valet 'omnem lapidem esse animal est falsum; omnem hominem esse lapidem est falsum; igitur omnem hominem esse animal est falsum', quamvis omnes praemissae sumantur in sensu divisionis.

Sed alii uniformes valent quando uniformes de inesse correspondentes eis valent et ex modalibus sequuntur suae de inesse. Unde iste uniformis est bonus 'omnis homo per se est animal; Sortes per se est homo; igitur Sortes per se est animal'. Similiter sequitur 'omne album dubitatur esse homo; Sortes dubitatur esse albus; igitur Sortes dubitatur esse homo'. Similiter sequitur 'omne album scitur esse homo; veniens scitur esse albus; igitur veniens scitur esse homo'. Similiter uniformis negativus talis in prima figura tenet, quia regulatur per dici de nullo, et ideo tales uniformes sunt boni 'omnis forma substantialis scitur non esse qualitas; intellectus scitur esse forma substantialis; igitur intellectus scitur non esse qualitas'; 'omnis creatura scitur non esse Deus; creatio scitur esse creatura; igitur creatio scitur non esse Deus'.

Si autem maior talis uniformis in prima figura sumatur in sensu compositionis et minor in sensu divisionis, cum aliquo modo tenet respectu conclusionis in sensu divisionis et cum aliquo modo non tenet. Unde iste discursus tenet 'haec est per se: omnis homo est animal; Coriscus per se est homo; igitur Coriscus per se est animal'. Iste autem non tenet 'haec est dubitata a Sorte: omne album est homo; Plato dubitatur a Sorte esse albus; igitur Plato dubitatur a Sorte esse homo'.

Similiter, si maior sumatur in sensu divisionis et minor in sensu compositionis respectu conclusionis in sensu divisionis, semper tenet, nisi sit talis modus qualis est 'falsum'. Sed respectu conclusionis in sensu compositionis non tenet: non enim sequitur 'omne album scitur esse homo; haec est scita: calidum est album; igitur haec est scita: calidum est homo', sed sequitur 'igitur calidum scitur esse homo'. Tamen forte cum aliquo modo tenet talis discursus. Sed quia dicere in particulari cum quo modo valet discursus ex una modali in sensu compositionis et alia in sensu divisionis longum foret propter numerositatem modorum, ideo ipsius inquisitionem duxi studiosis reliquendam, quae per dicta et dicenda faciliter possunt sciri.

Sed in secunda figura pauci tales discursus valent si omnes praemissae sumantur in sensu divisionis. Et ratio est quia tales propositiones de modo raro vel numquam convertuntur in propositiones de consimili modo. Unde non sequitur 'aliquod album scitur esse homo, igitur aliquis homo scitur esse albus'. Nec sequitur 'omne album scitur non esse homo, igitur omnis homo scitur non esse albus'. Et quia talis propositio universalis negativa non est convertibilis in illam de modo consimili, nec etiam est convertibilis in illam de inesse universalem sed particularem, ideo talis syllogismus non potest perfici per conversionem universalis negativae, quod tamen requiritur ad hoc quod esset bonus syllogismus in tali modo secundae figurae. Nec potest etiam perfici per impossibile, sicut posterius ostendetur. Patet etiam per instantiam in terminis quia talis discursus non valet. Non enim sequitur 'omne album per se est animal; omnis lapis per se non est animal; igitur omnis lapis per se non est albus'. Tamen cum isto modo 'verum' est bonus syllogismus. Et ratio est, quia talis propositio de modo et illa de inesse convertuntur. Quando autem non convertuntur, tunc discursus non valet in secunda figura. Sed si una sumatur in sensu compositionis et alia in sensu divisionis, aliquando tenet et aliquando non; sed quando tenet et quando non, discutiant studiosi.

In tertia autem figura quando ambae praemissae sumuntur in sensu divisionis et modalis infert suam de inesse, semper sequitur conclusio in sensu divisionis; sicut sequitur 'omnis homo scitur esse albus; omnis homo scitur esse veniens; igitur veniens scitur esse albus'. Et potest talis uniformis probari sicut probatur uniformis de necessario et de possibili. Hoc etiam probatur per syllogismum expositorium, sicut ibi. Si autem altera sumatur in sensu compositionis et altera in sensu divisionis, si minor sit in sensu compositionis, tenet respectu conclusionis in sensu divisionis.

3–1.31 DE MIXTIONE NECESSARII ET DE INESSE IN PRIMA FIGURA

Viso quomodo uniformis diversimode fit ex diversis propositionibus, de syllogismis mixtis est tractandum. Et primo de syllogismo mixto de inesse et modali, secundo de syllogismo mixto ex modalibus et modis diversis.

Circa primum primo dicendum est de syllogismo mixto ex propositione de inesse et propositione modali de necessario.

Circa quod est primo sciendum quod ex maiore de necessario sumpta in sensu divisionis et minore de inesse semper sequitur conclusio de necessario in sensu divisionis non in sensu compositionis. Quod enim sequatur conclusio de necessario in sensu divisionis, patet, quia talis syllogismus regulatur per dici de omni vel de nullo. Unde sic arguendo 'omnis homo de necessitate est animal; homo albus est homo; igitur homo albus de necessitate est animal' arguitur per dici de omni, nam per istam propositionem 'omnis homo de necessitate est animal' non denotatur nisi quod quidquid est homo, de necessitate est animal. Cum igitur per minorem denotetur quod homo albus sit homo, sequitur per dici de omni quod homo albus de necessitate est animal.

Unde sciendum quod sicut per universalem affirmativam denotatur quod de quocumque dicitur subiectum quod de eodem dicitur praedicatum, et propter hoc sumendo minorem in qua praedicatur subiectum primae propositionis de aliquo, contingit inferre praedicatum primae propositionis de minore extremitate per dici de omni, ita, quia per propositionem de necessario in sensu divisionis et etiam aequivalentem tali denotatur quod de quocumque dicitur subiectum de eodem dicitur praedicatum cum modo necessitatis, et propter hoc sumendo minorem in qua subiectum primae praedicatur de aliquo, contingit inferre praedicatum idem vera praedicari de eadem minori extremitate per dici de omni. Ex isto patet quod in tali mixtione nihil refert si minor sit de inesse simpliciter vel de inesse ut nunc. Unde iste syllogismus regulatur per dici de omni omne animal de necessitate est substantia; 'omne album est animal; igitur omne album de necessitate est substantia', sicut iste 'omne animal de necessitate est substantia; omnis homo de necessitate est animal; igitur omnis homo de necessitate est substantia'. Sed si conclusio sumatur in sensu compositionis, discursus non valet, quia non sequitur 'quaelibet persona divina de necessitate est Deus; creans est persona divina; igitur haec est necessaria: creans est Deus', sed sequitur 'igitur creans de necessitate est Deus'. Ex ista autem non sequitur haec 'ista est necessaria: creans est Deus', non plus quam ex ista 'album potest esse nigrum' sequitur ista 'igitur haec est possibilis: album est nigrum'. Non enim sequitur 'album potest esse nigrum, igitur haec est possibilis: album est nigrum', ita non sequitur 'creans de necessitate est Deus. igitur haec est necessaria: creans est Deus'.

Ex isto sequitur quod conclusio indirecta de necessario non sequitur in tali mixtione. Unde non sequitur 'quaelibet persona divina necessario est Deus; creans est persona divina; igitur Deus necessario est creans'. Et ratio est, quia ista 'creans necessario est Deus' non convertitur in istam 'igitur Deus necessario est creans' sed in istam 'aliquid, quod necessario est Deus, est creans'. Et ista bene sequitur, nam

sequitur 'quaelibet persona divina necessario est Deus; creans est persona divina; igitur quod est necessario Deus, est creans', quia ista conclusio indirecta est convertibilis cum illa directa. Ex quo patet quod aliquando propositio de inesse convertitur in illam de necessario; sed tunc oportet in illa de inesse poni modum necessitatis, licet non faciat modum necessitatis, eo quod in illa non est determinatio compositionis principalis. Si autem maior in tali mixtione sumatur in sensu compositionis, non semper valet mixtio talis, sed oportet quod minor sumpta sub sit de inesse simpliciter non de inesse ut nunc. Si enim minor sit de inesse ut nunc, non valet mixtio.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod illa minor est de inesse simpliciter in qua non potest praedicatum competere subiecto in uno tempore et negari in alio, sed semper uniformiter se habet, ita quod semper vere praedicatur vel numquam. Illa autem dicitur de inesse ut nunc in qua potest praedicatum uno tempore vere affirmari de subiecto et alio tempore vere negari. Et talis minor numquam debet sumi sub maiore de necessario. Unde non sequitur 'omnem personam divinam esse Deum est necessarium; aliquis homo est persona divina, puta Christus; igitur aliquem hominem esse Deum est necessarium'. Nec sequitur 'omnem hominem esse animal est necessarium; homo albus est homo; igitur hominem album esse animal est necessarium'. Sed talis mixtio tenet 'omnem personam divinam esse Deum est necessarium; albedo est persona divina; igitur albedinem esse Deum est necessarium'. Ista dicta sint quantum ad veritatem. Tamen secundum intentionem Philosophi ad hoc quod mixtio esset bona, sufficeret sumere sub aliquid per se in genere, importans rem distinctam absolute, ita quod non esset nomen connotativum nec relativum. Unde secundum intentionem Philosophi iste syllogismus est bonus 'omne animal esse coloratum, est necessarium; omnis homo est animal; igitur omnem hominem esse coloratum est necessarium'. Ita quod, secundum eum, quandocumque sumitur sub subiecto aliquod absolutum quod non est relativum nec connotativum, semper est mixtio bona.

Sed istud secundum veritatem non est verum, nam ista mixtio non valet 'omne ens esse in actu est necessarium; omnis homo est ens; igitur omnem hominem esse in actu est necessarium', nam praemissae sunt verae et conclusio falsa. Quod enim maior sit vera, patet, nam haec est as necessaria 'omne ens est in actu'; igitur maior est necessaria. Minor etiam est manifesto, et tamen conclusio est falsa, sive sumatur in sensu compositionis sive in sensu divisionis. Nullus enim homo necessario est. Haec etiam non est necessaria 'omnis homo est ens'.

Si autem maior sit de inesse et minor de necessario in sensu divisionis vel aequivalens ei, discursus non valet. Non enim sequitur 'quaelibet persona divina est creans; Pater de necessitate est persona divina; igitur Pater de necessitate est creans, quia praemissae sunt verae et conclusio falsa. Haec enim est vera 'omnis persona divina est creans', certum est; et haec est vera 'Pater de necessitate est persona divina'; et tamen haec est falsa 'Pater de necessitate est creans'. Si autem minor sumatur in sensu compositionis, non valet. Nam non sequitur 'omnis Deus est

creans; quamlibet personam divinam esse Deum est necessarium; igitur quamlibet personam divinam esse creantem est necessarium', nam praemissae sunt verae et conclusio falsa. Et ratio est quia aliquid potest contingenter praedicari tam de superiori quam de inferiori, non obstante quod praedicatio superioris de inferiori esset necessaria. Et ita est de aliis.

Notandum est quod si maior sit de inesse simpliciter, talis mixtio tenet, quia quando aliquid non potest praedicari de aliquo in uno tempore et negari in alio, sed vel semper praedicatur vel numquam, non potest subiectum de aliquo praedicari cum modo necessitatis nisi praedicatum praedicetur de eodem cum eodem modo.

Et si dicatur quod Philosophus negat unam et concedit aliam, igitur falsum est quod hic dicitur quod ita valet una sicut alia, dicendum est quod Philosophus loquitur de illa de necessario in sensu divisionis; et tunc pater evidenter quod maiore existente de necessario et minore de inesse sequitur conclusio de necessario, et hoc sive minor sit de inesse simpliciter sive de inesse ut nunc. Non sic autem valet talis discursus si maior sit de inesse, et ideo negat unam mixtionem et concedit aliam. Et si dicatur quod Philosophus dicit uniformem de necessario esse bonum in omni figura, sed dictum est prius quod uniformis de necessario in sensu divisionis in secunda figura non valet, igitur Philosophus non loquitur de illis de necessario in sensu divisionis sed in sensu compositionis tantum; igitur Philosophus loquitur de illis in sensu compositionis: Dicendum est quod Philosophus loquitur aliquando de illis de modo in sensu compositionis et aliquando in sensu divisionis. Et ideo ubi docet uniformem ex illis de necessario, loquitur de eis in sensu compositionis et de eis aequivalentibus; quando autem docet mixtionem in prima figura, loquitur de illis in sensu divisionis et de ei aequivalente. Et hoc facit ut sciatur quomodo arguendum est ex talibus modalibus sive in uno sensu sive in alio. Unde ex dictis suis ubi loquitur de propositionibus modalibus in sensu compositionis et ex illis locis in quibus loquitur de eis in sensu divisionis potest studiosus elicere quomodo semper arguendum est ex talibus qualitercumque sumantur in quacumque materia, secundum quamcumque combinationem.

Sciendum est igitur quod si maior sit de inesse simpliciter, mixtio tenet sive minor sumatur in sensu divisionis sive in sensu compositionis. Nec hoc negat Philosophus; sed negat quod universaliter ex maiore de inesse et minore de necessario sequitur conclusio de necessario; sed non negat quando maior est de inesse simpliciter, quia praemissae non possunt esse verae conclusione exsistente falsa. Si enim sit de inesse simpliciter et sit vera, ipsa erit necessaria; et si hoc, sequitur conclusio de necessario.

3—1.32 DE MIXTIONE NECESSARII ET DE INESSE IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura, si illa de necessario sumatur in sensu compositionis, ad hoc quod mixtio sit bona requiritur quod illa de inesse sit de inesse simpliciter. Si enim sit de inesse ut nunc, quaecumque fuerit de necessario, non sequitur conclusio de necessario. Si enim affirmativa fuerit de necessario, non sequitur, sicut non sequitur

‘omnem Deum esse in actu est necessarium; nullus homo est in actu; igitur nullum hominem esse Deum est necessarium’. Nam si nullus homo esset in actu, praemissae essent verae et conclusio falsa. Similiter non sequitur ‘omnem hominem esse susceptibilem disciplinae est necessarium; nullus homo albus est susceptibilis disciplinae; igitur nullum hominem album esse hominem est necessarium’, nam si nullus homo esset albus, praemissae essent verae et conclusio falsa, secundum opinionem Aristotelis.

Si autem negativa sit de necessario, non valet syllogismus. Non enim sequitur ‘nullum hominem esse asinum est necessarium; omne album est asinus; igitur nullum album esse hominem est necessarium’. Nec sequitur ‘nullum Deum esse humanitatem est necessarium; omnis homo est humanitas; igitur nullum hominem esse Deum est necessarium’.

Sciendum est tamen quod in secunda figura, quando negativa est de necessario et in affirmativa accipitur sub medio aliquid inferius ad medium terminum, sive sit per se inferius sive per accidens, semper discursus est bonus, tenens per istam regulam veram ‘quandocumque aliqua universalis negativa est necessaria, quaelibet universalis negativa, in qua removetur illud praedicatum ab aliquo inferiori ad subiectum, est necessaria’. Et sequitur ex ista regula quod semper a superiori ad inferius negative et cum distributione est bona consequentia. Voco autem hic ‘inferius’ omnem terminum qui non potest esse in plus, potest tamen esse in minus.

Et propter hoc talis syllogismus est bonus ‘nullum hominem esse asinum est necessarium; omnis asinus albus est asinus; igitur nullum asinum album esse hominem est necessarium’. Et hoc quia iste terminus ‘asinus albus’ est inferior ad asinum, quamvis per accidens. Et debet talis discursus reduci in primam figuram per conversionem universalis negativae, quae semper convertitur in terminis in universalem negativam de necessario quando sumitur in sensu compositionis, sicut dictum est prius. Et ideo in prima figura in syllogismo negativo, maiore exsistente de necessario in sensu compositionis et sumpto sub aliquo inferiori ad subiectum, sive minor sit de inesse simpliciter sive de inesse ut nunc, semper est bona consequentia. Unde hic est bonus discursus ‘nullum hominem esse asinum est necessarium; homo albus est homo; igitur hominem album non esse asinum est necessarium’. Sed si in secunda figura affirmativa sit de necessario in sensu compositionis et universalis negativa de inesse, non sequitur conclusio de necessario. Non enim sequitur ‘omne ens in actu esse ens est necessarium; nullus homo est ens; igitur nullum hominem esse in actu est necessarium. Nec sequitur, secundum opinionem Aristotelis ‘omnem hominem esse animal est necessarium; nullus homo albus est animal; igitur nullum hominem album esse hominem est necessarium’. Et tamen in affirmativa propositione accipitur aliquid inferius ad medium terminum, sicut de se patet. Et ratio est, quia aliquid potest cum modo necessitatis praedicari de aliquo et tamen non praedicatur de quolibet inferiori cum tali modo. Et hoc sequitur ex ista regula, quod ‘a superiori distributo ad inferius affirmative non semper est consequentia simplex’. Unde hic non est consequentia simplex secundum rei veritatem ‘omne

animal est album, igitur omnis homo est albus'; et per consequens nec hic est consequentia simplex 'omnis homo currit, igitur omnis homo albus currit'.

Ratio, quare prima consequentia non est simplex: nam si nullus homo esset in rerum natura, et omne animal aliud esset album, antecedens esset verum et consequens falsum. Et ratio quare talis consequentia non est consequentia simplex, est quia medium, per quod tenet, non est necessarium. Haec enim non est necessaria 'omnis homo est animal', sed contingens. Similiter, secundum opinionem Aristotelis, haec consequentia non est consequentia simplex 'omne animal album est coloratum, igitur omnis homo albus est coloratus'. Et ideo sicut in prima figura ex affirmativa de necessario et affirmativa de inesse, quantumcumque minor extremitas sit inferior ad medium terminum, non sequitur conclusio de necessario, ita in secunda figura si affirmativa sit de necessario non sequitur conclusio de necessario.

Sciendum est etiam quod in quarto modo secundae figurae, sive propositio affirmativa fuerit de necessario sive negativa, non sequitur conclusio de necessario etiam quantumcumque in affirmativa praedicetur superius de inferiori. Nam non sequitur 'aliquod ens non esse animal est necessarium; omnis homo est animal; igitur aliquem hominem non esse ens est necessarium', nam praemissae sunt verae et conclusio falsa. Vel arguitur sic aliquod ens non esse animalitatem est necessarium; omnis humanitas est animalitas; igitur aliquam humanitatem non esse ens est necessarium. Nec etiam sequitur 'omnem personam divinam esse Deum est necessarium; aliquod ens non est Deus; igitur aliquod ens non esse personam divinam est necessarium'. Sic igitur patet quomodo valet mixtio necessarii et de inesse in secunda figura quando illa de necessario sumitur in sensu compositionis. Et secundum istum modum debet exponi Aristoteles de ista materia in libro Priorum.

Si autem illa de necessario sumatur in sensu divisionis, non valet mixtio, sive affirmativa sive negativa fuerit de necessario. Quod enim non valeat si affirmativa fuerit de necessario, patet, nam non sequitur 'omnis homo de necessitate est Deus; nulla humanitas est Deus; igitur omnis humanitas de necessitate non est homo', quia si nullus homo esset nisi Christus, praemissae essent verae et conclusio falsa. Haec enim esset vera 'omnis homo de necessitate est Deus' nam praedicatum necessario inert cuilibet pro quo subiectum supponit, illo casu posito. Nam illo casu posito 'homo' non supponeret nisi pro Filio Dei, quia tantum Filius Dei esset homo, et manifestum est quod Filius Dei de necessitate est Deus. Igitur tunc esset haec vera 'omnis homo de necessitate est Deus', quia quaelibet singularis esset vera. Similiter minor esset vera, immo esset necessaria, nam haec est necessaria 'nulla humanitas est Deus', quia quamvis de facto homo sit Deus, tamen haec est falsa 'humanitas est Deus'. Immo, nec aliqua humanitas potest esse Deus, sicut nec humanitas potest esse immortalis vel aeterna. Quod autem conclusio esset falsa, isto casu posito, patet, nam humanitas Christi, quamvis non sit homo, potest tamen esse homo; quia si deponeretur a Filio Dei, statim eo ipso esset homo.

Similiter, iste discursus non valet 'omnis persona de necessitate est Deus; nulla humanitas seu natura intellectualis creata est Deus; igitur omnis humanitas seu

omnis natura intellectualis creata de necessitate non est persona'. Si enim nullus homo esset nisi Christus, nec aliquis angelus, haec esset vera 'omnis persona de necessitate est Deus', nam quaelibet singularis est vera. Et minor esset vera, certum est, et tamen conclusio est falsa, nam adhuc aliqua natura intellectualis, scilicet illa assumpta a Verbo, posset esse persona, quia si deponeretur a Verbo, esset persona. Similiter, isto casu posito istae praemissae essent verae 'omnis persona de necessitate est non assumpta a Verbo; nulla natura intellectualis creata est non assumpta a Verbo' et tamen haec conclusio esset falsa 'omnis nature intellectualis creata de necessitate non est persona', et per consequens talis discursus non valet.

Similiter, secundum opmionem Aristotelis, talis discursus non valet 'omne album de necessitate est cygnus; nullus asinus est cygnus; igitur omnis asinus de necessitate non est albus', quia si nihil sit album nisi cygnus, praemissae sunt verae et conclusio falsa. Haec enim esset vera 'omne album de necessitate est cygnus', quia quaelibet singularis esset vera, igitur ipsa est vera. Et certum est quod minor est vera, et manifestum est quod conclusio est falsa. Igitur talis discursus non valet. Verumtamen quod dictum est de isto exemplo, non est dictum nisi gratia exempli.

Si autem negativa sit de necessario, adhuc discursus non valet, quia non sequitur 'omne album de necessitate non est asinus; omne rudibile est asinus; igitur rudibile de necessitate non est album'. Nam si nullus asinus sit albus, praemissae sunt verae et conclusio falsa. Tunc enim maior est vera, ista scilicet 'omne album de necessitate non est asinus', nam quaelibet singularis est vera.

Quocumque enim albo demonstrate haec est vera 'hoc de necessitate non est asinus' quia ex quo, per casum, nullum album est asinus, omne album est aliud ab asino et per consequens non potest esse asinus, et ita de necessitate non est asinus. Et ratio veritatis talium propositionum est ista: quia, sicut frequenter est tactum, per istam 'omne album de necessitate non est asinus' non denotatur quod illa propositio sit necessaria in qua praedicatum removetur ab illo subiecto, puta ab hoc subiecto 'album', sicut non denotatur quod haec sit necessaria 'nullum album est asinus'; sicut nec per istam 'album potest esse nigrum' denotatur quod haec sit possibilis 'album est nigrum'. Sed per istam 'omne album de necessitate non est asinus' denotatur quod quaelibet propositio in qua hoc praedicatum 'asinus' per verbum de praesenti removetur a pronomine demonstrante quodcumque quod est album, sit necessaria. Ita quod si tantum sint tria alba, pro tunc per istam 'omne album de necessitate non est asinus' non denotatur nisi quod quaelibet istarum trium propositionum sit necessaria 'hoc non est asinus' et 'illud non est asinus' et 'illud non est asinus', et si quaelibet istarum trium propositionum sit necessaria, — quod erit verum si tantum tres homines sint albi —, tunc illa propositio de necessario erit vera, quia quaelibet singularis est vera. Non tamen erit illa de necessario necessaria, quia poterit habere multas singulares falsas, et per consequent erit falsa. Et ita talis de necessario aliquando est vera, quando scilicet quaelibet singularis est vera, et aliquando est falsa, quando scilicet aliqui singularis est falsa. Et hoc est summe necessarium ad sciendum quando propositio de modo in sensu divisionis quaecumque vel

aequivalens ei, vel quaecumque propositio habens adverbialem determinationem determinantem compositionem, est vera et quando est falsa.

Sic igitur patet quod quamvis negativa sit de necessario, non sequitur conclusio de necessario, sicut non sequitur 'omne agens de necessitate non patitur; omnis creatura patitur; ergo omnis creatura de necessitate non est agens'. Nec sequitur 'omnis homo de necessitate non est Deus; quaelibet persona divina est Deus; igitur quaelibet persona divina de necessitate non est homo', nam ante incarnationem fuerunt praemissae verae et conclusio falsa.

Sic igitur patet quod si illa de necessario sumatur in sensu divisionis vel aliqua aequivalens ei, quod discursus mixtus non valet in secunda figura. Nec potest reduci in primam figuram per conversionem, quia dictum est prius quod talis de necessario non est convertibilis in illam de necessario sed tantum in illam de inesse; ex duabus autem de inesse non sequitur conclusio de necessario in prima figura. Similiter dictum est quod talis negativa universalis non convertitur in universalem sed in particularem de inesse, maior autem non potest esse particularis in prima figura. Similiter minor in prima figura non potest esse particularis de necessario, sicut dictum est.

3—1.33 DE MIXTIONE NECESSARII ET DE INESSE IN TERTIA FIGURA

Quando autem debet fieri mixtio necessarii et inesse in tertia figura si illa de necessario sumatur in sensu compositionis vel aequivalens ei, mixtio non valet generaliter, sive minor fuerit de necessario sive maior. Si enim fuerit maior de necessario, patet instantia hic 'omnem personam divinam esse Deum est necessarium; omnis persona divina est creans; igitur aliquem creantem esse Deum est necessarium' quia praemissae sunt verae et conclusio falsa. Similiter, si minor sit de necessario, patet instantia, sicut hic 'quaelibet persona divina est creans; omnem personam divinam esse Deum est necessarium; igitur aliquem Deum esse creantem est necessarium'.

Tamen sciendum quod si minor sit de inesse simpliciter, tenet mixtio, quia conversa minore sequitur conclusio de necessario in prima figura. Similiter, si maior sit universalis negativa et minor sit particularis et praedicetur inferius de superiori, est bonus discursus; sicut in prima figura quando maior est negativa de necessario et in minore praedicatur superius de suo inferiori, sive sit superius per se sive per accidens, semper est bonus discursus, sive minor sit de inesse simpliciter sive de inesse ut nunc. Non autem est sic de affirmativa: et ratio est, quia semper a superiori distributo ad quodcumque inferius tenet consequentia simplex negative non affirmative. Unde haec est consequentia simplex 'nullum animal currit, igitur nullus homo currit'; sed haec consequentia non est consequentia simplex 'omne animal currit, igitur omnis homo currit'. Sed si illa negativa sit particularis de necessario, valet mixtio si in universali affirmativa praedicetur superius de inferiori. Unde iste discursus est bonus 'aliquem hominem non esse asinum est necessarium; omnis homo est homo albus; igitur aliquem hominem album non esse asinum est

necessarium'. Et ratio est, quia quidquid negatur necessario particulariter ab aliquo superiori, negatur etiam particulariter a quolibet inferiori quod potest praedicari de superiori universaliter sumpto, quia non contingit reperire instantiam.

Ex praedictis potest elici quomodo uniformiter est dicendum de omnibus in tertia figura, illa de necessario sumpta in sensu compositionis.

Sed si illa de necessario sumatur in sensu divisionis, quando maior est de necessario et universalis semper sequitur conclusio de necessario in sensu divisionis, quia tunc semper conversa minore, quae est de inesse, est syllogismus regulatus per dici de omni vel de nullo in prima figura respectu eiusdem conclusionis. Sicut sequitur 'omnis homo de necessitate est animal; omnis homo, vel aliquis homo, est albus; igitur aliquod album de necessitate est animal'. Sicut sequitur 'omnis homo de necessitate non est asinus; omnis homo, vel aliquis homo, est albus; igitur aliquod album de necessitate non est asinus'; quia in omnibus praedictis conversa minore, quae est de inesse, sequitur conclusio de necessario in prima figura.

Si autem maior sit particularis affirmativa, valet mixtio. Unde sequitur 'aliquis homo de necessitate est animal; omnis homo est albus; igitur aliquod album de necessitate est animal'. Talis autem syllogismus reducitur in primam figuram per convexsionem maioris in unam de inesse et conversionem conclusionis in unam de inesse et per transpositionem propositionum, sic 'omnis homo est albus; aliquid, quod de necessitate est animal, est homo; igitur aliquid, quod de necessitate est animal, est album', qui est syllogismus regulatus per dici de omni.

Si autem maior sit particularis negativa, discursus valet, quia sequitur 'aliquis producens de necessitate non est asinus; omnis producens est persona divina; igitur aliqua persona divina de necessitate non est asinus'. Probatur autem talis syllogismus per syllogismum expositorium. Si aliquis producens de necessitate non est asinus, sit ille a, tunc a de necessitate non est asinus; et a est persona divina, per minorem propositionem; igitur aliqua persona divina de necessitate non est asinus. Sic igitur patet quod semper mixtio est bona si maior sit de necessario in sensu divisionis vel acquivalens ei.

Sed si minor sit de necessario, non valet mixtio. Non enim sequitur 'omnis homo est albus; omnis homo de necessitate est animal; igitur aliquod animal de necessitate est album', sicut non sequitur 'omnis persona divina creat; omnis persona divina de necessitate est Deus; igitur Deus de necessitate creat'. Nec sequitur 'nulla persona divina est incarnata; omnis persona divina de necessitate est Deus; igitur Deus de necessitate non est incarnatus', nam ante incarnationem fuerunt praemissae verae et conclusio fuit simpliciter falsa.

3—1.34 DE MIXTIONE DE INESSE ET POSSIBILIS IN PRIMA FIGURA

Post mixtionem de inesse et necessarii dicendum est de mixtione de inesse et possibilis, et primo de prima figura.

Unde primo sciendum est quod si illa de possibili sumatur in sensu compositionis vel aequivalens ei, sive maior fuerit de possibili sive minor, non valet mixtio talis universaliter, quia contingit praemissas esse veras conclusione exsistente falsa. Patet hoc per instantiam in terminis, sic 'omnem hominem esse album est possibile; omne nigrum est homo; igitur omne nigrum esse album est possibile'; 'nullum hominem esse Deum est possibile; omnis Filius Dei est homo; igitur nullum Filium Dei esse Deum est possibile'; 'nullus creans est Deus; omnem personam divinam esse creantem est possibile; igitur omnem personam divinam non esse Deum est possibile'. In omnibus praedictis exemplis patet quod praemissae possunt esse verae conclusione exsistente falsa.

Sciendum est tamen quod si minor sit de inesse simpliciter sive maior, valet mixtio. Similiter sciendum quod si in syllogismo negativo sumatur sub aliquod inferius ad medium terminum, sive minor sit de inesse simpliciter sive de inesse ut nunc, mixtio valet. Unde bene sequitur 'nullum hominem esse Deum est possibile; omnis homo albus est homo; igitur nullum hominem album esse Deum est possibile'. Sed in syllogismo affirmativo non sufficit accipere sub aliquod inferius ad medium terminum. Et ratio est, quia a superiori distributo ad quodcumque inferius est consequentia simplex negative non affirmative, sicut dictum est prius.

Si autem illa de possibili sumatur in sensu divisionis vel aequivalens ei, aut maior est de possibili aut minor: si maior, aut subiectum stat pro his quae sunt vel pro his quae possunt esse. Si primo modo, semper est mixtio bona, quia semper discursus talis regulatur per dici de omni vel de nullo. Sicut sequitur 'omne album potest esse homo; Sortes est albus; igitur Sortes potest esse homo', quia per maiorem denotatur quod omne illud quod est album potest esse homo et per minorem denotatur quod Sortes est albus, ex quo sequitur quod Sortes potest esse homo. Si autem subiectum supponat pro his quae possunt esse adhuc mixtio valet, nam semper illa de possibili, quando sumitur pro his quae possunt esse, infert illam de possibili quando subiectum sumitur pro his quae sunt; et ex secunda et illa de inesse sequitur talis conclusio de possibili, igitur ex alia, quia quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens.

Si autem minor sit de possibili et maior de inesse, non valet mixtio, quia non sequitur 'omne album est homo; omnis asinus potest esse albus; igitur omnis asinus potest esse homo'; et hoc qualitercumque sumatur subiectum in illa de possibili.

Sciendum est etiam quod quamvis quando est mixtio bona semper sequatur conclusio directa, non tamen semper sequitur conclusio de possibili indirecta, et hoc, quia, sicut dictum est prius, illa de possibili non semper convertitur in illam de possibili, sed aliquando convertitur in illam de inesse.

Est autem sciendum quod in conclusione subiectum non debet stare nisi pro his quae sunt, ex quo minor est de inesse in tali mixtione.

3—1.35 DE MIXTIONE DE INESSE ET POSSIBILIS IN SECUNDA FIGURA

Ex propositione de possibili in sensu compositionis vel aequivalente ei, sive fuerit negativa sive affirmative, et alia de inesse nulla sequitur conclusio in secunda figura, Patet hoc, quia si negativa fuerit de possibili, reduceretur in primam figuram per conversionem illius negativae. Sed dictum est prius quod talis mixtio non valet in prima figura, et hoc universaliter; aliquando tamen valet, et tunc in illo casu valebit in secunda figura. Similiter si affirmativa fuerit de possibili, non valet, quia in prima figura minore exsistente de possibili non valet mixtio. Hoc etiam patet per instantiam: nam non sequitur 'possibile est nullum Deum esse hominem; omnis persona divina est homo; igitur possibile est nullam personam divinam esse Deum', quia si quaelibet persona divina esset incarnata, praemissae essent verae et conclusio falsa. Similiter non sequitur 'possibile est omnem personam divinam esse incarnatam; nullus Deus est incarnatus; igitur possibile est nullum Deum esse personam divinam', quia ante incarnationem fuerunt praemissae verae et conclusio falsa. Et sicut non valet mixtio talis in syllogismis universalibus, ita nec in particularibus.

Si autem illa de possibili sumatur in sensu divisionis vel aequivalens ei, non valet mixtio talis, quia non sequitur 'omnis persona divina potest esse incarnata; nullus Deus est incarnatus; igitur quilibet Deus potest non esse persona divina'. Nec sequitur 'omnis Deus potest non esse homo; omnis persona divina est homo; igitur omnis persona divina potest non esse Deus'. Nec potest reduci in primam figuram per conversionem, quia reduceretur per conversionem negativae; sed dictum est prius quod universalis negativa de possibili non convertitur nisi in particularem de inesse, quae tamen deberet esse maior in prima figura; quod non est possibile, cum sit particularis.

3—1.36 DE MIXTIONE DE INESSE ET POSSIBILIS IN TERTIA FIGURA

Si autem in. tertia figura illa de possibili sumatur in semu compositionis, sive fuerit affirmativa sive negativa, non sequitur universaliter aliqua conclusio de possibili in sensu compositionis. Unde non sequitur 'omnem hominem esse album est possibile; omnis homo est niger; igitur aliquod nigrum esse album est possibile'. Quando tamen utraque est affirmativa, sequitur conclusio de possibili sumpta in sensu divisionis, sic 'possibile est omnem hominem esse album; omnis homo est niger; igitur aliquod nigrum potest esse album', quia si possibile est omnem hominem esse album, aliqua singularis est possibilis. Tunc haec est possibilis 'hoc est album', et per consequens hoc potest esse album, quia dictum est prius quod talis singularis in sensu compositionis et in sensu divisionis convertuntur. Nunc sequitur 'hoc potest esse album; hoc est nigrum; igitur nigrum potest esse album'.

Si autem illa de possibili sit negativa, nulla sequitur conclusio. Non enim sequitur 'possibile est nullum hominem esse Deum; omnis homo est Pater; igitut possibile est nullum Patrem esse Deum'. Si autem illa de possibili sumatur in sensu divisionis, tunc si maior sit de possibili, qualitercumque subiectum sumatur, sequitur conclusio de possibili, quia potest reduci in primam figuram per conversionem minoris, vel per conversionem maioris in illam de inesse et per transpositionem

propositionum, inferendo unam de inesse, quae est conversa primae conclusionis de possibili.

Si autem maior sit de inesse et minor de possibili, si subiectum sumatur pro his quae sunt, bene valet mixtio si utraque fuerit universalis. Bene enim sequitur 'omnis homo est albus; omnis homo potest esse niger; igitur nigrum potest esse album', sumpto subiecto conclusionis pro his quae possunt esse, non pro his quae sunt. Similiter sequitur 'nullus homo est asinus; omnis homo potest esse albus; igitur aliquod album potest non esse asinus'.

Si autem minor de possibili fuerit particularis et subiectum sumatur pro his quae possunt esse, non valet mixtio, sicut non sequitur 'omne album est homo; aliquod album potest esse asinus; igitur aliquis asinus potest esse homo'. Nec sequitur 'nullus homo est Deus; aliquis homo potest esse Pater vel Verbum; igitur Pater vel Verbum potest non esse Deus'.

Prima mixtio probatur per syllogismum expositorium si maior sit particularis, quia si aliquis homo est albus et omnis homo potest esse niger, detur ille homo qui est albus. Tunc ille est albus et ille potest esse niger, igitur aliquid, quod potest esse nigrum, est album; et per consequens potest esse album.

Si dicatur quod consimiliter potest probari si minor sit particularis de possibili, sic 'omne album est homo; aliquod album potest esse asinus; igitur' etc. Quia si haec minor sit vera, detur. Sit illud a; nunc sequitur 'a est homo; a potest esse asinus; igitur aliquid, quod potest esse asinus, est homo', et per consequens potest esse homo:

Dicendum est quod talis probatio non valet in isto casu. Nam dato quod a potest esse asinus, non habetur per maiorem quod a est homo, quia subiectum non supponit pro a, quamvis in minore supponat pro a. Hoc autem requiritur ad hoc quod talis probatio valeret per syllogismum expositorium., quo modo est in aliis, sicut dictum est.

3—1.37 DE MIXTIONE DE INESSE ET CONTINGENTIS NON—NECESSARII IN PRIMA FIGURA

Viso quomodo valet mixtio de inesse et possibilis, videndum est quomodo valet mixtio de inesse et contingentis non—necessarii. Et primo in prima figura.

Et est primo sciendum quod si illa de contingenti sumatur in sensu compositionis, sive fuerit minor sive maior, non sequitur conclusio de contingenti. Sicut non sequitur 'contingit omnem hominem esse album; omnis homo niger est homo; igitur contingit omnem hominem nigrum esse album'. Nec sequitur conclusio de contingenti in sensu divisionis; non enim sequitur 'contingit omnem hominem esse Deum; Verbum est homo; igitur contingit Verbum esse Deum'. Sed bene sequitur conclusio de possibili, et hoc quia semper illa de contingenti infert illam de possibili, ex qua et illa de inesse sequitur conclusio talis de possibili, sicut dictum est

prius. Similiter non sequitur 'omnis homo est Deus; contingit omnem naturam humanam esse hominem; igitur contingit naturam humanam esse Deum'. Nec sequitur conclusio de possibili.

Est autem sciendum quod quamvis maiore exsistente negativa de possibili et sumpto in minore aliquo inferiore sub medio termino, sequitur conclusio de possibili, non tamen ista regula est vera si maior at de contingenti; non enim sequitur 'contingit nullum album esse asinum; omnis homo albus est albus; igitur contingit nullum hominem album esse asinum'.

Si autem illa de contingenti sumatur in sensu divisionis: si sit maior, aut subiectum accipitur praecise pro his quae sunt aut praecise pro his quae contingunt aut tam pro his quae sunt quam pro his quae contingunt. Si primo modo, semper est syllogismus regulatus per dici de omni vel de nullo, dummodo minor sit affirmativa; sicut sic arguendo 'contingit omnem hominem esse album; Sortes est homo; igitur contingit Sortem esse album'. Nam per istam maiorem denotatur quod de quocumque dicitur subiectum per verbum de praesenti quod de eodem dicitur praedicatum cum hoc verbo 'contingit', et per minorem denotatur quod illud quod fuit subiectum propositionis primae vere sic dicitur de subiecto minoris. Igitur ille syllogismus regulatur per dici de omni. Et eodem modo regulatur per dici de nullo, si maior fuerit negativa. Si autem subiectum maioris praecise supponat pro his quae contingunt, non valet mixtio, nec regulatur per dici de omni vel de nullo.

Unde iste syllogismus non valet 'omne ens contingit creari; Deus est ens; igitur Deum contingit creari', si sensus maioris sit iste 'omne quod contingit esse ens, contingit creari', quia per minorem non denotatur quod contingit Deum esse ens, et per consequens non regulatur per dici de omni.

Si autem subiectum maioris supponat tam pro his quae sunt quam pro his quae contingunt, sic est mixtio bona, regulata per dici de omni vel de nullo, quia talis de contingenti infert illam de contingenti in qua subiectum supponit praecise pro his quae sunt.

Si autem minor sit de contingenti, non sequitur universaliter conclusio, quia non sequitur 'omne album est homo; contingit omnem equum esse album; igitur contingit omnem equum esse hominem'. Similiter non sequitur nullus homo est Deus; contingit omnem humanitatem esse hominem; igitur contingit nullam humanitatem esse Deum'.

Sciendum est tamen quod si maior sit de inesse simpliciter, sequitur conclusio de contingenti, et hoc sive minor sit sumpta in sensu compositionis sive in sensu divisionis. Hoc tamen interest, quia si maior sit affirmativa, sequitur conclusio de contingenti, si autem maior sit negativa, sequitur conclusio de possibili. Quod enim non sequatur conclusio de contingenti si maior sit negativa, patet, nam non sequitur nullus asinus est intelligens; contingit omne rudibile esse asinum; igitur contingit

nullum rudibile esse intelligens', quia praemissae sunt verae et conclusio felsa. Sed ista conclusio sequitur 'omne rudibile potest non esse intelligens'.

Est autem sciendum quod quando minor est de inesse, non refert an maior sit negativa vel affirmativa, dummodo tamen minor sit affirmativa. Sed quando minor est de contingenti, non refert an minor sit affirmativa vel negativa, et hoc quia illa de contingenti convertitur per oppositas qualitates.

Sciendum est etiam quod eaedem regulae quae dictae sunt de universalibus, dicendae sunt de syllogismis particularibus in tali mixtione contingentis et inesse.

3—1.38 DE MIXTIONE CONTINGENTIS ET INESSE IN SECUNDA FIGURA

Si illa de contingenti fuerit negativa in secunda figura et sumatur in sensu compositionis, licet illa de inesse sic de inesse simpliciter, non sequitur conclusio de contingenti. Non enim sequitur, secundum opinionem Philosophi, 'omne album est homo; contingit nullum nigrum esse hominem; igitur contingit nullum nigrum esse album'. Similiter non sequitur 'omnis homo est albus; contingit nullum equum esse album; igitur contingit nullum equum esse hominem'. Similiter, si affirmativa fuerit de contingenti, non sequitur conclusio de contingenti sumpta in sensu compositionis. Similiter etiam, quamvis affirmativa fuerit de inesse simpliciter, non sequitur conclusio de contingenti in sensu compositionis. Non enim sequitur 'contingit nullum hominem esse album; omnis cygnus est albus; igitur contingit nullum cygnum esse hominem'. Et tamen minor, secundum intentionem Philosophi, est de inesse simpliciter. Nec sequitur secundum veritatem 'contingit nullam humanitatem esse in actu; quaelibet persona divina est in actu; igitur contingit nullam personam divinam esse humanitatem', et tamen minor est de inesse simpliciter. Tamen conclusio de possibili bene sequitur.

Si autem negativa fuerit de inesse et affirmativa de contingenti, non sequitur conclusio de contingenti. Non enim sequitur 'nullus equus est homo; contingit omnem scientem esse hominem; igitur contingit nullum scientem esse equum', nam praemissae sunt verae et conclusio falsa, vocando scientem illum solum qui habet scientiam creatam; per quod excluditur Deus.

Si vero illa de contingenti sumatur in sensu divisionis: si negativa fuerit de contingenti et affirmativa de inesse, non sequitur conclusio de contingenti. Non enim sequitur, secundum opinionem Aristotelis, 'contingit nullum hominem esse album; omnis cygnus est albus; igitur contingit nullum cygnum esse hominem'. Nec etiam sequitur 'contingit nullum Deum esse incarnatum; quaelibet persona divina est incarnata; igitur contingit nullum personam divinam esse Deum'. Sed si illa affirmativa fuerit de inesse simpliciter, sequitur conclusio de possibili.

Si autem affirmativa fuerit de contingenti et negativa de inesse simpliciter, sequitur conclusio de possibili, sic 'nullus asinus est intelligens; contingit omnem

hominem esse intelligentem; igitur omnis homo potest non esse asinus'. Et sic exponendus est Aristoteles in libro Priorum quando dicit quod si affirmativa fuerit de contingenti negativa de inesse simpliciter, sequitur conclusio, supple: de possibili. Si autem negativa sit de contingenti, quamvis altera de inesse fuerit de inesse simpliciter, non sequitur conclusio de possibili, et hoc si subiectum illius de contingenti sumatur praecise pro his quae contingunt. Non enim sequitur 'contingit nullum ens esse in actu; omnis Deus est in actu; igitur contingit nullum Deum esse ens'. Minor est de inesse simpliciter et maior est vera sub illo sensu; haec enim est vera 'omne quod contingit esse ens, contingit non esse in actu'. Et sic loquitur Philosophus in libro Priorum. Et per istam distinctionem, et alias quae positae sunt et ponentur, solvendae sunt contrarietates quae videntur esse inter dicta hic et dicenda et illa quae dicit Aristoteles in libro Priorum, quarum solutionem propter brevitatem temporis dimitto studiosis.

3—1.39 DE MIXTIONE CONTINGENTIS ET INESSE IN TERTIA FIGURA

Quando illa de contingenti in tertia figura sumitur in sensu compositionis, non sequitur generaliter conclusio de possibili nec de contingenti in sensu compositionis. Non enim sequitur 'contingit omnem hominem esse album; omnis homo est niger; igitur contingit album esse nigrum. Tamen si utraque sit universalis affirmativa et subiectum illius de contingenti supponat pro his quae sunt et accipitur in sensu divisionis, sequitur conclusio de possibili in sensu divisionis. Unde ex praedictis praemissis sequitur ista conclusio 'aliquod nigrum potest esse album'. Quod potest probari per syllogismum expositorium, sub universali de contingenti sumendo aliquam singularem de contingenti: illam quae convertitur cum illa de contingenti in sensu divisionis. Similiter si minor sit particularis de inesse et maior de contingenti, sequitur conclusio consimilis. Si autem maior sit particularis, consimiliter sequitur.

Si autem subiectum illius de contingenti sumatur pro his quae contingunt, non sequitur conclusio. Non enim sequitur 'omne ens contingit creari; omne ens est Deus; igitur Deum contingit creari vel Deus potest creari'.

Est autem intelligendum quod sicut in prima figura, ita in secunda et tertia quandocumque illa de contingenti est affirmativa, potest poni in loco ipsius negativa de contingenti; et hoc quia illa de contingenti convertitur per oppositas qualitates. Similiter, quando minor est de inesse in primo modo, secundo et quarto et sexto, perficitur syllogismus per conversionem minoris; et tunc semper oportet subiectum maioris supponere pro his quae sunt vel pro his quae contingunt.

3—1.40 DE MIXTIONE EX PROPOSITIONE DE INESSE ET DE IMPOSSIBILI

Post praedicta videndum est an ex illa de inesse et de impossibili possit fieri syllogismus mixtus. Et est primo sciendum quod semper illa de impossibili aequivalet alicui propositioni de necessario, et ideo ex praedictis circa mixtionem

necessarii et inesse potest patere quomodo potest argui ex propositionc de inesse et propositione de impossibili.

Propter quod sciendum quod in prima figura ex maiore de impossibili, aequivalente universali de necessario, sumpta in sensu compositionis et minore de inesse simpliciter sequitur conclusio de impossibili in eodem sensu, si minor sit de inesse simpliciter, et aliter non. Et ideo non sequitur 'omne falsum esse verum est impossibile; te sedere est falsum; igitur te sedere esse verum est impossibile'. Tum quia maior aequivalet particulari de necessario, scilicet isti 'aliquod falsum non esse verum est necessarium', et ita syllogismus non valet, quia maior est particulatis aequipollenter; tum quia minor est de inesse ut nunc, et manifestum est quod praemissae sunt verae et conclusio falsa. Similiter non sequitur 'omne verum esse necessarium est impossibile; Deum esse est verum; igitur Deum esse esse necessarium est impossibile, quia non obstante quod minor sit de inesse simpliciter, tamen maior aequivalet uni particulari de necessario, et ideo non valet discursus. Sed iste discursus est bonus 'aliquod verum esse falsum est impossibile; Deum esse est verum; igitur Deum esse esse falsum est impossibile', quia minor est de inesse simpliciter. Sed iste non valet 'aliquod verum esse falsum est impossibile; te sedere est verum; igitur te sedere esse falsum est impossibile', et hoc quia minor est de inesse ut nunc. Primus discursus est bonus, quia maior aequivalet isti 'nullum verum esse falsum est necessarium' et conclusio aequipollet isti 'Deum esse non esse falsum est necessarium'. Et patet quod ex illa de necessario et minore de inesse simpliciter sequitur conclusio de necessario. Et per idem patet quod secundus discursus non valet. Et ita in istis necessarium est scire aequipollentiam propositionis de impossibili ad propositionem de necessario. Et hoc sufficit.

Si autem. illa de impossibili sumatur in sensu divisionis et minor de inesse simpliciter, semper sequitur conclusio de impossibili in sensu divisionis, retentis principiis communibus primae figurae, per syllogismum regulatum per dici de omni vel de nullo. Unde bene sequitur 'omnis homo non potest esse asinus; album est homo; igitur album non potest esse asinus'. Hic tamen sciendum est quod quando arguitur ex propositione de impossibili in qua modus possibilitatis negatur, semper termini debent supponere pro his quae sunt, quia in illis syllogismis universalibus si terminus conclusionis supponeret pro his quae possunt esse, syllogismus non valeret. Unde non sequitur 'omnis homo non potest esse asinus; omne album est homo; igitur omne quod potest esse album non potest esse asinus'.

Et sicut dictum est de ista mixtione in prima figura, ita consimiliter dicendum est in aliis figuris sicut dictum est prius de mixtione necessarii et inesse. Nec oportet aliquid scire nisi aequipollentiam inter propositionem de necessario et de impossibili.

3—1.41 DE MIXTIONE EX PROPOSITIONIBUS DE INESSE ET ALIIS MODALIBUS QUAE MODIFICANTUR PER 'SCITUM', 'DUBITATUM', 'PER SE PRIMO' ET HUIUSMODI IN PRIMA FIGURA

Post mixtiones ex propositionibus de inesse et propositionibus modalibus quae ab omnibus conceduntur esse modales dicendum est de mixtionibus ex propositionibus de inesse et aliis propositionibus modalibus. Et quia istae mixtiones possunt patere ex mixtionibus praedictis, ideo de eis breviter est dicendum. Et primo in prima figura.

Est autem primo sciendum quod quando accipitur aliquis modus positivus, cuiusmodi sunt 'scitum', 'notum', 'demonstrabile 'per se notum', 'primo verum' et huiusmodi, raro vel numquam, si maior sumatur in sensu compositionis et minor de inesse, sequitur conclusio de tali modo in sensu compositionis, sive minor sit de inesse simpliciter sive ut nunc.

Ad sciendum autem quando sequitur et quando non, videndum est an talis modus possit competere propositioni universali, et si competat cuilibet consequenti ad illam universalem vel non. Si non, tunc numquam talis discursus valet. Huiusmodi autem sunt tales modi 'scitum, 'primo verum', 'per se notum', 'creditum', 'opinatum', 'concessum', 'affirmatum' et huiusmodi. Et ideo tales syllogismi non valent 'omnem triangulum habere tres est scitum a me; iste triangulus est triangulus; igitur istum triangulum habere tres est scitum a me'; 'omnem Deum esse immortalem est scitum a me; Pater est Deus; igitur Patrem esse immortalem est scitum a me'; 'omnem hominem esse risibilem est primo verum; Sortes est homo; igitur Sortem esse risibilem est primo verum'. Et sicut est de istis, ita est de aliis.

Si autem talis modus non possit competere propositioni universali nisi competat cuilibet consequenti, tunc tenet syllogismus. Talis autem modus est 'verum'. Et ideo iste syllogismus est bonus 'omnem hominem esse animal est verum; album, est homo; igitur album esse animal est verum'; et hoc, quia universalis non potest esse vera nisi quodlibet consequens ad ipsam sit verum. Et si sit aliquis modus alius qui non possit competere universali propositioni nisi competat cuilibet propositioni quae sequitur ad eam, mixtio ex tali propositione et propositione de inesse valet. Si autem modus non sit talis, mixtio non valet generaliter, quamvis in aliquibus terminis et cum aliqua determinata minore valeat. Sed quando valeat et quando non, propter brevitatem relinquo aliis discutiendum. Si autem talis modus sit negativus, sicut 'falsum', tunc non valet mixtio talis. Sed si illa de modo sumatur in sensu divisionis vel aequivalens ei, semper talis mixtio valet respectu conclusionis de consimili modo in sensu divisionis vel acquivalentis. Unde quando talis propositio sumitur in sensu divisionis, ille modus non est determinatio totius propositionis, sed si sumatur adverbialiter vel aequivalenter est determinatio compositionis. Et si non sit determinatio adverbialis, semper aequivalet uni propositioni habenti adverbium correspondens, determinans compositionem. Sicut ista in sensu divisionis 'contingit omnem hominem currere' aequivalet isti 'omnis homo contingenter currit' et ista 'omnis homo potest currere' aequivalet isti 'omnis homo possibiliter currit'. Sed tunc in ista 'omnis homo contingenter currit' non denotatur quod omnis homo currit, sed quod omnis homo potest currere et omnis homo potest non currere. Et sic est de istis duabus 'omnis homo possibiliter currit' et 'omnis homo potest currere'. Et tunc

subiectum in istis 'omnis homo possibiliter currit', 'omnis homo contingenter currit' potest habere consimiles acceptiones quas habet in aliis; alias non aequivaleret.

Utrum autem de virtute sermonis aequipolleant vel non, ad praesens non curo, tamen ad minus posset sic institui. Et tunc propositio talis sine tali adverbio et cum tali adverbio aequivalent. Hoc autem semper est verum, quia illa propositio de modo quocumque, sumpta in sensu divisionis, vel aequivalet uni propositioni habenti adverbialem determinationem, determinantem compositionem, vel aequivalet uni propositioni habenti verbum modale indicativi modi com verbo infinitivi modi sequente. Sicut ista 'omnem hominem esse animal est scitum a me' aequivalet isti 'omnis homo scitur a me esse animal'; et ista 'omnem hominem vivere est scitum a me' aequivalet isti 'omnis homo scitur a me vivere'. Et ita est de aliis.

Ex isto potest patere quod idem modus arguendi debet servari ex talibus propositionibus et ex quibuscumque aliis habentibus alia verba indicativi modi sine omni verbo sequente et ex propositionibus habentibus alias determinationes adverbiales, vel acquivalentes eis, determinantes compositionem; et ideo ex tali de quocumque modo et minore de inesse sequitur conclusio de consimili modo in sensu divisionis vel aequivalens, et hoc in prima figura. Et ideo omnes tales syllogismi sunt boni 'omnis homo scitur a me esse animal; homo albus est homo; igitur homo albus scitur a me esse animal'; 'omne animal scitur a me esse sensibile; homo caecus est animal; igitur homo caecus scitur a me esse sensibilis'.

Et si dicatur quod praemissae possunt esse verae conclusione exsistente falsa, puta si sciam omne animal esse sensibile et tamen nesciam aliquod animal esse caecum, quamvis multi homines sint caeci, sed hoc nesciam:

Dicendum quod omnes tales syllogismi sunt boni, regulati per dici de omni vel de nullo. Unde per istam 'omne animal scitur a me esse sensibile' denotatur quod hoc totum 'scitur a me esse sensibile' convenit cuilibet animali, et ideo si homo caecus sit animal, oportet quod homini caeco conveniat quod denotatur per conclusionem. Et ita talis syllogismus est regulatus per dici de omni. Nec obstat quod adducitur quod si haec sit vera 'omne animal scitur a me esse sensibile' et haec similiter 'homo caecus est animal' oportet quod haec similiter sit vera 'homo caecus scitur a me esse sensibilis'; sed simul cum hoc stat quod nesciam aliquem hominem esse caecum et quod nesciam istam 'homo caecus est animal'. Sicut enim cum ista 'album potest esse nigrum' stat quod haec sit impossibilis 'album est nigrum', ita cum ista 'homo caecus scitur a me esse sensibilis' stat quod haec non sit scita a me 'homo caecus est sensibilis'.

Et si dicatur: sequitur 'homo caecus scitur a me esse sensibilis, igitur aliquod sensibile scitur a me esse homo caecus', dicendum est quod ista consequentia non valet, sed debet inferri ista 'aliquid, quod scitur a me esse sensibile, est homo caecus'. Hoc patet per dicta in tractatu secundo, in parte de conversione propositionum. Sic igitur dico quod tales syllogismi sunt boni; et similiter tales 'omnis aedificator per se aedificat; homo albus est aedificator; igitur homo albus per se aedificat'; 'omne

album per accidens aedificat; aedificator est albus; igitur aedificator per accidens aedificat'; 'omnis anima intellectiva scitur a me esse substantia; intellectus est anima intellectiva; igitur intellectus scitur a me esse substantia'; 'omnis natura specifica scitur a me esse communicabilis; differentia individualis est natura specifica; igitur differentia individualis scitur a me esse communicabilis'. Similiter, secundum opinionem Aristotelis, qui non ponit aliquam unam rem sim simplicem esse plures res distinctas realiter, tales syllogismi sunt boni 'omnis Deus scitur a me esse immortalis; Pater est Deus; igitur Pater scitur a me esse immortalis'; 'omnis Deus creditur a philosophis esse aeternus; Filius productus est Deus; igitur Filius productus creditur a philosophis esse aeternus'. Sed qualiter secundum theologos possit impediri talis processus et qualiter non, dictum est prius.

Sic igitur dicendum est quod omnes tales syllogismi sunt boni ac si omnes propositiones essent de inesse, nec est aliter arguendum ex talibus in prima figura quam ex illis de inesse.

Sed propter cavillationes est sciendum quod non quaelibet propositio in qua ponitur talis modus est propositio modalis, sed ad hoc quod propositio sit modalis, duo requiruntur, Unum, quod ille modus non sit praecise pars alterius extremi. Et propter hoc tales non sunt modales 'illud, quod scitur a me esse animal, est album'; 'illud, quod per se aedificat, est calidum'; 'illud, quod potest currere, est homo sedens ; 'aliquid, quod potest esse impossibile, est verum'. Aliud requiritur: quod ex forma propositionis denotetur ille modus alicui propositioni de inesse competere, quamvis non semper denotetur competere suae de inesse. Sicut per istam 'album potest esse nigrum' denotatur quod aliqua propositio sit possibilis in qua praedicatur nigrum de aliquo quod est album, quamvis non denotetur quod ista sit possibilis 'album est nigrum'. Similiter per istam 'homo albus scitur a me esse animal' denotatur quod aliqua propositio sit scita a me, non tamen denotatur quod ista sit scita a me 'homo albus est animal'. Et propter illud secundum tales propositiones non sunt modales 'omnis homo cognoscitur a me', 'omnis homo intelligitur a me', et sic de aliis. Tamen quantum ad modum arguendi non refert accipere tales propositiones vel modales vel illas de inesse.

3—1.42 DE MIXTIONE TALIUM MODALIUM ET DE INESSE IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura, si talis de modo accipiatur in sensu compositionis, raro vel numquam valet syllogismus quando modus addit aliquid ultra istum modum 'verum', cuiusmodi sunt tales modi 'scitum , 'demonstratum', 'per se notum', 'per se', 'primo verum' et huiusmodi. Quod autem mixtio talis non valeat, patet per instantiam in terminis. Noti enim sequitur, secundum opinionem Aristotelis, 'omnem hominem esse animal est per se; nullum album est animal; igitur nullum album esse hominem est per se'. Nec sequitur 'omnem personam divinam esse to Deum est per se; nullus homo est Deus; igitur nullum hominem esse personam divinam est per se'. Similiter non sequitur 'nullum hominem esse asinum est per se; omne album est asinus; igitur nullum album esse hominem est per se'. Nec sequitur 'nullam humanitatem esse

Deum est per se; aliquis homo est Deus; igitur aliquem hominem non esse humanitatem est per se'. Et sicut est de isto modo 'per se', ita est de multis aliis.

Si autem illa de modo accipiatur in sensu divisionis, vel aliqua aequivalens ei, sic etiam raro vel numquam valet mixtio, sive negativa sive affirmativa fuerit de modo, respectu conclusionis de consimili modo affirmato. Sicut non sequitur 'omne album scitur a Sorte esse homo; nullus asinus est homo; igitur omnis asinus scitur a Sorte non esse albus', nam posito quod nihil sit album nisi Plato, et quod Sortes hoc nesciat, nec etiam sciat an aliquis asinus sit albus vel non, et tamen quod sciat quod Plato est homo, tunc praemissae sunt verae et conclusio falsa. Haec enim est vera 'omne album scitur a Sorte esse homo', quia nihil est album nisi Plato et Plato scitur a Sorte esse homo, igitur omne album scitur a Sorte esse homo; et certum est quod haec est vera 'nullus asinus est homo', et tamen haec est falsa — per positum — 'omnis asinus scitur a Sorte non esse albus'. Et si dicatur quod haec non est vera, illo casu posito, 'omne album scitur a Sorte esse homo', quia Sortes nescit an aliquod album sit homo, hoc non valet, quia quamvis Sortes nesciat istam 'omne album est homo', tamen haec est vera 'omne album scitur a Sorte esse homo, quia per istam non plus denotatur nisi quod praedicatum competit omni illi pro quo subiectum supponit. Et hoc est veruin, quia subiectum non supponit nisi pro Platone, et manifestum est quod Platoni competit praedicatum. Haec enim est vera 'Plato scitur a Sorte esse homo, cum hoc tamen stat quod nesciat istam 'aliquod album est homo'. Sic igitur patet quod talis mixtio non valet. Similiter non sequitur 'omne album per se non est homo; omne risibile est homo; igitur omne risibile per se non est album', nam si nihil sit album nisi asinus, praemissae sunt verae et conclusio falsa. Haec enim est vera 'omne album per se non est homo , quia quaelibet singularis est vera; et minor est vera, certum est, et conclusio est falsa, quia omne risibile per accidens non est album. Similiter non sequitur 'nullus homo est Deus; quaelibet persona divina per se est Deus; igitur quaelibet persona divina per se non est homo', nam ante incarnationem fuerunt praemissae verae et conclusio falsa. Et sicut est de istis modis, ita est de multis aliis.

Et si dicatur quod tales conclusiones 'omnis homo scitur non esse albus', 'omnis homo creditur non esse asinus' et huiusmodi, sunt affirmativae, ideo non debent sequi, dicendum quod quamvis tales sint affirmativae quantum ad compositionem modalem, hoc est quamvis verbum modale affirmetur in eis, tamen verbum aliud negatur. Et hoc sufficit ad intentum meum. Unde ista ponitur negativa 'omnis homo potest non esse albus', quamvis verbum modale affirmetur.

Patet igitur, quod dictum est prius, quod non sequitur conclusio de modo affirmato in tali mixtione, sive modus ille fuerit verbum, cuiusmodi sunt talia verba 'scitur', 'creditur', 'demonstratur' et huiusmodi, sive ille modus sit adverbium vel aequivalens adverbio, cuiusmodi sunt tales 'per se', 'primo verum', 'per accidens' et huiusmodi.

Si autem in conclusione fuerit modus negatus, frequenter sequitur conclusio talis. Iste enim discursus est bonus 'omne album scitur esse homo; nullus asinus est

homo; igitur nullus asinus scitur esse albus'. Similiter sequitur 'omne album per se non est homo; omne risibile est homo; igitur nullum risibile est per se album. Forte tamen cum qiu—busdam aliis modis non valet. Ex praedictis patet quod quamvis ex talibus propositionibus de modo, sumptis in sensu divisionis vel eis aequivalentibus, sit omnino idem modus arguendi in prima figura sicut si omnes propositiones essent de inesse, non tamen sic arguendum est ex eis in secunda figura. Et ratio est quia tales propositiones non eodem modo convertutitur sicut illae de inesse. Unde iste syllogismus 'omnis homo non est asinus; omne rudibile est asinus; igitur omne rudibile non est homo' potest probari per hoc quod ista 'omnis homo non est asinus' convertitur in istam 'omnis asinus non est homo', ex qua et minore sequitur praedicta conclusio in prima figura per syllogismum regulatum per dici de nullo, sic arguendo 'omnis asinus non est homo; omne rudibile est asinus; igitur omne rudibile non est homo'.

Non sic est de isto syllogismo 'omne album per se non est asinus; omne rudibile est asinus; igitur omne rudibile per se so non est album', quamvis iste syllogismus in prima figura 'omnis asinus per se non est albus; omne rudibile est asinus; igitur omne rudibile per se non est album' sit bonus et regulatus per dici de nullo; et hoc, quia ista 'omne album per se non est asinus non convertitur in istam 'omnis asinus per se non est albus', quia posito quod nullus asinus sit albus, antecedens est verum, eo quod quaelibet singularis est vera, et tamen consequens falsum. Sed ista 'omne album per se non est asinus' convertitur in istam 'aliquid, quod per se non est asinus, est album'. Nunc autem manifestum est quod iste syllogismus non valet in prima figura 'aliquid, quod per se non est asinus, est album; omne rudibile est asinus; igitur omne rudibile per se non est album', eo quod maior est particularis in prima figura et similiter affirmativa et conclusio negativa, quae repugnant primae figurae.

Per idem patet quod si universalis negativa sit de inesse et affirmativa de modo, quod non valet talis mixtio, quia tunc in prima figura ex maiore de inesse et minore de tali modo sequitur conclusio de tali modo, quod falsum est.

3—1.43 DE MIXTIONE TALIUM MODALIUM ET PROPOSITIONUM DE INESSE IN TERTIA FIGURA

In tertia figura, si illa de modo sumatur in sensu compositionis, non valet mixtio respectu conclusionis de modo consimili, addente aliquid super hunc modum 'verum', sumptum in sensu compositionis. Et ideo sciendum est primo quod numquam loquar postea de hoc modo 'verum', et hoc quia propositio de inesse et propositio de hoc modo 'verum' correspondens convertuntur, si propositio sit

Sciendum est etiam quod mixtio ex illa de inesse et illa de modo in sensu compositionis non valet. Non enim sequitur 'omnem hominem esse animal est scitum a te; omnis homo est albus; igitur aliquod album esse animal est scitum a te', nam posito quod aliquod animal sit album et hoc nescias, praemissae sunt verae et conclusio falsa, sicut manifeste patet. Similiter non sequitur 'omnis homo est albus; omnem hominem esse animal est scitum a te; igitur aliquod animal esse album est

scitum a te'. Patet per idem. Nec sequitur 'nullus homo est albus; omnem hominem esse animal est scitum a te; igitur aliquod animal non esse album est scitum a te'. Nec sequitur 'nullum hominem esse asinum est scitum a te; omnis homo est albus; igitur aliquod album non esse asinum est scitum a te'. Similiter non sequitur 'omnem hominem esse animal est per se; omnis homo est albus; igitur aliquod album esse animal est per se'.

Si autem illa de modo sumatur in sensu divisionis vel aequivalens ei, si maior sit de inesse et minor de modo, non valet mixtio. Non enim sequitur 'omnis homo est albus; omnis homo scitur esse animal; igitur aliquod animal scitur esse album'. Nec sequitur 'omnis homo est quantitas; omnis homo per se est animal; igitur aliquod animal per se est quantitas'. Nec sequitur 'nullus homo est albus; omnis homo scitur esse animal; igitur aliquod animal scitur non esse album', sicut non sequitur 'nullus homo est albus; omnis homo per se est animal; igitur aliquod animal per se non est album'. Tamen si modus sit negatus, bene sequitur, nisi sit modus negativus vel privativus formaliter vel aequivalenter, sicut est iste modus 'falsum'.

Si autem maior fuerit de modo et minor de inesse, si maior fuerit universalis, semper est mixtio bona, quia semper per conversionem illius de inesse reducitur in primam figuram, ex qua et maiore erit syllogismus regulatus per dici de omni vel de nullo. Et ideo iste syllogismus est bonus 'omnis homo per se est animal; omnis homo est albus; igitur aliquod album per se est animal'. Et ideo tales syllogismi sunt boni 'omnis homo per se non est asinus; omnis homo est albus; igitur aliquod album per se non est asinus'; 'omnis homo scitur a te esse animal; aliquis homo est veniens; igitur aliquod veniens scitur a te esse animal'. Similiter iste 'Sortes scitur a te esse homo; Sortes est veniens; igitur veniens scitur a te esse homo'. Et iste 'omnis anima intellectiva scitur a Sorte esse substantia; omnis anima intellectiva est voluntas; igitur voluntas scitur a Sorte esse substantia'. Sed ista consequentia non valet 'voluntas scitur a Sorte esse substantia, igitur aliqua substantia scitur a Sorte esse voluntas'.

Similiter, si maior fuerit particularis, valet mixtio; sicut sequitur 'aliquis homo per se est animal; omnis homo est albus; igitur aliquod album per se est animal'. Et similiter sequitur 'aliquis homo per se non est asinus; omnis homo est animal; igitur aliquod animal per se non est asinus'. Et probatur talis syllogismus per syllogismum expositorium, de quo dictum est prius. Et ideo sciendum est quod in syllogismo expositorio semper, si maior sit de modo et minor de inesse, mixtio valet, sed si maior fuerit de inesse et minor de modo, non valet. Unde bene sequitur 'Sortes scitur esse animal; Sortes est albus; igitur aliquod album scitur esse animal'; sed non sequitur 'Sortes est albus; Sortes scitur esse animal; igitur aliquod animal scitur esse album'. Et ideo tales syllogismi non valent 'anima intellectiva est intellectus; anima intellectiva scitur a Sorte esse forma substantialis; igitur aliqua forma substantialis scitur a Sorte esse intellectus'. Similiter non sequitur, secundum Philosophum, 'Deus est persona divina; deus scitur esse immortalis; igitur aliquod immortale scitur esse persona divina', sicut non sequitur 'hic Deus est immortalis; hic Deus creditur ab aliquibus esse corpus; igitur aliquod corpus creditur ab aliquibus esse immortale'.

Tamen si maior in omnibus praedictis exemplis esset de modo et minor de inesse, esset mixtio bona.

Et tota ista diversitas et multa alia oriuntur ex hoc, quod dictum est prius, quod praedicatum appellat suam formam, non subiectum. Hoc est, quia ad veritatem propositionis de modo in sensu divisionis requiritur quod propositioni, in qua ipsum praedicatum, vel aliud omnino idem cum eo significans, praedicatur de pronomine demonstrante illud pro quo subiectum supponit, conveniat ille modus expressus. Non autem requiritur quod propositioni, in qua subicitur ipsum subiectum, vel aliud omnino idem cum eo significans, respectu praedicati vel respectu pronominis demonstrantis illud pro quo praedicatum supponit, conveniat talis modus per praedicationem. Sicut ad hoc quod haec sit vera 'album scitur esse musicum' requiritur quod aliqua talis sit scita 'hoc est musicum', 'illud est musicum', demonstrando aliquid pro quo subiectum suppomt, scilicet album. Sed ad hoc quod haec sit vera 'album scitur esse homo' non requiritur quod aliqua talis sit scita 'album est hoc' vel 'album est illud', quicumque homo demonstretur; nec requiritur quod aliqua propositio sit scita in qua album subicitur.

Breviter igitur, haec est differentia inter terminum quando ponitur a parte subiecti et quando a parte praedicati quod si sit propositio de modo quod ad veritatem talis propositionis requiritur quod alicui propositioni in qua ipsummet praedicatum praedicatur, vel aliquid aliud omnino idem cum eo significant, — quod dico propter aliquas cavillationes quae possunt fieri contra aliqua dicta mea prius—, conveniat talis modus; sed non requiritur quod talis modus conveniat cuicumque propositioni in qua ipsummet subiectum, vel aliquid omnino idem cum eo significans, subicitur. Et ex isto oriuntur multa dicta et dicenda. Et est summe advertendum et memoriter retinendum ad sciendum quae propositiones de modo sunt verae et quae falsae, et quomodo convertuntur et quomodo non, et quomodo ex eis syllogizatur et quomodo non, et etiam ad sciendum quae propositiones de praeterito et de futuro sunt verae et quae falsae, et ad sciendum conversiones et modum syllogizandi ex eis, de quibus dictum est prius.

3—1.44 DE MIXTIONE NECESSARII ET POSSIBILIS IN PRIMA FIGURA

Postquam dictum est de mixtionibus ex propositionibus de inesse et modalibus, dicendum est de mixtione ex propositionibus de necessario et ceteris modalibus. Et primo de mixtione necessarii et possibilis in prima figura; et primo quando utraque sumitur in sensu compositionis.

Et est primo sciendum quod in primo modo et tertio, si maior fuerit de necessario et minor de possibili, sequitur conclusio de possibili in eodem sensu. Sicut sequitur 'omnem hominem esse animal est necessarium; omne album esse hominem est possibile; igitur omne album esse animal est possibile'. Et similiter est de aliis modis. Et tenet talis modus arguendi per istam regulam 'si una praemissarum sit necessaria et alia possibilis, conclusio erit possibilis'. Et sequitur ex istis tribus: 'omne necessarium est possibile'; 'nullum possibile repugnat formaliter necessario'; 'si

praemissae sunt possibiles et compossibiles, conclusio est possibilis'. Eodem modo, si maior fuerit de possibili et minor de necessario, sequitur conclusio de possibili per eandem regulam. Sed ex talibus praemissis non sequitur conclusio de inesse nec de necessario, sicut non sequitur 'nullum hominem esse asinum est necessarium; omne album esse hominem est possibile; igitur nullum album est asinus'. Et ita est de aliis.

Secundo videndum est de ista mixtione quando illa de necessario sumitur in sensu compositionis et illa de possibili in sensu divisionis. Circa quod sciendum est quod si maior sit de necessario et minor de possibili, sequitur conclusio de possibili, sumpta in sensu divisionis, ita tamen quod subiectum conclusionis habeat eandem acceptionem quam habet in minore. Unde iste syllogismus est bonus 'omnem hominem esse animal est necessarium; omne album potest esse homo; igitur omne album potest esse animal'. Similiter iste syllogismus est bonus 'nullum hominem esse asinum est necessarium; omne album potest esse homo; igitur omne album potest non esse asinus'. Sed conclusio de inesse et de necessario non sequitur.

Similiter, si illa de necessario sit minor et maior de possibili, sequitur conclusio de possibili non de inesse nec de necessario, subiecto conclusionis habente eandem suppositionem quam habet subiectum maioris. Sicut sequitur 'omne animal potest esse album; omnem hominem esse animal est necessarium; igitur omnis homo potest esse albus'. Sed si subiectum maioris accipiatur pro his quae sunt praecise et subiectum conclusionis pro his quae possunt esse, non valet. Non enim sequitur 'omne coloratum potest esse musicum; omne album esse coloratum est necessarium; igitur omne, quod potest esse album, potest esse musicum'. Nec sequitur 'omne producens potest esse Deus; omne generans esse producens est necessarium; igitur omne, quod potest esse generans, potest esse Deus', quia posito quod nihil producat aliquid nisi Deus, praemissae sunt verae, si subiectum maioris accipiatur pro eo quod est, et conclusio falsa.

Tertio videndum est de ista mixtione quando illa de necessario sumitur in sensu divisionis et illa de possibili in sensu compositionis. Et est sciendum quod si maior sit de possibili et minor de necessario, non sequitur conclusio nec de necessario nec de inesse, sed de possibili, sumpta conclusione in sensu compositionis. Sequitur enim 'omnem hominem esse album est possibile; Sortes de necessitate est homo; igitur Sortem esse album est possibile'. Et consimiliter est in alias modis. Sed si maior sit de necessario et minor de possibili, non valet. Non enim sequitur 'omnis producens de necessitate est Deus; ignem esse producentem est possibile; igitur ignem esse Deum est possibile'. Nec sequitur 'omnis homo de necessitate non est Deus; personam divinam esse hominem est possibile; igitur personam divinam non esse Deum est possibile', nam ante incarnationem fuerunt praemissae verae et conciusio falsa.

Quarto videndum est de ista mixtione utraque praemissa sumpta in sensu divisionis. Circa quod sciendum quod si maior sit de necessario et minor de possibili, non valet, sicut non sequitur omne sciens de necessitate est Deus; omnis homo potest esse sciens; igitur omnis homo potest esse Deus'. Nec sequitur 'omnis

homo de necessitate non est Deus; Filius Dei potest esse homo; igitur Filius Dei potest non esse Deus'. Sed si maior fuerit de possibili et minor de necessario, semper valet et regulatur per dici de omni vel de nullo. Quod patet, quia semper illa de necessario infert illam de inesse. Sed dictum est prius quod maiore exsistente de possibili et minore de inesse, sequitur conclusio de possibili, quamcumque acceptionem habeat subiectum maioris. Oportet tamen quod subiectum conclusionis non accipiatur pro his quae possunt esse, si subiectum maioris accipiatur praecise pro his quae sunt.

3—1.45 DE MIXTIONE NECESSARII ET POSSIBILIS IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura, si illa de necessario sumatur in sensu compositionis et illa de possibili in sensu divisionis, si negativa fuerit de necessario sequitur conclusio de possibili. Sicut sequitur nullum hominem esse asinum est necessarium; omne rudibile potest esse asinus; igitur omne rudibile potest non esse homo'. Similiter, si utraque sit in sensu compositionis, sequitur conclusio de possibili. Et utrumque patet, quia conversa negativa de necessario, sequitur conversa conclusionis in prima figura.

Similiter, si affirmativa fuerit de necessario, sequitur conclusio de possibili. Sequitur enim 'omne corpus triangulare esse substantiam est necessarium; omne corpus potest non esse substantia; igitur omne corpus potest non esse corpus triangulare'. Similiter sequitur si illa de possibili sumatur in sensu compositionis. Et utrumque probatur, quia a quocumque potest negari superius vel convertibile, ab eodem potest negari inferius vel convertible. Nunc autem quando universalis affirmativa est necessaria, necessario praedicatum est superius vel convertibile cum subiecto, et ideo si praedicatum potest removeri ab aliquo, subiectum poterit removed ab eodem.

Secundo videndum est quando illa de necessario sumitur in sensu divisionis et illa de possibili in sensu compositionis. Et tunc similiter sequitur conclusio de possibili, sic 'omnis homo de necessitate non est Deus; quamlibet personam divinam esse Deum est possibile; igitur quamlibet personam divinam non esse hominem est possibile'. Similiter sequitur si affirmativa fuerit de necessario. Similiter, si utraque sumatur in sensu compositionis, sequitur conclusio de possibili.

3—1.46 DE MIXTIONE NECESSARII ET POSSIBILIS IN TERTIA FIGURA

In tertia figura, si illa de necessario sumatur in sensu compositionis et illa de possibili similiter, sequitur conclusio de possibili. Sicut sequitur 'nullum hominem esse asinum est necesarium; omnem hominem esse album est possibile; igitur aliquod album non esse asinum est possibile'. Similiter sequitur 'omnem hominem esse album est possibile; omnem hominem esse animal est necessarium; igitur aliquod animal esse album est possibile'.

Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, si maior fuerit de necessario et minor de possibili, non sequitur conclusio de possibili, nisi subiectum conclusionis sumatur pro eo quod potest esse. Sicut non sequitur 'quaelibet persona divina de necessitate est Deus; quaelibet persona divina potest esse homo; igitur aliquis, qui est homo, potest esse Deus'; sed sequitur 'ergo aliquid, quod potest esse homo, potest esse Deus'. Si autem maior fuerit de possibili, semper sequitur conclusio de possibili, sumpto subiecto conclusionis pro eo quod est. Sicut sequitur 'quaelibet persona divina potest esse homo; quaelibet persona divina de necessitate est Deus; igitur aliquis Deus potest esse homo'.

Similiter, si illa de necessario sumatur in sensu compositionis et similiter minor, sequitur conclusio de possibili, sicut in priori. Si autem illa de necessario fuerit maior et illa de possibili minor, sequitur conclusio de possibili in sensu divisionis, sumpto subiecto pro eo quod potest esse. Si autem illa de possibili sumatur in sensu divisionis et illa de necessario in sensu compositionis: si illa de necessario fuerit maior, sequitur conclusio de possibili, sumpto subiecto pro eo quod potest esse; si autem illa de necessario fuerit minor, sequitur conclusio de possibili.

3—1.47 DE MIXTIONE NECESSARII ET CONTINGENTIS IN PRIMA FIGURA

Post praecedentem mixtionem dicendum est de mixtione necessarii et contingentis, et primo in prima figura; et primo quando utraque sumitur in sensu compositionis vel aequivalens.

Et est primo sciendum quod si maior fuerit de necessario affirmativa et minor de contingenti, non sequitur conclusio de contingenti. Sicut non sequitur, secundum opinionem Aristotelis, 'omne album esse coloratum est necessarium; omnem hominem esse album est contingens; igitur omnem hominem esse coloratum est contingens', quia secundum eum praemissae sunt verae et conclusio falsa. Sed secundum rei veritatem difficile est invenire instantiam ubi praemissae tales sunt verae et conclusio falsa. Similiter, si maior fuerit negativa de necessario. non sequitur conclusio de contingenti, quia non sequitur 'nullum hominem esse asinum est necessarium; omne ridens esse hominem est contingens; igitur nullum ridens esse asinum est contingens', quia praemissae sunt verae et conclusio falsa. Tamen ex praemissis taliter dispositis sequitur conclusio de possibili. Et similiter si maior fuerit de necessario affirmativa, sequitur conclusio de possibili.

Pro quo intelligendum est quod quandocumque mixtio necessarii et possibilis est bona in quacumque figura, semper mixtio necessarii et contingentis est bona respectu conclusionis de possibili, per istas duas regulas 'quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens', 'illa de contingent semper infert illam de possibili'.

Et est sciendum quod quandocumque maior est de necessario negativa et minor de contingenti, si in minore sumatur sub inferius ad subiectum maioris, semper

sequitur conclusio non solum de possibili sed etiam de inesse. Et per istam regulam debent glossari multa dicta Aristotelis, quae videntur esse contra aliqua dicta et aliqua dicenda. Sed si maior fuerit affirmativa, non sequitur conclusio de inesse, quamvis sumatur sub inferius.

Si autem maior fuerit de contingenti et minor de necessario, non sequitur conclusio de contingenti, sicut non sequitur 'omne album esse dulce est contingens; omne lac esse album est necessarium; igitur omne lac esse dulce est contingens'. Similiter non sequitur 'omne producens esse Deum est contingens; Patrem esse producentem est necessarium; igitur Patrem esse Deum est contingens'. Similiter non. sequitur 'nullum ens in actu esse humanitatem est contingens; omnem Deum esse ens in actu est necessarium; igitur nullum Deum esse humanitatem est contingens', nam praemissae sunt verae et conclusio falsa. Tamen conclusio de possibili bene sequitur; sed non sequitur conclusio de inesse, quamvis inferius sumatur sub medio termino in minore.

Secundo videndum est de praedicta mixtione quando illa de necessario sumitur in sensu compositioiis et illa de contingenti in sensu divisionis.

Et est primo sciendum quod si illa de necessario sit maior et illa de contingenti minor, in syllogismo affirmativo non sequitur conclusio de contingenti. Sicut non sequitur 'omnem materiam informatam forma ignis esse informatam forma est necessarium; hanc materiam contingit esse informatam forma ignis; igitur hanc materiam contingit esse informatam forma', quia praemissae sunt verae et conclusio falsa, secundum opinionem Aristotelis. Similiter non sequitur 'nullum hominem esse asinum est necessarium; contingit ridentem esse hominem; igitur contingit ridentem non esse asinum'. Et ita non valet talis mixtio in syllogismo negativo.

Secundo sciendum quod si maior fuerit de contingenti et minor de necessario, si subiectum maioris sumatur praecise pro his quae sunt, vel tam pro his quae sunt quam pro his quae contingunt, semper valet mixtio et est syllogismus regulatus per dici de omni vel de nullo respectu conclusionis de contingenti, quia dictum est prius quod talis mixtio de inesse et contingentis valet; sed illa de inesse est consequens ad illam de necessario; igitur etc. Sed si subiectum maioris sumatur praecise pro his quae contingunt, non valet mixtio, sicut non sequitur 'omne quod contingit esse ens actu contingit creari; omnem Deum esse ens actu est necessarium; igitur omnem Deum contingit creari'. Ideo etiam non sequitur ibi conclusio de possibili, quia praemissae sunt verae et conclusio falsa. Tertio videndum est de ista mixtione quando illa de contingenti sumitur in sensu compositionis et illa de necessario in sensu divisionis.

Et est primo sciendum quod si illa de necessario fuerit maior et illa de contingenti minor, non sequitur conclusio de contingenti. Sicut non sequitur 'omnis homo de necessitate est Deus; omnem personam divinam esse hominem est contingens; igitur omnem personam divinam esse Deum est contingens', quia

praemissae possunt esse verae conclusione exsistente falsa. Per eosdem terminos patet quod non valet syllogismus negativus, tamen conclusio de possibili sequitur.

Secundo sciendum quod si maior fuerit de contingenti et minor de necessario, non valet mixtio, quia non sequitur 'omne suppositum esse Deum est contingens; quaelibet persona divina de necessitate est suppositum; igitur quamlibet personam divinam esse Deum est contingens'. Nec sequitur 'nullum ens actu esse humanitatem est contingens; quaelibet persona divina de necessitate est ens actu; igitur nullam personam divinam esse humanitatem est contingens'

Quarto videndum est de ista mixtione quando utraque sumitur in sensu divisionis.

Et est primo sciendum quod si maior fuerit de necessario et minor de contingenti, non valet mixtio. Non enim sequitur 'omnis homo de necessitate est Deus; omnem humanitatem contingit esse hominem', igitur omnem humanitatem contingit esse Deum', nam supposito quod nullus homo esset nisi Christus, praemissae essent verae et conclusio falsa. Similiter, secundum principia Aristotelis, non sequitur 'omne corpus caeleste luminosum de necessitate est substantia; contingit lunam esse corpus caeleste luminosum; igitur contingit lunam esse substantiam'. Per eosdem terminos patet quod syllogismus negativus non valet, tamen conclusio de possibili sequitur.

Si autem maior fuerit de contingenti et minor de necessario, semper sequitur conclusio de contingenti, sumpto subiecto conclusionis praecise pro his quae sunt, vel tam pro his quae sunt quam pro his quae contingunt, quia semper talis syllogismus regulatur per dici de omni vel de nullo. Si autem subiectum maioris sumatur praecise pro his quae contingunt, non valet; sicut non sequitur 'contingit omne ens creari, hoc est; omne, quod contingit esse ens, contingit creari; Deus de necessitate est ens; igitur contingit Deum creari'.

3—1.48 DE MIXTIONE NECESSARII ET CONTINGENTIS IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura si utraque praemissa sumatur in sensu compositionis, non valet mixtio. Unde non sequitur 'nullum hominem esse asinum est necessarium; omne animal irrationale esse asinum est contingens; igitur nullum animal irrationale esse hominem est contingens'. Similiter non sequitur 'omnem personam divinam esse in actu est necessarium; nullam humanitatem esse in actu est contingens; igitur nullam humanitatem esse personam divinam est contingens'.

Secundo videndum est quando illa de necessario sumitur in sensu compositionis et illa de contingenti in sensu divisionis. Et est sciendum quod similiter talis mixtio non valet, sive illa de necessario fuerit affirmativa sive negativa.

Tertio videndum est quando illa de contingenti sumitur in sensu compositionis et illa de necessario in sensu divisionis. Et est sciendum quod similiter talis mixtio non valet.

Quarto videndum est quando utraque sumitur in sensu divisionis. Et est sciendum primo quod si negativa fuerit de necessario, non sequitur conclusio de contingenti ad utrumlibet, sed sequitur conclusio negativa de possibili et de inesse. Sicut iste syllogismus non valet ‘omnis chimaera de necessitate non est in actu; contingit omnem hominem esse in actu; igitur contingit omnem hominem non esse chimaeram'; sed sequitur ista 'igitur omnis homo potest non esse chimaera' et similiter ista 'nullus homo est chimaera'. Si autem affirmativa fuerit de necessario, sequitur conclusio de inesse et de possibili, non de contingenti.

3—1.49 DE MIXTIONE NECESSARII ET CONTINGENTIS IN TERTIA FIGURA

Circa mixtionem contingentis et necessarii in tertia figura, quando utraque sumitur in sensu compositionis, est primo sciendum quod semper sequitur conclusio de possibili, sed non sequitur conclusio de contingenti. Sicut non sequitur ‘omne producens esse Deum est contingens; omne producens esse ens actu est necessarium, igitur aliquod ens actu esse Deum est contingens'; nec sequitur 'omne producens esse ens actu est contingens; omne producens esse Deum est necessarium; igitur Deum esse ens actu est contingens'. Similiter non sequitur 'nullam humanitatem esse Deum est necessarium; omnem humanitatem esse animalitatem est contingens; igitur aliquam animalitatem non esse Deum est contingens'.

Secundo videndum est quando illa de necessario sumitur in sensu compositionis et illa de contingenti in sensu divisionis. Et est sciendum quod si illa de necessario fuerit maior et minor de contingenti, si subiectum minoris supponat pro eo quod est, non sequitur conclusio de contingenti sed de possibili, sumpto subiecto conclusionis pro eo quod potest esse. Si autem subiectum minoris sumatur pro eo quod contingit solum, non sequitur conclusio de contingenti sed de possibili. Si autem maior fuerit de contingenti et minor de necessario, si subiectum maioris sumatur pro eo quod est, vel tam pro eo quod est quam pro eo quod contingit, sequitur conclusio de contingenti, subiecto habente consimilem acceptionem. Si autem subiectum maioris sumatur praecise pro eo quod contingit, non sequitur.

Tertio videndum est de ista mixtione quando illa de contingenti sumitur in sensu compositionis et illa de necessario in sensu divisionis. Et est sciendum, quod talis mixtio non valet respectu conclusionis de contingenti, quamvis valeat respectu conclusionis de possibili.

Quarto videndum est de ista mixtione quando utraque sumitur in sensu divisionis. Et est sciendum quod si maior fuerit de necessario et minor de contingenti, non sequitur conclusio de contingenti. Sicut non sequitur 'omne

producens de necessitate est Deus; contingit omne producens esse creans; igitur contingit creans esse Deum; sed sequitur conclusio de possibili, sumpto subiecto conclusionis pro eo quod potest esse. Si autem maior fuerit de contingenti et minor de necessario, si subiectum maioris sumatur pro eo quod est, vel tam pro eo quod est quam pro eo quod contingit, sequitur conclusio de contingenti. Sed si subiectum maioris sumatur praecise pro his quae contingunt, non sequitur conclusio de contingenti. Non enim sequitur omne quod contingit esse producens contingit esse in actu; omne producens de necessitate est Deus; igitur contingit Deum esse in actu'.

3—1.50 DE MIXTIONE NECESSARII ET IMPOSSIBILIS

De mixtione necessarii et impossibilis dicendum est post haec. Et est sciendum quod cum, sicut dictum est prius, quaelibet propositio de impossibili aequivaleat alicui propositioni de necessario, ad sciendum quando mixtio necessarii et impossibilis valet et quando non, oportet scire aequipollentiam propositionis de impossibili et propositionis de necessario, et quando uniformis de necessario valet et quando non. De uniformi dictum est prius de aequipollentia autem inter propositionem de necessario et impossibili dictum est alibi, ideo ad praesens haec de ista mixtione sufficiant.

3—1.51 DE MIXTIONE PROPOSITIONUM DE NECESSARIO ET DE ALIIS MODIS AB ISTIS QUATUOR IN PRIMA FIGURA

Ultimo circa istam partem videndum est de mixtione propositionum de necessario et de aliis modis ab istis quatuor. Et est primo sciendum in prima figura, quod quando ambae praemissae sumuntur in sensu compositionis, raro vel numquam valet mixtio respectu conclusionis de alio modo quam de necessario. Sicut non sequitur, secundum principia Aristotelis, 'omne animal esse coloratum est necessarium; omnem hominem esse animal est per se; igitur omnem hominem esse coloratum est per se'. Verumtamen quando unus modus est inferior ad necessarium, tunc semper sequitur conclusio de necessario, sicut sequitur 'omnem hominem esse coloratum est necessarium; Sortem esse hominem est per se; igitur Sortem esse coloraturum est necessarium'. Sed quando modus ille non est inferior ad necessarium, tunc non valet mixtio nec respectu conclusionis de necessario nec respectu conclusionis de illo modo. Sicut non sequitur 'omne album esse coloratum est necessarium; omnem hominem esse album est scitum a me; ergo omnem hominem esse coloratum est scitum a me', nec sequitur ista conclusio 'omnem hominem esse coloratum est necessarium'. Tamen aliquando sequitur conclusio de tali modo, sicut sequitur 'omnem triangulum habere tres est necessarium; isoscelem esse triangulum est scibile; ergo isoscelem habere tres est scibile. Unde quando aliquis modus non potest competere antecedenti nisi competat consequenti, tunc in tali mixtione sequitur conclusio de tali modo. Huiusmodi autem sunt tales modi 'scibile', large accipiendo scibile, 'credibile', 'apprehensibile', 'cognoscibile', 'proferibile' et huiusmodi.

Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, semper valet syllogismus quando illa de modo infert suam de inesse, sicut in illis de inesse respectu conclusionis eiusdem modi de quo est maior, ita quod si maior sit de necessario, conclusio erit de necessario, si maior sit de alio modo, conclusio erit de alio modo. Et ideo tales syllogismi valent 'omnis homo per se est animal; Sortes de necessitate est homo; igitur Sortes per se est animal'; 'omne ens scitur a te esse in actu; persona divina de necessitate est ens; igitur persona divina scitur a te esse in actu ; 'omnis homo de necessitate est animal; Sortes scitur a te esse homo; igitur Sortes de necessitate est animal. Et ratio est, quia quandoque in talibus minor infert suam de inesse; nunc autem dictum est prius quod semper ex tali maiori de modo et minori de inesse sequitur conclusio de consimili modo. Et quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens, igitur talis mixtio est bona.

Si autem illa de modo non inferat suam de inesse, tunc non valet mixtio; sicut non sequitur 'omne immortale de necessitate est Deus; intelligentia inferior Deo creditur esse immortalis; igitur intelligentia illa de necessitate est Deus', nec etiam sequitur 'igitur creditur esse Deus'. Sicut non sequitur 'omnis Deus de necessitate est persona relativa; aliquod immortale creditur esse Deus; igitur aliquod immortale creditur esse persona relativa'. Et ita patet quod talis mixtio ex propositione de modo, quae non infert suam de inesse, non valet. Tales autem modi sunt huiusmodi 'credibile', 'opinabile', 'ponibile', 'apprehensibile', 'intelligibile' et huiusmodi.

3—1.52 DE MIXTIONE EX PROPOSITIONIBUS DE NECESSARIO ET ALIIS MODALIBUS IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura, quando utraque propositio sumitur in sensu compositionis, raro vel numquam valet mixtio, nisi modus sit inferior ad necessarium. Unde non sequitur 'nullum hominem esse asinum est necessarium; omne album esse asinum est scitum a me; igitur nullum album esse hominem est scitum a me, vel nullum album esse hominem est necessarium'. Sicut non sequitur 'nullum hominem esse asinum est necessarium; Brunellum esse asinum est primo verum; igitur Brunellum non esse hominem est primo verum'; nec etiam sequitur 'igitur Brunellum non esse hominem est necessarium'. Sicut non sequitur 'nullum lapidem esse corpus animatum est necessarium; omne animal esse corpus animatum est primo verum; igitur nullum animal esse lapidem est primo verum, quia praemissae sunt verae et conclusio falsa. Nec sequitur omnem Deum esse tres personas est necessarium; nullum immortale is esse tres personas est creditum a te; igitur nullum immortale esse Deum est creditum a te, vel nullum immortale esse Deum est necessarium'.

Similiter si illa de necessario sumatur in sensu divisionis, non valet, sicut per terminos eosdem patet. Similiter si utraque sumatur in sensu divisionis, non valet generaliter, sicut non sequitur 'omnis Deus de necessitate est tres; nullum immortale scitur esse tres; igitur nullum immortale scitur esse Deus, vel nullum immortale de necessitate est Deus. An valeat cum aliquo alio modo, discutiant studiosi.

3–1.53 DE MIXTIONE EX PROPOSITIONIBUS DE NECESSARIO ET ALIIS MODALIBUS IN TERTIA FIGURA

In tertia flgura, si utraque sumatur in sensu compositionis, raro vel numquam valet mixtio, sicut non sequitur 'omnem Deum esse personam relativam est necessarium; omnem Deum esse immortalem est scitum a te; igitur aliquod immortale esse personam relativam est scitum a te'.

Si autem illa de necessario sumatur in sensu divisionis, non valet. Patet per eosdem terminos. Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, si maior sit de necessario et minor de alio modo, semper sequitur conclusio de necessario si minor inferat suam de inesse. Et hoc, quia ex maiore de necessario in sensu divisionis et minore de inesse sequitur conclusio de necessario, et per consequens sequitur eadem conclusio ex antecedente ad illam de inesse et eadem maiore. Unde iste syllogismus est bonus 'omnis homo de necessitate est animal; omnis homo scitur esse albus; igitur aliquod album de necessitate est animal'. Si autem maior fuerit de alio modo et minor de necessario, sequitur conclusio de eodem modo de quo est maior, non de necessario, Unde sequitur 'omnis homo scitur esse albus; omnis homo de necessitate est creabilis; igitur aliquod creabile scitur esse album', sed non sequitur 'igitur aliquod creabile de necessitate est album'.

Si autem illa de modo non inferat suam de inesse, mixtio non valet.

3–1.54 DE MIXTIONE POSSIBILIS ET CONTINGENTIS IN PRIMA FIGURA

Viso quomodo valet mixtio ex propositionibus de necessario et ceteris modalibus, videndum est quomodo valet mixtio ex propositione de possibili et ceteris modalibus. Et primo de mixtione possibilis et condngentis, et primo in prima figura.

Et est primo sciendum quod si utraque sumatur in sensu compositionis, nulla sequitur conclusio. Non enim sequitur 'omnem hominem esse album est possibile; omne nigrum esse hominem est contingens; igitur omne nigrum esse album est possible'. Nec sequitur 'omnem hominem esse album est contingens; omne nigrum esse hominem est possibile; igitur omne nigrum esse album est contingens vel etiam possibile'.

Nec etiam valet si altera sumatur in sensu compositionis et altera in sensu divisionis. Sicut non sequitur 'omne album esse hominem est contingens; omnis asinus potest esse albus; igitur omnis asinus potest esse homo'. Nec sequitur 'omne album potest esse homo; omnem asinum esse album est contingens; igitur omnis asinus potest esse homo'. Sicut nec sequitur 'omnis homo potest ridere; omne animal esse hominem est contingens; igitur omne animal potest ridere', nam praemissae sunt verae et conclusio falsa, qualitercumque supponat subiectum. Nec etiam sequitur 'omnis homo potest esse albus; omne nigrum esse hominem est contingens; igitur omne nigrum esse album est contingens'. Nec sequitur 'omne

album esse hominem est possibile; contingit omnem asinum esse album; igitur contingit omnem asinum esse hominem'.

Secundo videndum est quando utraque sumitur in sensu divisionis vel aequivalens ei. Et est primo sciendum quod si maior sit de possibili et minor de contingenti, si subiectum maioris supponat pro his quae possunt esse et subiectum minoris pro his quae sunt, vel tam pro his quae sunt quam pro his quae contingunt, sequitur conclusio de possibili. Sicut sequitur omne quod potest esse homo, potest esse album; omne quod est risibile, vel contingit esse risible, contingit esse hominem; igitur omne risibile potest esse album'. Si autem subiectum niaioris supponat pro his quae sunt praecise, non valet mixtio; sicut non sequitur 'omne album potest esse homo; contingit omnem asinum esse album; igitur omnis asinus potest esse homo'.

Si autem maior sit de contingenti et minor de possibili, si subiectum maioris supponat tam pro his quae sunt quam pro his quae contingent, valet syllogismus respectu conclusionis de contingenti; si autem, supponat pro his quae sunt, non valet. Hoc patet per eosdem terminos.

3—1.55 DE MIXTIONE POSSIBILIS ET CONTINGENTIS IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura, si utraque sumatur in sensu compositionis, non valet mixtio. Sicut non sequitur 'omnem Deum esse hominem est possibile; nullam personam divinam esse hominem est contingens; igitur nullam personam divinam esse Deum est possibile'. Nec sequitur 'nullum Deum esse hominem est possibile; omnem personam divinam esse hominem est contingens; igitur nullam personam divinam esse Deum est possibile'. Per eosdem terminos patet quod non valet mixtio si altera praemissarum vel utraque sumatur in sensu divisionis.

3—1.56 DE MIXTIONE POSSIBILIS ET CONTINGENTIS IN TERTIA FIGURA

In tertia figura, si utraque propositionum sumatur in sensu compositionis, non valet mixtio. Sicut non sequitur 'omnem hominem esse Deum est possibile; omnem hominem esse humanitatem est contingens; igitur aliquam humanitatem esse Deum est possibile'. Nec etiam valet si maior sit de contingenti et minor de possibili. Patet per eosdem terminos. Et per eosdem patet quod non valet mixtio si altera sumatur in sensu compositionis et altera in sensu divisionis.

Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, si subiectum illius de possibili supponat pro his quae possunt esse et sit maior, sequitur conclusio de possibili. Sicut sequitur 'omnis homo potest esse humanitas; omnem hominem contingit esse Deum; igitur Deus potest esse humanitas'. Si minor est de possibili similiter sequitur 'omnem hominem contingit esse humanitatem; omnis homo potest esse Deus; igitur

Deus potest esse humanitas, subiecto utriusque sumpto praecise pro his quae possunt esse et pro his quae sunt, aliter non valet.

3—1.57 DE MIXTIONE POSSIBILIS ET IMPOSSIBILIS IN OMNI FIGURA

Sequitur videre de mixtione possibilis et impossibilis. Sed de ea potest patere ex illis quae dicta sunt circa mixtionem necessarii et possibles, pro eo quod semper illa de impossibili aequivalet alicui de necessario, et ideo de ea non plus ad praesens.

3—1.58 DE MIXTIONE PROPOSITIONUM DE POSSIBILI ET ALIARUM MODALIUM IN PRIMA FIGURA

De mixtione propositionis de possibili et aliarum modalium a quatuor famosis dicendum est post haec. Et primo in prima figura.

Et est sciendum quod talis mixtio non valet si ambae praemissae sumantur in sensu compositionis. Sicut non sequitur 'omne animal esse hominem est scitum a re; omnem asinum esse animal est possibile; igitur omnem asinum esse hominem est possibile vel scitum a te'. Tamen quandocumque aliquis modus sumptus est inferior ad necessarium, cuiusmodi sunt tales modi 'per se demonstrabile', 'per se notum' et hunismodi, semper ex tali maiore de tali modo et minore de possibili sequitur conclusio de possibili; et etiam si maior fuerit de possibili et minor de tali modo. Et ratio est quia illa propositio de tali modo infert illam de necessario in eodem sensu; sed dictum est prius quod ex tali de necessario et tali de possibili mixtio valet respectu conclusionis de possibili, Proportionaliter dicendum est de ista mixtione quando altera sumitur in sensu divisionis et altera in sensu compositionis. Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, si maior fuerit de possibili et minor de alio modo, valet quandocumque illa de alio modo infert suam de inesse; quia ex tali de possibili et illa de inesse sequitur conclusio de possibili in eodem sensu, sicut dictum est prius. Si autem minor non inferat suam de inesse, non valet. Non enim sequitur 'omnis homo potest esse Deus; Sortes creditur esse homo; igitur Sortes potest esse Deus'.

Si autem illa de possibili fuerit minor, raro vel numquam valet mixtio. Sicut non sequitur 'omnis homo scitur esse Deus; humanitas potest esse homo; igitur humanitas potest esse Deus, vel scitur esse Deus'.

3—1.59 DE MIXTIONE PROPOSITIONUM DE POSSIBILI ET ALIARUM MODALIUM IN SECUNDA FIGURA

Si utraque istarum propositionum sumatur in sensu compositionis, si ille modus non sit inferior ad necessarium vel aequivalens ei, non valet mixtio in secunda figura. Sicut non sequitur 'nullum Deum esse hominem est scitum a te; quamlibet personam divinam esse hominem est possibile; igitur nullam personam divinam esse Deum est possibile'. Nec sequitur 'omnem Deum esse hominem est scitum a te; nullam personam divinam esse hominem est possibile; igitur nullam personam

divinam esse Deum est possibile'. Si autem illa de modo inferat illam de necessario, sequitur conclusio de possibili. Consimiliter, si altera sumatur in sensu compositionis et altera in sensu divisionis, si illa de modo non inferat illam de necessario, mixtio non valet; si inferat eam, valet respectu conclusions de possibili.

Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, et illa de alio modo is non inferat illam de necessario, non valet mixtio. Sicut non sequitur 'omnis Deus scitur esse homo; quaelibet persona divina potest non esse homo; igitur quaelibet persona divina potest non esse Deus'. Nec sequitur 'omnis persona divina potest non esse homo; omnis Deus scitur esse homo; igitur quilibet Deus potest non esse persona divina'. Si autem illa de modo inferat illam de necessario, tenet mixtio talis quando ex illa de necessario et illa de possibili valet mixtio.

3—1.60 DE MIXTIONE PROPOSITIONUM DE POSSIBILI ET ALIARUM IN TERTIA FIGURA

Quando autem praemissae tales disponuntur in tertia figura, si utraque sumatur in sensu compositionis, si illa de modo alio non inferat illam de necessario, non valet mixtio. Sicut non sequitur 'omnem hominem esse Deum est scitum a te; omnem hominem esse humanitatem est possibile; igitur aliquam humanitatem esse Deum est possibile'. Sed si illa de modo inferat illam de necessario, est bona mixtio, tenens virtute istius regulae 'si praemissae sunt possibiles et compossibiles, conclusio est possibilis' et virtute istius omne necessarium est compossibile possibili'.

Si autem illa de possibili sumatur in sensu compositionis et alia in sensu divisionis, si illa de possibili non fuerit maior, non sequitur conclusio de possibili si illa de alio modo non inferat illam de necessario. Sicut non sequitur 'omnem hominem esse Deum est possibile; omnis homo scitur esse humanitas; igitur aliquam humanitatem esse Deum est possibile'. Similiter non. valet si minor fuerit de possibili. Per eosdem terminos patet.

Si autem illa de possibili sumatur in sensu divisionis et ila de modo alio in sensu compositionis, si illa de possibili fuerit maior, sequitur conclusio de possibili si minor inferat suam de inesse. Et hoc est verum quando maior est universalis. E converso est quando maior est particularis. Cuius ratio est, quia illa de modo, sicut dictum est, infert suam de inesse; sed ex tali de possibili et illa de inesse est talis mixtio conveniens, sicut dictum est prius.

Si autem illa de possibili fuerit minor, valet nuxtio; sicut sequitur omnem liominem esse Deum est scitum a te; omnis homo potest esse humanitas; igitur aliqua humanitas potest esse Deus', sumpto subiecto conclusionis pro eo quod potest esse.

Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, valet mixtio respectu conclusionis de possibili quando illa de modo infert suam de inesse.

3–1.61 DE MIXTIONE PROPOSITIONUM DE CONTINGENTI ET ALIARUM MODALIUM IN PRIMA FIGURA

Ultimo videndum est de mixtione propositionis de contingenti et ceterarum propositionum modalium. Et prime esset dicendum de mixtione ex propositionibus de contingenti et impossibili, sed illa patet ex mixtione contingentis et necessarii propter causam frequenter dictam; ideo dicendum est de mixtione contingentis et aliarum modalium, et primo in prima figura.

Et est primo sciendum quod si utraque sumatur in sensu compositionis, si illa de modo non inferat illam de necessario, non valet mixtio. Sicut non sequitur 'omne animal esse hominem est scitum a te; omnem asinum esse animal est contingens; igitur omnem asinum esse hominem est contingens vel possibile'. Nec sequitur 'omne animal esse hominem est contingens; omnem asinum esse animal est scitum a te; igitur omnem asinum esse hominem est possibile vel contingens'.

Si autem illa de modo inferat illam de necessario, est bona mixtio, quia ex tali de necessario et illa de possibili sequitur conclusio de possibili, sicut dictum est prius; sed illa de possibili sequitur ad illam de contingenti, igitur etc.

Si autem illa de contingenti sumatur in sensu compositionis et alia in sensu divisionis, si illa de contingenti fuerit maior, non valet mixtio, Sicut non sequitur 'omne album esse hominem est contingens; omnis asinus scitur esse albus; igitur omnem asinum esse hominem est possibile'. Si autem illa de alio modo inferat illam de necessario, mixtio est bona. Similiter dicendum est si illa de contingenti sit minor.

Si autem illa de contingenti sumatur in sensu divisionis, si sit maior, semper sequitur conclusio de possibili quando minor infert suam de inesse et aliter non, quia dictum est prius quod ex tali de contingenti et illa de inesse sequitur conclusio de possibili. Si autem minor non inferat suam de inesse, non valet mixtio. Quando autem illa de contingenti est minor, non valet mixtio; sicut non sequitur 'omne album esse hominem est scitum a te; omnis asinus contingenter potest esse albus; igitur omnis asinus potest esse homo'.

Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, si maior fuerit de contingenti, sequitur conclusio de possibili quando minor infert suam de inesse; quando non infert suam de inesse, non valet. Si autem illa de contingenti fuerit minor, non valet; sicut non sequitur 'omne album scitur a te esse homo; omnis asinus contingenter est albus; igitur omnis asinus potest esse homo'.

3–1.62 DE MIXTIONE PROPOSITIONUM DE CONTINGENTI ET ALIARUM IN SECUNDA FIGURA

In secunda figura, si utraque propositionum sumatur in sensu compositionis, non valet mixtio respectu conclusionis de contingenti nec respectu conclusionis de possibili, nisi illa de alio modo inferat illam de necessario. Unde non sequitur

'omnem Deum esse hominem est scitum a te; quamlibet personam divinam non esse hominem est contingens; igitur quamlibet personam divinam non esse Deum est possibile', Nec sequitur 'nullum Deum esse hominem est scitum a te; quamlibet personam divinam esse hominem est contingens; igitur quamlibet personam divinam non esse Deum est possibile'. Si autem illa de modo inferat illam de necessario, est mixtio bona.

Si autem illa de contingenti sumatur in sensu compositionis et illa de alio modo in sensu divisionis, si illa de contingenti fuerit negativa, non valet mixtio. Sicut non sequitur 'nullum Deum esse hominem est contingens; quaelibet persona divina scitur esse homo; igitur quaelibet persona divina potest non esse Deus. Similiter, si affrmativa fuerit de contingenti, non valet. Non enim sequitur 'omnem Deum esse hominem est contingens; quaelibet persona divina scitur non esse homo; igitur quaelibet persona divina potest non esse Deus'.

Si autem illa de contingenti sumatur in sensu divisionis et alia in sensu compositionis, non valet mixtio. Patet per eosdem terminos. Si autem utraque sumatur in sensu divisionis, non valet mixtio, sicut per eosdem terminos patet.

3—1.63 DE MIXTIONE PROPOSITIONUM DE CONTINGENTI ET ALIARUM MODALIUM IN TERTIA FIGURA

In tertia figura, si utraque sumatur in sensu compositionis, non valet mixtio respectu conclusionis de contingenti nec respectu conclusionis de possibili, nisi illa de alio modo inferat illam de necessario. Sicut non sequitur 'omnem hominem esse Deum est scitum a te; omnem hominem esse humanitatem est contingens; igitur aliquam humanitatem esse Deum est possibile'. Consimiliter est dicendum quando illa de contingenti sumitur in sensu compositionis et alia in sensu divisionis. Si autem illa de contingenti sumatur in sensu divisionis et subiectum supponat pro his quae sunt et fuerit universalis et alia de modo inferat suam de inesse, sequitur conclusio de contingenti. Et similiter est quando est e converso Consimiliter, si utraque sumatur in sensu divisionis, valet mixtio quando illa de alio modo inferat sua de inesse.

3—1.64 DE MIXTIONE PROPOSITIONUM MODALIUM ALIABUM A PRAEDICTIS QUATUOR

Si fiat mixtio ex propositionibus modalibus aliorum modorum ab illis quatuor, aut utraque propositio sumitur in sensu compositionis sive in tali sensu per quem denotatur modus verificari de sua de inesse, aut sub alio sensu. Si primo modo, raro valet mixtio, quia numquam valet nisi quando tales modi non possunt verificari de praemissis nisi aliquis eorum verificetur de conclusione sequente ex praemissis. Quod non semper tenet, quia quamvis una praemissa sit scita et alia credita, non oportet conclusionem sciri. Et ita est de aliis.

Si autem praemissae sumantur in alio sensu, tunc si minor inferat suam de inesse in prima figura, semper conclusio sequitur in eadem figura de eodem modo

de quo est maior. Sicut sequitur 'omnis homo per se est animal; aliquod album scitur esse homo; igitur aliquod album per se est animal', quia ex eadem maiore et illa de inesse sequitur eadem conclusio; et per consequens eadem conclusio sequitur ex maiore et antecedente ad illam de inesse.

Per ista et praedicta potest studiosus cognoscere quando mixtio ex talibus valet vel non valet in alias figuris.

Et ista de mixtionibus ad praesens sufficient, quamvis multa causa brevitatis sint omissa, quae tamen ex praedictis a studiosis elici possunt.

Illa autem quae dicit Aristoteles in mixtionibus suis, quae aliquibus de praedictis videntur contradicere, solvi possunt per aliquas regulas superius datas, quorum solutio expressius patebit super librum Priorum, si contingat me illum librum exponere.

3–1.65 DE SYLLOGISMO FACTO EX PROPOSITIONIBUS HABENTIBUS PLURES EXPONENTES

Postquam visum est quomodo syllogismus fit ex propositionibus tam de inesse quam de modo quae exponentes places non habent, videndum est quomodo syllogismus fit ex propositionibus plures exponentes habentibus, cuiusmodi sunt exclusivae, exceptivae, reduplicativae et huiusmodi, de quibus dictum est prius.

Pro quibus utendum est ista regula generali, quod quandocumque quaelibet exponens conclusionis vel ipsa conclusio sequitur ex aliquibus exponentibus praemissarum vel ex aliqua exponente unius praemissae et alia praemissa, semper est syllogismus bonus, et aliter non. Et ideo ad videndum an talis discursus sit bonus vel non, oportet diligenter videre quae sunt exponentes talium praemissarum et conclusionis et quomodo se habent secundum consequentiam ad invicem. Sicut ad videndum an iste discursus sit bonus ‘omnis homo, in quantum homo, est risibilis; animal est homo; igitur animal, in quantum homo, est risibile', oportet videre exponentes maioris et conclusionis. Unde exponentes maioris sunt istae 'omnis homo est homo', 'omnis homo est risibilis', 'si aliquid est homo, ipsum est risibile’. Exponentes conclusionis sunt istae 'animal est homo', 'animal est risibile', 'omnis homo est risibilis', 'si aliquid est homo, ipsum est risibile’. Nunc autem sequitur 'omnis homo est homo, igitur animal est homo’. Similiter sequitur 'omnis homo est risibilis, igitur animal est risibile'. Aliae duae exponentes conclusions sunt exponentes maioris. Ex quo patet quod omnes exponentes conclusionis sequuntur ex antecedente, et ita discursus est bonus. Et ideo quilibet talis discursus est bonus 'quilibet logicus, in quantum logicus, differt a grammatico; grammaticus est logicus; igitur grammaticus, in quantum logicus, differt a grammatico’; sed maior est falsa.

Ex isto patet quod semper in prima figura ex maiore reduplicativa et minore reduplicativa vel non reduplicativa sequitur conclusio reduplicativa. Sicut sequitur 'omnis homo, in quantum rationalis, est susceptibilis disciplinae; animal est homo;

igitur animal, in quantum rationale, est susceptibile disciplinae'; 'omne agens, in quantum agens, differt a passo; aliquod passum est agens; igitur aliquod passum, in quantum agens, differt a passo'. Et non solum sequitur conclusio reduplicativa, sed etiam sequitur conclusio sine reduplicatione, quae est praeiacens illius reduplicativae. Quod autem omnes tales syllogismi sunt boni, patet, quia, sicut inductive patet, quaelibet exponens consequentis sequitur ex aliqua exponente antecedentis vel ex aliqua exponente et minore, vel est eadem cum aliqua exponente maioris.

Sed si minor fuerit reduplicativa et maior non, quamvis sequatur conclusio sine reduplicatione, non tamen sequitur conclusio cum reduplicatione. Unde non sequitur 'omne susceptibile disciplinae est album; omnis homo, in quantum rationalis, est susceptibilis disciplinae; igitur omnis homo, in quantum rationalis, est albus', quia ista exponens consequentis 'si aliquid est rationale, ipsum est album' non sequitur ex aliqua exponente minoris nec etiam cum maiore, sicut inductive patet. Quae dicta sunt, intelligenda sunt quando reduplicatio proprie sumitur et manet non negata. Si enim reduplicatio fuerit negata in maiore et affirmata in conclusione, non valet discursus. Unde quamvis iste discursus sit bonus 'omnis homo, in quantum albus, non est musicus; Sortes est homo; igitur Sortes, in quantum albus, non est musicus', tamen iste discursus non valet 'nullus homo, in quantum albus, est musicus; Sortes est homo; igitur Sortes, in quantum albus, non est musicus'; sed sequitur ista conclusio 'igitur Sortes non est musicus in quantum est albus'. In secunda autem figura, quaecumque praemissa sumatur cum reduplicatione et alia sine reduplicatione, non sequitur conclusio reduplicativa. Sicut non sequitur 'omnis homo, in quantum animal, est sensibilis; nullum album est sensibile; igitur omne album, in quantum animal, non est homo'.

Nec potest syllogismus reduci in primam figuram per conversionem, quia reduplicativa non converitur in reduplicativam. Non enim sequitur 'omnis homo, in quantum animal, est sensibilis, igitur aliquod sensibile, in quantum animal, est homo', quia conditionalis exponens consequentis non sequitur ad conditionalem exponentem antecedentis, nec ad aliquam aliarum, sicut manifeste patet. Quamvis autem in secunda figura ex talibus piopositionibus non sequatur conclusio reduplicativa, sequitur tamen conclusio in qua negatur reduplicatio, et per consequens non est reduplicativa. Unde bene sequitur 'omnis homo, in quantum animal, est sensibilis; nullum album est sensibile; igitur nullum album, in quantum animal, est homo', quia ex praedictis praemissis sequitur ista conclusio 'nullum album est homo', et sequitur 'nullum album est homo, igitur nullum album, in quantum animal, est homo'.

Si autem omnes praemissae sunt reduplicativae, ita quod in utraque reduplicatio cadens super idem sit affirmativa, sequitur conclusio reduplicativa.

In tertia autem figura, si maior universalis fuerit reduplicativa et alia non reduplicativa, sequitur conclusio reduplicativa, Sequitur enim 'omnis homo, in quantum animal, est sensibilis; omnis homo est albus; igitur aliquod album, in

quantum animal, est sensibile', quia conversa minore fit syllogismus regulatus per dici de omni in prima figura, Sed si minor fuerit reduplicativa, non sequitur conclusio reduplicativa. Non enim sequitur 'omnis homo est albus; omnis homo, in quantum animal, est sensibilis; igitur aliquod sensibile, in quantum animal, est album'.

3—1.66 DE SYLLOGISMO FACTO EX EXCLUSIVIS

Circa exclusivas est sciendum quod in prima figura ex omnibus exclusivis contingit inferre exclusivam. Sicut sequitur 'tantum homo currit; tantum album est homo; igitur tantum album currit'. Similiter ex maiore exclusive et minore universali non sequitur conclusio, nec particularis nec universalis. Sicut non sequitur 'tantum animal est homo; omnis asinus est animal; igitur aliquis asinus est homo'. Sed ex maiore universali et minore exclusiva sequitur conclusio particularis, sed non conclusio exclusiva.

In secunda figura ex omnibus exclusivis non sequitur exclusiva. Sicut non sequitur 'tantum animal est homo; tantum non—homo non est homo; igitur tantum non—homo non est animal'. Non enim sequitur 'tantum ens est homo; tantum non—homo non est homo; igitur tantum non—homo non est ens', quia infert istam 'non—homo non est ens', cum eius opposita sit vera 'omnis non—homo est ens'. In tertia figura ex omnibus exclusivis non sequitur exclusiva; quia non sequitur 'tantum animal est homo; tantum animal est asinus; igitur tantum asinus est homo'. Nec sequitur 'igitur asinus est homo', sicut nec ex duabus universalibus affirmativis sequitur conclusio in secunda figura. Si autem maior sit universalis et minor exclusiva, sequitur conclusio particularis.

3—1.67 DE SYLLOGISMO FACTO EX EXCEPTIVIS

Circa exceptivas autem est sciendum quod ex omnibus exceptivis in prima figura non sequitur conclusio. Sicut non sequitur 'omnis homo praeter Sortem currit; omne animal praeter animal irrationale est homo; igitur omne animal praeter animal irrationale currit'. Similiter ex maiore exceptiva et minore de inesse non sequitur generaliter conclusio, quia non sequitur 'omnis substantia praeter substantiam corpoream est substantia incorporea; homo est substantia; igitur homo est substantia incorporea'. Similiter in secunda figura et in tertia non valet.

Per praedicta potest sciri quomodo syllogizandum est ex ailiis propositionibus habentibus plures exponentes.

Per praedicta etiam a principio istius tractatus potest sciri quomodo differenter syllogizandum est ex illis de modo et aliis propositionibus habentibus plures exponentes quando propositiones sunt de praesenti, quando de praeterito, quando de futuro, quando de recto et quando de obliquo. Et ista de syllogismis ad praesens sufficiant.

3—1.68 DE SYLLOGISMIS HYPOTHETICIS

Dicto de syllogismis categoricis, dicendum est de syllogismis hypotheticis, et primo de syllogismis ex conditionali. Et est sciendum quod semper ex conditionali et antecedente, vel aliquo antecedente ad antecedens illius conditionalis, sequitur consequens. Sicut sequitur 'si homo currit, animal currit; homo currit; igitur animal currit'. Similiter sequitur 'si homo currit, animal currit; omnis substantia currit; igitur animal currit'. Sed ex conditionali et consequente non sequitur antecedens. Non enim sequitur 'si homo currit, animal currit; animal currit; igitur homo currit'. Similiter ex conditionali maiore et conditionali minore, habente pro consequente antecedens primae, est bonus syllogismus. Sicut sequitur 'si homo currit, animal currit; si Sortes currit homo currit; igitur si Sortes currit, animal currit'.

De aliis dictum est prius in tractatu de propositionibus. Quia ex illis potest elici modus arguendi ex aliis propositionibus hypotheticis, ideo propter brevitatem pertranseo.

Pars III – 2 : De Syllogismo Demonstrativo

3–2. 1. QUID INTELLIGITUR PER HUNC TERMINUM `DEMONSTRATIO' ET QUOT MODIS DICITUR `SCIRE'?

Postquam dictum est de syllogismo in communi, sequitur nunc tractare de speciebus syllogismi. Et quia nobilior est demonstratio, ideo primo de demonstratione oportet dicere. Omnis autem demonstratio componitur ex propositionibus et propositiones ex terminis. Unde, quia terminorum et propositionum ex quibus constat demonstratio sunt quaedam condiciones propriae, non omnibus terminis et propositionibus competentes, ideo primo dicendum est de terminis et condicionibus eorum, secundo de propositionibus requisitis ad demonstrationem, tertio de demonstratione.

Oportet autem in principio scire quod, secundum doctrinam Aristotelis, demonstratio est syllogismus faciens scire. Ista enim definitio `syllogismus faciens scire' est definitio exprimens quid nominis istius termini `demonstratio'.

Et ideo sicut in omni disputatione et veritatis inquisitione oportet significata vocabulorum supponere, ita volenti tradere notitiam demonstrationis et partium suarum oportet praemittere quid per hunc terminum `demonstratio' importatur.

Quod non est aliud quam definitionem exprimentem quid nominis declarare.

Dico igitur quod omnes de demonstratione loquentes per hunc terminum `demonstratio' non intelligunt nisi syllogismum facientem scire. Sed quia `scire' in diversis locis aequivoce accipitur, videndum est quomodo `scire' in hac definitione accipitur.

Unde sciendum est quod quamvis `scire' diversis modis accipi possit, sufficiat tamen ad praesens dicere quod tribus modis dicitur. Uno modo `scire' est evidens comprehensio veritatis. Et sic dicuntur sciri non tantum necessaria sed etiam contingentia, sicut `scio te sedere' et

'scio me intelligere et vivere'. Secundo modo dicitur scientia evidens comprehensio veritatis quae non potest esse falsa. Et sic dicuntur sciri tantum necessaria et non contingentia. Tertio modo dicitur scientia evidens comprehensio unius veritatis necessariae per evidentem comprehensionem duarum veritatum necessariarum, in modo et figura dispositarum, ut illae duae veritates faciant tertiam veritatem evidenter sciri, quae aliter esset ignota.

Et sic accipitur `scire' in praedicta definitione. Omnes enim recte loquentes de demonstratione per demonstrationem intelligunt syllogismum compositum ex duabus praemissis necessariis notis, per quas scitur conclusio quae aliter foret ignota, nisi forte in eodem tempore simul concurrant cum illis praemissis aliae praemissae sufficientes ad causandum notitiam eiusdem conclusionis. Quamvis igitur probari

non possit quod demonstratio est syllogismus faciens scire, modo praeexposito, sicut nec significatum vocabuli nec definitio exprimens quid nominis probari potest nisi per usum loquentium, constituendum est tamen pro fundamento quod demonstratio est syllogismus faciens scire, super quo omnia dicenda in sequentibus fundabuntur, et per ipsum probabuntur quando necesse erit probationem adducere.

3–2. 2. QUI TERMINI INGREDIUNTUR DEMONSTRATIONEM?

Ex quo omnis demonstratio est syllogismus, necesse est omnem demonstrationem tres terminos ad eius constitutionem requirere. Non omnes autem termini possunt ingredi demonstrationem affirmativam ex propositionibus mere de inesse et mere de praesenti. Illi enim termini qui de nullo possunt praedicari nisi contingenter vel falso, ipsis sumptis significative, numquam possunt significative sumpti esse partes demonstrationis talis. Et ideo tales termini `chimaera', `corpus tum', `creatura infinita' et huiusmodi non possunt, si significative sumantur, esse termini in demonstratione tali, quamvis possint in demonstratione negativa, quia etiam negative possunt de aliis necessario praedicari. Similiter, quamvis tales termini `album', `nigrum', `calidum' et huiusmodi non possint esse partes propositionum necessariarum mere de inesse et mere de praesenti affirmativarum, quia tamen possunt esse partes propositionum de possibili necessariarum, ideo tales demonstrationem ingredi possunt. Unde breviter, secundum diversitatem demonstrationum, de qua dicetur inferius, omnes termini aliquam demonstrationem ingredi possunt; sed non omnes ingredi possunt demonstrationem potissimam, de qua inferius dicetur. Termini autem illi qui demonstrationem potissimam ingredi possunt, sunt praecise subiectum, passio et definitio. Ad cuius evidentiam sciendum est quod passio non est aliqua res inhaerens subiecto, illo modo quo calor inest igni, sed passio est quoddam praedicabile, distinctum a subiecto, et realiter importans illud idem quod important subiectum et aliquid plus, vel saltem illud idem alio modo. Et eodem modo est de definitione: ut isti termini ex quibus componitur demonstratio mentalis sint ita distinctae res exsistentes in mente sicut voces correspondentes eis in demonstratione vocali sunt distinctae voces in aere, de quibus diffusius dicetur inferius.

3–2. 3. QUAE OPORTET DEMONSTRANTEM PRAECOGNOSCERE?

Non tantum autem oportet istos terminos ad demonstrationem concurrere, sed etiam quandocumque demonstrationem ingrediuntur, antequam conclusio concludatur oportet eos praecognoscere, non tamen oportet illos semper aequaliter praecognoscere.

De subiecto enim oportet praecognoscere quid est et quia est.

Oportet enim de subiecto, cum sit terminus, praecognoscere quid significat; et haec praecognitio communis est omni termino cuiuscumque syllogismi vel argumentationis. Si autem sit demonstratio affirmativa et categorica, non oportet tantum de subiecto praecognoscere quid significat, sed etiam oportet praecognoscere

quia est; hoc est, oportet praecognoscere quod esse non impossibiliter praedicatur de subiecto significative sumpto.

Et ratio huius est, quia ad hoc quod habeatur demonstratio, oportet quod praemissae cognoscantur; igitur oportet quod illa praemissa in qua praedicatur aliquid de subiecto, vel e converso, sit cognita, et per consequens vera est.

Et si sit vera et scita esse vera, oportet quod sibi non impossibiliter competat esse, ex quo propositio est affirmativa. De passione autem, quamvis ingrediatur demonstrationem affirmativam, non oportet praecognoscere nisi tantum quid importatur per nomen, sed non oportet quod praecognoscatur quod sibi non repugnat esse.

Et hoc quidem verum est si maior illius demonstrationis sit condicionalis vel aequivalens tali; tunc enim non oportet — quantumcumque cognoscatur illa praemissa in qua ponitur passio — quod cognoscatur esse posse convenire passioni.

Quando autem maior est affirmativa, non aequivalens condicionali, ita oportet praecognoscere de passione quia est sicut de subiecto. Nec hoc negat Aristoteles, sed vult quod quandoque oportet praecognoscere quia est de subiecto, quamvis non oporteat praecognoscere quia est de passione.

Breviter igitur dicendum est quod secundum principia Aristotelis de subiecto in demonstratione affirmativa, tam categorica simpliciter quam in demonstratione composita ex una hypothetica condicionali et alia categorica, oportet praecognoscere de subiecto quid significat et quia est; hoc est, quod sibi non repugnat esse, ita quod propositio praedicans esse de illo subiecto non includat contradictionem.

De passione autem in demonstratione simpliciter categorica et affirmativa oportet praecognoscere tam quia est quam quid est, propter eandem rationem propter quam oportet de subiecto praecognoscere quia est; sed in alia demonstratione non oportet de passione praecognoscere quia est.

De definitione autem oportet praecognoscere quia est, propter eandem rationem propter quam oportet de subiecto praecognoscere quia est. Et haec de terminis demonstrationis ad praesens sufficiant.

3—2. 4. DE DIVISIONE PROPOSITIONUM REQUISITARUM AD DEMONSTRATIONEM.

Dicturus autem de propositionibus requisitis ad demonstrationem, primo praemittam aliquas divisiones earum. Est autem primo sciendum quod propositionum requisitarum ad demonstrationem quaedam sunt partes demonstrationis, sicut duae praemissae et una conclusio, et quaedam non sunt partes demonstrationis.

Et vocantur dignitates et maximae vel suppositiones, quae sub propria forma non ingrediuntur demonstrationem, virtute tamen illarum propositionum aliquo modo sciuntur praemissae demonstrationis.

Verbi gratia ista est una propositio prima, per experientiam praecise nota `omnis calor est calefactivus', quae non potest esse pars demonstrationis, saltem potissimae et universalis, virtute tamen istius tenent tales demonstrationes `omne calidum est calefactivum; omnis ignis est calidus; igitur omnis ignis est calefactivus; `omne calidum est calefactivum; omnis aer est calidus; igitur omnis aer est calefactivus'.

Istae igitur sunt distinctae propositiones `omnis calor est calefactivus' et `omne calidum est calefactivum', et prima prior est et secunda posterior. Et tamen secunda non potest proprie demonstrari per primam et secunda intrat demonstrationem non prima, et tamen virtute primae tenent multae demonstrationes quas non potest ingredi.

Et sicut est de ista, ita est de multis aliis. Propositio autem requisita ad demonstrationem, non tamquam pars, subdividitur, quia quaedam est talis quod necesse est quemlibet docendum habere eam, cuiusmodi sunt tales `quidlibet est vel non est', `de quolibet affirmatio vel negatio' et huiusmodi. Quaedam sunt tales quas non est necesse quemlibet docendum habere, sed necesse est aliquos artifices speciales eas habere, sicut est de istis `aliquid est mobile', `si ab aequalibus aequalia demas' etc.. Propositio autem quae est pars demonstrationis subdividitur, quia quaedam est praemissa tantum, quae scilicet est indemonstrabilis; quaedam est conclusio tantum, quae scilicet est demonstrabilis, sed non potest esse principium demonstrandi aliam propositionem; quaedam est praemissa et conclusio, quia potest demonstrari per praemissas alias et potest esse principium demonstrandi aliam conclusionem.

Alia divisio potest poni, quia propositionum requisitarum ad demonstrationem quaedam sunt principia, quaedam conclusiones. Principia dicuntur illae propositiones quae non sunt conclusiones et tamen requiruntur ad demonstrationem, sive sint partes demonstrationis sive non sint partes eius.

Et vocantur principia prima, quae subdividi possunt: quia quaedam principia prima sunt per se nota, quibus scilicet intellectus statim assentit ipsis terminis apprehensis, ita quod si sciatur quid significant termini, statim sciuntur.

Quaedam autem principia prima non sunt per se nota sed tantum per experientiam, quia possunt dubitari, sed tamen per experientiam fiunt nota, sicut est de ista propositione `omnis calor est calefactivus', et de multis talibus, quae non possunt fieri notae nisi per experientiam, de quibus specialiter loquitur Aristoteles in I Metaphysicae et in II Posteriorum, in fine.

3—2. 5. DE PROPRIETATIBUS PROPOSITIONUM AD DEMONSTRATIONEM REQUISITARUM; ET QUOMODO EST EX INCORRUPTIBILIBUS.

Istis praemissis videndum est de proprietatibus propositionum ad demonstrationem requisitarum.

Illarum autem proprietatum quaedam sunt communes omnibus propositionibus requisitis ad demonstrationem, quaedam sunt propriae conclusionibus, quaedam sunt propriae praemissis, quaedam sunt propriae principiis non ingredientibus demonstrationem.

Una proprietas communis omni propositioni requisitae ad demonstrationem est necessitas.

Nulla enim propositio requisita ad demonstrationem est contingens vel impossibilis, sed quaelibet est necessaria. Quod enim conclusio sit necessaria, patet ex definitione demonstrationis, quia demonstratio est syllogismus faciens scire propositionem necessariam, igitur conclusio est necessaria. Sed necessarium, quamvis possit inferri ex contingentibus vel impossibilibus, non tamen potest sciri per contingentia vel impossibilia, igitur necessario praemissae, propter quas scitur conclusio, sunt necessariae.

Sed propositiones rectificantes demonstrationem sunt priores et notiores praemissis, igitur illae sunt necessariae, et ita patet quod omnes propositiones requisitae ad demonstrationem sunt necessariae, et sicut sunt necessariae ita sunt perpetuae et incorruptibiles.

Quod non est sic intelligendum quod propositiones illae sunt quaedam entia perpetua et incorruptibilia.

Hoc enim falsum est. Solus enim Deus est perpetuus et incorruptibilis, nec aliquid aliud a Deo potest esse simpliciter perpetuum et incorruptibile quin per aliquam potentiam posset fieri non—ens.

Propter quod sciendum quod `necessarium', `perpetuum' et `incorruptibile' dupliciter accipiuntur. Uno modo dicitur aliquid necessarium, perpetuum et incorruptibile quia per nullam potentiam potest incipere vel desinere esse; et sic solus Deus est perpetuus, necessarius et incorruptibilis.

Aliter dicitur necessarium, perpetuum et incorruptibile propositio quae non potest esse falsa; quae scilicet est ita vera quod, si formetur, non est falsa sed vera tantum. Et isto modo demonstratio est necessariorum, perpetuorum et incorruptibilium, hoc est propositionum quae non possunt esse falsae sed tantum verae.

Ex quo patet quod quamvis repugnet dictis Aristotelis, tamen secundum veritatem nulla propositio de illis quae important praecise res corruptibiles, mere affirmativa et mere categorica et mere de praesenti, potest esse principium vel conclusio demonstrationis, quia quaelibet talis est contingens. Si enim aliqua talis esset necessaria, hoc maxime videretur de tali `homo est animal rationale'. Sed haec est contingens, quia sequitur `homo est animal rationale, igitur homo est animal', et ultra `igitur homo componitur ex corpore et anima sensitiva'. Sed haec est contingens, quia si nullus homo esset, ipsa esset falsa propter falsam implicationem, quia implicaretur aliquid componi ex corpore et anima, quod tunc foret falsum.

Nec valet dicere quod ista aequivalet isti `si homo est, homo est animal rationale', quia haec est condicionalis et non categorica. Et ita stat primum dictum, quod nulla talis mere categorica et mere de praesenti est necessaria.

Et ideo dico quod nulla talis potest esse principium vel conclusio demonstrationis. Hoc tamen non obstante dicendum est quod multae propositiones compositae ex talibus terminis possunt esse principia vel conclusiones demonstrationis, quia propositiones condicionales et de possibili et aequivalentes eis possunt esse necessariae. Haec enim simpliciter est necessaria `si homo est, animal est'; et ista `si homo ridet, animal ridet'; et ista `omnis homo potest ridere', si subiectum stet pro his quae possunt esse. Et eodem modo propositiones aequivalentes eis sunt necessariae. Et ex isto patet quomodo, non obstante quod genera et species et quaecumque universalia distincta a cognitione Dei sunt simpliciter corruptibilia sic quod possunt esse nihil, tamen de eis possunt fieri demonstrationes et scientiae, propter hoc quod, non obstante quod possunt simpliciter destrui, tamen de eis possunt formari propositiones necessariae, quae possunt sciri scientia proprie dicta.

Ex isto etiam patet quomodo de contingentibus potest esse scientia; quia secundum quod veniunt in demonstrationem necessaria sunt, hoc est propositiones formatae de terminis importantibus talia contingentia quae veniunt in demonstrationem sunt necessariae, quae non sunt mere de praesenti et de inesse, categoricae et affirmativae, sed vel sunt negativae vel hypotheticae vel de possibili vel alio modo, vel aequivalentes eis.

3–2. 6. QUID EST ESSE DE OMNI ET QUOMODO PRAEMISSAE ET CONCLUSIO DEMONSTRATIONIS POSSUNT ESSE DE OMNI?

Alia condicio tam praemissarum quam conclusionis demonstrationis est esse de omni, quia tam praemissa quam conclusio demonstrationis potest esse de omni.

Est autem de omni, non quando praedicatum competit alicui contento sub subiecto et alicui non, nec quando uno tempore competit subiecto et alio non competit sibi, sed quando praedicatum omni contento sub subiecto et omni tempore competit subiecto.

Unde differentia est inter `de omni' de quo loquitur Aristoteles in I Posteriorum et inter `de omni' de quo loquitur in I Priorum. Nam ad `de omni' de quo loquitur in libro Posteriorum requiritur quod praedicatum vere competat subiecto universaliter sumpto et pro omni tempore.

Ad `de omni' autem de quo loquitur in libro Priorum non requiritur nisi quod per talem propositionem denotetur praedicatum praedicari de subiecto universaliter sumpto, sive vere praedicetur de eo sive non.

Unde haec est de omni `omnis homo est asinus', non obstante quod sit falsa, quia est universalis.

3—2. 7. QUOMODO PROPOSITIONES REQUISITAE AD DEMONSTRATIONEM DICUNTUR PER SE?

Non solum autem quaelibet propositio requisita ad demonstrationem est necessaria vel de omni, sed etiam quaelibet est per se vera. Ut autem sciatur quae propositio est per se vera et quae non, videnda est multiplicitas et aequivocatio huius termini `per se'.

Est autem sciendum, secundum Lincolniensem, quod distinctio est inter modos dicendi per se et modum essendi per se et modum causandi per se. Aliquid enim esse per se tripliciter dicitur, eo quod `per se' vel excludit omnem causam, et sic solus Deus est per se, hoc est, solus Deus non habet causam per quam sit; vel excludit causam materialem, et sic intelligentiae carentes materia sunt per se, hoc est, non habent materiam in qua forma earum subsistat; vel excludit subiectum, et sic substantia est per se, hoc est, substantia non habet subiectum in quo subsistat.

Et si quaeratur, quare tot modis dicitur aliquid esse per se, dicendum quod causa huius non potest assignari nisi voluntarius usus loquentium. Alius est modus causandi per se, quando scilicet aliquid est causa per se alicuius, sicut interfectio est causa per se quare iste intereat.

Et potest iste modus non tantum competere causae efficienti sed etiam causae finali.

Praeter istos modos `per se' sunt aliqui alii modi dicendi per se, scilicet quando aliquid praedicatur per se de altero. Et sunt duo modi, quorum unus est quando praedicatum ponitur in definitione subiecti, alius quando subiectum ponitur in definitione praedicati.

Circa istos autem modos est primo advertendum quod iste terminus `per se', secundum quod praedicatur de propositione, dupliciter accipitur, scilicet stricte et large. Large dicitur propositio per se quando subiectum cadit in definitione praedicati vel e converso et per se superius ad unum definit reliquum vel definitur

per reliquum. Et isto modo haec est per se `omnis homo est animal', et ista `omnis homo est rationalis', et ista `omnis homo est risibilis', et ceterae huiusmodi.

Aliter accipitur `per se' stricte.

Et sic, cum prioribus condicionibus, ad hoc quod propositio sit per se, requiritur quod ipsa sit simpliciter necessaria, ita quod nec potest nec potuit nec poterit esse falsa. Et sic accepto `per se', quamvis secundum opinionem Aristotelis, qui ponit quod generatio et corruptio rerum est perpetua, multae propositiones categoricae et de inesse et de praesenti sint per se, tamen secundum veritatem tales de terminis importantibus praecise res corruptibiles sive creatas non sunt per se, quia non sunt necessariae, sicut dictum est.

Unde sic accepto `per se', haec non est per se `omnis homo est animal', quia potest esse falsa, puta posito quod nullus homo sit. Verumtamen propositiones de possibili et eis aequivalentes, compositae ex talibus terminis, sunt per se.

Unde ista est per se `omnis homo potest esse animal', sumpto subiecto pro eo quod potest esse. Viso igitur quod ad hoc quod propositio sit per se, requiritur quod sit necessaria, est ulterius sciendum quod ad hoc quod propositio sit per se, strictissime sumpto hoc termino `per se', requiritur quod sit praedicatio propria et directa.

Per quod excluduntur propositiones ubi praedicantur inferiora de superioribus particulariter sumptis et subiecta de suis passionibus et una passio de alia passione.

Propter quod tales, quamvis sint necessariae, non sunt per se, strictissime sumpto `per se'. Cuiusmodi sunt tales `aliquod animal est homo' vel `aliquod animal potest esse homo'; `omne risibile est homo vel potest esse homo'; `omne risibile est susceptibile disciplinae' et huiusmodi, quamvis essent necessariae.

Ulterius sciendum est quod aliquid potest cadere in definitione alterius vel in recto vel in obliquo, et secundum hoc potest praedicari vel in recto vel in obliquo. Istis visis dicendum est quod sola illa propositio est per se quae est necessaria, in qua praedicatum definit subiectum vel aliquid per se superius ad subiectum, vel subiectum definit praedicatum vel aliquid per se superius ad praedicatum.

Et hoc intelligit Lincolniensis quando dicit: ``Dicitur per se alterum de altero cum quidditas unius essentialiter et non per accidens a quidditate alterius egreditur. *Non enim intendit quod praedicatum realiter egrediatur a subiecto vel e converso, illo modo quo effectus efficitur realiter a sua causa, cum subiectum et praedicatum sint termini, quorum neuter est causa alterius.*

Sed `egredi' hic a quidditate alterius vocat declarare et importare sive significare aliquid quod significatur per reliquum. Est igitur, breviter, intentio Lincolniensis, et etiam Aristotelis quod quando praedicatum per se definit subiectum vel aliquid per

se superius ad subiectum, sive sicut definitio sive sicut pars definitionis vel e converso, tunc est propositio per se.

Et est primus modus quando praedicatum definit subiectum vel per se superius ad subiectum. Propter quod tales, si essent necessariae, essent per se `omnis homo est animal rationale', `omnis homo est animal', `omnis homo est rationalis', `omnis homo componitur ex corpore et anima', quia in omnibus istis praedicatum definit subiectum.

Similiter tales, si essent necessariae, essent per se `omnis homo est corpus', `omnis homo est substantia', `omnis homo componitur ex materia et forma', `omnis homo habet materiam', quia quamvis ista praedicata non definirent istud subiectum, definirent tamen per se superius ad subiectum, et ideo essent per se.

Secundus autem modus est quando subiectum vel per se superius ad subiectum definit praedicatum vel per se inferius ad praedicatum. Unde ista est per se, si sit necessaria, `omnis homo est risibilis', quia in definitione exprimente quid nominis ipsius `risibilis' ponitur `homo'.

Similiter haec est per se, si sit necessaria, `omnis homo est susceptibilis contrariorum', quia in definitione praedicati ponitur `substantia' vel `corpus', quod est per se superius ad hominem; et quia `homo' definit hoc praedicatum `esse susceptibile talium contrariorum', demonstratis aliquibus quae non possunt competere nisi homini, et illud est per se inferius ad hoc commune `susceptibile contrariorum', ideo haec est per se `omnis homo est susceptibilis contrariorum'.

Ex praedictis claret quod omnes tales sunt per se `omnis homo potest dealbari', `omnis materia potest suscipere formam', `omnis creatura potest a Deo creari', `Deus est creativus', `calor est calefactivus', et ceterae huiusmodi.

Oportet autem scire quod ista quae dicta sunt, intelligenda sunt de propositionibus affirmativis, nam aliquae negativae sunt per se, in quibus tamen praedicatum non definit subiectum nec e converso.

Est autem sciendum quod omnis negativa necessaria, in qua terminus subiectus et praedicatus sunt mere absoluti et non relativi nec connotativi, est per se. Unde haec est per se `omnis homo non est asinus' et haec similiter `omnis homo non est albedo', quamvis secundum opinionem Aristotelis haec non sit per se `omnis homo non est quantitas'.

Similiter, quando aliqua talis negativa est per se, illud quod per se tamquam proprium praedicatur de uno illorum affirmative, per se praedicatur negative de reliquo. Unde si haec sit per se `nullus homo est asinus' et haec sit per se et primo vera `omnis homo est risibilis', haec erit per se `nullus asinus est risibilis'.

Si autem tale praedicatum praedicetur de uno illorum non tamquam proprium sibi, non oportet quod de alio praedicetur negative, neque per se neque vere. Unde quamvis haec sit per se `nullus homo est asinus', non oportet propter hoc quod haec sit per se `nullus homo est susceptibilis contrariorum' quia haec est per se `omnis asinus est susceptibilis contrariorum'.

3–2. 8. QUAE EST PROPOSITIO PRIMO VERA?

Sicut tam principium quam conclusio demonstrationis potest esse per se vera, ita tam principium quam conclusio demonstrationis potest esse primo vera. Est autem illa propositio primo vera quando praedicatum nulli subiecto communiori illo subiecto nec alicui subiecto non praedicabili de illo subiecto prius competit quam illi subiecto. Et tale praedicatum respectu talis subiecti vocatur universale, et illud subiectum vocatur primum subiectum illius praedicati, saltem si sit praedicabile secundo modo dicendi per se.

Per primam particulam excluditur a primo subiecto omne inferius. Unde, sicut docet Aristoteles, isto modo contingit tripliciter errare in assignatione universalis: primo, si credatur aliquod praedicatum competere alicui primo quia non est aliquid actu praeter illud cui assignatur cui possit competere, sicut si passio solis assignetur primo competere isti soli quia non est alius sol ab isto. Secundo, si aliquod praedicatum ambiguum assignetur alicui determinato nomini propter hoc quod non est aliquod commune nomen omnibus illis de quibus praedicatur illud ambiguum. Tertio, si non sit manifesta differentia inter genus et speciem, et propter illius differentiae latentiam assignetur passio generis illi speciei primo.

Istis modis peccatur attribuendo universale alicuius communioris minus communi. Per secundam particulam excluditur concretum alicuius abstracti cui primo competit. Unde si nihil esset calefactivum nisi calor, tunc hoc praedicatum `calefactivum' non competeret primo calido, quia haec non esset primo vera `omne calidum est calefactivum', sed haec esset primo vera `omnis calor est calefactivus', quia ista non posset esse vera `omne calidum est calefactivum' nisi haec esset vera `omnis calor est calefactivus'.

Sed e converso bene posset; et ita illa est prior, et per consequens `calefactivum' primo praedicaretur de calore. Et si dicatur quod quando aliquid praedicatur primo de aliquo, de nullo praedicatur nisi de quo praedicatur suum primum subiectum, sicut de nullo praedicatur `esse risibile' nisi de quo praedicatur `homo'; sed `esse calefactivum' praedicatur de calido, de quo tamen non praedicatur `calor'; igitur calor non est primum subiectum calefactivi: Dicendum est quod universale numquam praedicatur de aliquo nisi de quo praedicatur suum subiectum primum vel concretum sui primi subiecti.

Unde de quocumque praedicatur `calefactivum' de eodem praedicatur `calor' vel `calidum', si `calefactivum' sit universale competens primo calori. Ex prioribus patet quae propositio affirmativa est primo vera.

Quia tales sunt primo verae `omnis homo est animal', `omne corpus est substantia', `omnis calor est qualitas', si non sit genus medium inter calorem et qualitatem; et tales `omnis homo est risibilis', `omnis substantia intellectualis simplex est susceptibilis disciplinae' et huiusmodi.

Ex praedictis etiam potest patere quid est subiectum primum alicuius passionis et quid non est subiectum primum eiusdem. Oportet autem scire quod sicut propositio affirmativa est primo vera, ita aliqua negativa est primo vera.

Unde illa propositio negativa in qua praedicatum non potest vere negari ab aliquo communiori quam sit subiectum, nec aliquod praedicatum communius potest vere negari universaliter ab illo subiecto, est primo vera, et vocatur `negativa immediata'.

Huiusmodi est talis propositio `nulla substantia corporea est substantia incorporea'.

Et ideo, secundum opinionem Aristotelis, haec non est primo vera nec immediata `nulla substantia est quantitas', quia haec non est vera secundum principia sua. Et si inveniretur quod diceret talem esse immediatam, esset respondendum quod hoc diceret secundum opinionem aliorum vel gratia exempli.

3–2. 9. DE PROPRIETATIBUS CONCLUSIONUM QUAE NON POSSUNT COMPETERE OMNIBUS PRAEMISSIS

Declaratis quibusdam proprietatibus quae possunt competere omnibus propositionibus demonstrationis potissimae, videlicet tam praemissis quam conclusioni, dicendum est de proprietatibus communibus conclusionibus quae non possunt competere omnibus praemissis demonstrationis potissimae.

Quarum una est quod omnis conclusio demonstrationis est dubitabilis, ita quod non est per se nota. Cum enim demonstratio sit syllogismus faciens scire, et nihil facit scire aliquid praescitum, necesse est, si apprehendatur illa conclusio sine praemissis, quod illa conclusio possit ignorari et per consequens de ea possit aliquis dubitare, cum non possit sciri esse falsa.

Hoc etiam vult Lincolniensis in diversis locis I Posteriorum, ubi dicit in principio: ``Non docemur vel addiscimus aliquid nisi illud quod cum primo concipimus est nobis dubium vel apparet falsum.

Dicendum est igitur quod omnis conclusio demonstrationis est dubitabilis propositio, quia quaelibet conclusio demonstrationis est quaestio; quaestio autem est dubitabilis propositio, secundum Boethium.

Quamvis autem omnis conclusio demonstrationis sit dubitabilis propositio, non tamen oportet quod semper dubitetur quousque per demonstrationem certificetur, quia conclusio demonstrationis duabus viis cognosci potest.

Aliqua enim cognosci potest per demonstrationem, quando ex notitia praemissarum devenitur in notitiam conclusionis.

Aliqua autem non solum sic cognosci potest, sed cognosci potest per experientiam, illo modo quo Aristoteles docet I Metaphysicae et II Posteriorum principia per experientiam cognosci.

Sicut enim potest aliquis per experientiam cognoscere quod omnis talis herba sanat, ita potest per experientiam cognoscere quod luna est eclipsabilis. Oportet autem scire quod non solum omnis conclusio potest dubitari, sed etiam aliqua principia demonstrationis sunt dubitabilia, quamvis non omnia.

Unde omnia quae nonnisi per experientiam cognosci possunt dubitabilia sunt, quantumcumque sint prima, ita quod ex aliis demonstrari non possunt.

3–2. 10. DE MODO SCIENDI PER EXPERIENTIAM ET QUALITER HABETUR EXPERIMENTUM

Quia dictum est quod aliqua principia et aliquae conclusiones sciri possunt per experientiam, de isto modo deveniendi ad notitiam principii vel conclusionis est breviter disserendum.

Unde sciendum est quod sensu apprehendente aliquod sensibile, potest virtus phantastica idem imaginari, et non solum phantastica sed etiam intellectus potest idem apprehendere, quo apprehenso potest intellectus aliquas propositiones contingentes evidenter cognoscere.

Sicut apprehenso per sensum calore, potest intellectus eundem calorem cognoscere, et scire quod illud est calidum, et quod illo approximato alteri calefacit illud aliud quod non esset calidum nisi sibi primum calidum approximaretur.

Et ita intellectus evidenter cognoscit hanc propositionem `hoc calidum calefacit'. Ista autem propositione nota et scita, et scito quod quando aliquid convenit uni individuo potest consimile competere alteri individuo eiusdem speciei, accipit istam propositionem universalem `omnis calor est calefactivus', cum non sit maior ratio quod unus calor sit magis calefactivus quam alius. Ista propositio sic nota per experientiam est unum universale, quia est propositio universalis; quae si non possit aliter cognosci quam sic per sensum, erit principium artis et scientiae. Si autem possit cognosci isto modo, et praeter hoc possit cognosci sine sensu per propositiones notas, necessarias, dispositas in modo et figura, erit conclusio scientiae et demonstrationis.

Est autem sciendum quod quandoque talis propositio habet pro subiecto speciem specialissimam, aliquando habet pro subiecto aliquod communius. Illa quae habet pro subiecto speciem specialissimam potest evidenter cognosci per notitiam unius singularis, sicut evidenter scito quod hic calor calefacit, potest evidenter cognosci quod omnis calor est calefactivus.

Unde notitia evidens unius talis singularis contingentis `hic calor calefacit' sufficit sine aliis singularibus ad habendum notitiam evidentem de universali.

Si autem illa universalis habeat pro subiecto aliquid communius specie specialissima, requiritur semper vel frequenter quod aliqua singularis cuiuscumque speciei contentae sub illo cognoscatur, et ita ad cognoscendum talia requiruntur plura singularia.

Oportet etiam scire quod, ut frequenter, ad cognoscendum universale requiruntur multa singularia, quamvis subiectum talis universalis sit species specialissima, quia, ut frequenter, non potest evidenter cognosci aliqua singularis contingens sine multis apprehensionibus singularium.

Unde non est facile scire quod haec herba sanavit talem infirmum, nec quod iste syrupus sanavit talem infirmum, et sic de multis aliis, quia non facile capitur experimentum, eo quod idem effectus specie potest esse a multis causis distinctis specie.

3—2. 11. DE PRAESCIENTIA CONCLUSIONIS IN DEMONSTRATIONE

Sicut autem conclusio debet esse dubitabilis, ita debet esse talis quod eius notitia prima evidens possit accipi per propositiones necessarias evidenter notas et dispositas in modo et in figura. Hoc patet, quia demonstratio est syllogismus faciens scire; sed non potest facere scire praescitum, ergo conclusio quam debet facere sciri non est necessario praescita; et potest sciri virtute demonstrationis, ergo prima eius notitia potest adquiri per praemissas demonstrationis.

Verumtamen aliquando praescitur conclusio ipsis praemissis, quod dupliciter contingere potest: quandoque enim est praecognita per experientiam, quandoque per alias praemissas.

Non enim est inconveniens quod eadem conclusio per diversa principia demonstretur. Et si quaeratur an notitia accepta per experientiam alicuius conclusionis et notitia eiusdem accepta per demonstrationem sint eiusdem speciei; et similiter, notitia accepta per diversas praemissas sit eiusdem speciei, potest probabiliter dici quod si talis notitia praecise sit notitia conclusionis et nihil aliud, non est inconveniens ponere quod talis notitia sit eiusdem speciei specialissimae. Nulla enim apparet necessitas ponendi illas notitias specie diversificari, nisi quia causantur a distinctis causis.

Sed hoc non obstat, quia non est impossibile effectus eiusdem speciei a causis specie distinctis causari.

3–2. 12. QUAE PROPOSITIO POTEST ESSE CONCLUSIO DEMONSTRATIONIS ET QUAE NON?

Ex praedictis patere potest quod non quaelibet propositio in qua praedicatur passio de suo subiecto primo potest esse conclusio demonstrationis. Haec enim est talis `omnis calor est calefactivus', si nihil sit calefactivum nisi calor; et tamen, ex quo non potest evidenter cognosci nisi per experientiam, manifestum est quod demonstrari non potest.

Et si dicatur quod haec potest demonstrari sic `omne productivum caloris est calefactivum; omnis calor est productivus caloris; igitur omnis calor est calefactivus', ubi per definitionem passionis concluditur passio de subiecto: Dicendum quod haec non est demonstratio sed petitio principii. Unde universaliter quando pro medio accipitur definitio exprimens quid nominis tantum, in tali illatione est petitio principii. Cuius ratio est, quia apud omnem demonstrantem ante conclusionem debet praecognosci quid nominis tam subiecti quam passionis.

Propter quod ante illationem conclusionis aequaliter erit nota passio de subiecto et definitio exprimens quid nominis illius passionis, et ita minor erit aeque ignota et aeque nota cum conclusione.

Propter quod in tali illatione erit petitio principii et non demonstratio.

Est igitur sciendum quod aliqua propositio in qua praedicatur passio de suo subiecto primo est demonstrabilis et aliqua non. Ad cuius evidentiam est notandum quod aliqua passio importat in recto praecise illud idem quod importat subiectum et aliquam formam realiter inhaerentem sibi in obliquo; aliqua autem passio praecise importat in recto illud quod importatur per subiectum et in obliquo aliquam rem non inhaerentem nec essentialem sibi; aliqua autem passio importat in recto illud quod importat subiectum et in obliquo importat partes illius rei et aliquam rem sibi non inhaerentem; aliqua autem passio importat in recto illud quod importat subiectum et negative vel in obliquo importat partes subiecti.

Exemplum primi: `colorabile' respectu subiecti sui primi. Nam `colorabile' nihil importat nisi illud quod importatur per subiectum et colorem in obliquo; quod patet per definitionem exprimentem quid nominis ipsius, quae est `aliquid potens habere colorem'. Exemplum secundi: `creativum'. Nam `creativum' nihil importat nisi Deum in recto et creaturam in obliquo; quod patet ex definitione exprimente quid nominis ipsius, quae est ista `aliquid potens creare aliquid'. Exemplum tertii: `habens tres angulos aequales duobus rectis'. Nam ista passio in recto significat triangulum et in obliquo partes eius et alios angulos qui non sunt partes eius. Exemplum quarti: `corruptibile' respectu substantiae. Nam `corruptibile' in recto et affirmative significat illam substantiam quae est corruptibilis, negative autem et in

obliquo partes eius; quod patet ex definitione exprimente quid nominis eius, quae est `aliquid cuius partes possunt non esse' vel `cuius una pars potest ab alia separari'.

De prima passione dico universaliter quod nulla talis passio potest demonstrari de subiecto suo primo, quia talis passio, si primo ignoretur de suo subiecto primo, non potest sciri de eo nisi per experientiam tantum.

Patet inductive. Idem dico de passione secunda, propter eandem rationem.

Sed passio tertio modo dicta et quarto potest demonstrari de subiecto suo primo, quia potest ignorari de suo subiecto, quamvis sciatur quid significatur per subiectum et quid etiam significatur per passionem.

Postea autem cognito quae et qualis naturae sunt suae partes, sine ulteriori experientia de passione potest eadem passio sciri de subiecto, et hoc per definitionem exprimentem illas partes quae in obliquo vel negative importantur per passionem.

Et tales sunt demonstrationes mathematicae, propter quod in eis parva vel nulla requiritur experientia, et demonstratur in eis semper vel frequenter per definitionem subiecti tamquam per medium.

Et quia in paucis scientiis habemus demonstrationem proprie a priori nisi in mathematicis in quibus communiter passio demonstratur de subiecto suo primo per definitionem subiecti tamquam per medium, ideo frequenter dicit Aristoteles indistincte quod passio est demonstrabilis de subiecto et quod definitio est medium; non quod omnis passio sit demonstrabilis de subiecto suo primo, sed quia omnis passio est demonstrabilis de aliquo subiecto, et in mathematicis semper vel frequenter passio est demonstrabilis de subiecto suo primo.

Nec intendit Aristoteles quod in omni demonstratione medium sit definitio, sed intendit quod in omni demonstratione in qua demonstratur passio de subiecto suo primo medium est definitio, in aliis non oportet.

3–2. 13. DE PROPRIETATIBUS PRINCIPIORUM INGREDIENTIUM DEMONSTRATIONEM

Post praedicta videndum est de proprietatibus principiorum ingredientium demonstrationem, quae non possunt esse conclusiones. Talia enim principia oportet esse prima, sic scilicet quod per priora demonstrari non possunt.

Unde non ideo dicuntur principia esse prima quia nulla sit propositio quocumque modo prior eis. Hoc enim non est verum. Nam, secundum Aristotelem, aliqua est propositio negativa prima, et tamen omni negativa est aliqua affirmativa prior. Per quam tamen affirmativam demonstrari non potest, cum non sit processus in infinitum in demonstrationibus, et propositio negativa sine praemissa

negativa demonstrari non potest. Ista enim propositio affirmativa `omne calidum est calefactivum' sive `omne habens calorem est calefactivum' habet aliquam propositionem priorem ea, istam scilicet `omnis calor est calefactivus'; quia tamen ista demonstrari non potest, ideo prima dici potest.

Item, omni propositione de terminis specialibus priores sunt communes animi conceptiones de terminis communibus; sicut omni tali propositione `omne calidum est calefactivum' prior est ista `quidlibet est vel non est', et tamen per istam propositionem demonstrari non potest.

Est igitur aliqua propositio prima, quia est indemonstrabilis, et tamen aliquo modo alia prior illa. Oportet autem scire quod quamvis principia demonstrationis sint prima, sic quod non sunt demonstrabilia, tamen aliqua propositio non necessaria, quae non est principium alicuius demonstrationis, potest esse prima.

Unde sicut ordo est inter propositiones necessarias, quod aliqua est prima et aliqua est posterior, ita ordo est inter propositiones contingentes, quod aliqua est prima et aliqua est posterior.

Sicut ista `Sortes est' prior est ista `Sortes est homo', quia sequitur, tamquam a priori, `Sortes est; Sortes non est non—homo; igitur Sortes est homo'.

Et ita est de aliis.

3—2. 14. QUAE PROPOSITIONES DICUNTUR ESSE IMMEDIATAE ET DE MODIS PRIORITATIS

Ex hoc autem quod principia debent esse prima, sequitur quod debent esse immediata et indemonstrabilia.

Propositio autem immediata est illa qua non est altera prior per quam possit demonstrari. Oportet autem scire quod quamvis omnia principia quae sunt prima, sunt immediata et e converso, ita quod isti termini `principia prima', `principia immediata' sunt convertibiles, tamen isti termini diversas possunt habere definitiones exprimentes quid nominis, propter quod non sunt termini synonymi, et ideo sine nugatione possunt poni a parte eiusdem extremi.

Et quia omne primum est prius alio, ex hoc quod principia sunt prima, sequitur quod sunt priora conclusione. Est autem advertendum quod aliter accipitur prioritas in rebus extra animam quae non sunt signa et in terminis incomplexis et in propositionibus.

Nam inter res dicitur una prior alia: vel quia praecedit eam tempore, vel quia potest esse sine ea et non e converso, vel quia est perfectior ea. Inter terminos autem incomplexos dicitur unus prior alio quia est communior eo, vel quia respectu esse exsistere ab uno ad alium est bona consequentia et non e converso.

Inter propositiones autem una dicitur prior alia: vel quia una est magis explicativa eiusdem rei vel plurium rerum quam alia, vel quia una est ex terminis communioribus quam alia, vel quia una consequentia naturali infert aliam et non e converso.

Sicut ista `omnis triangulus habet tres' etc. est prior ista `omnis isosceles habet tres angulos', tum quia prima habet terminum communiorem, tum quia prima consequentia naturali infert secundam et non e converso.

Similiter ista `omnis res composita ex materia et forma est corruptibilis' est prior ista `omne corpus est corruptibile', quia prima explicat aliquas res quas secunda non explicat et non e converso, sicut definitio explicat plures res quam definitum.

Ista autem prioritas non habet locum in propositionibus illis quarum una accipit definitum et alia definitionem exprimentem quid nominis tantum; et hoc, quia significatum vocabuli non potest sciri sine definitione exprimente quid nominis, si habet quid nominis.

Potest autem sciri significatum vocabuli sine definitione exprimente quid rei, quamvis habeat definitionem exprimentem quid rei, et ideo illa prioritas in propositionibus quarum una accipit definitum et alia definitionem exprimentem quid rei habet locum.

Propter quod arguendo a definitione exprimente quid nominis ad definitum est petitio principii, non autem arguendo a definitione exprimente quid rei ad definitum.

3–2. 15. QUOMODO PRINCIPIA DICUNTUR ESSE CAUSAE CONCLUSIONIS?

Non solum autem principia sunt priora conclusionibus, sed etiam sunt causae conclusionum.

Quod multipliciter intelligi potest. Uno modo quod notitia principiorum efficiat notitiam conclusionis; quod verum est de quibuscumque principiis respectu conclusionis in habente demonstrationem facientem scire, quia semper notitia principiorum in tali facit notitiam conclusionum.

Alio modo potest intelligi quod ideo principia dicuntur causae conclusionis quia principia exprimunt causam propter quam sic est a parte rei sicut denotatur per conclusionem. Verbi gratia istae propositiones `quando terra interponitur inter lunam et solem, luna eclipsatur', `quando luna est in tali situ, tunc terra interponitur inter lunam et solem' exprimunt causam quare luna eclipsatur, et ideo istae praemissae dicuntur causae conclusionis illius.

Aliter potest dici principium causa conclusionis, quia consequentia naturali infert conclusionem et non e converso. Aliter possunt dici causae conclusionum, quia conclusio componitur praecise ex terminis positis in principiis, non sic autem principia praecise componuntur ex terminis positis in conclusione.

Propter quod dicit quandoque Aristoteles quod praemissae sunt causae materiales conclusionis et non e converso.

Oportet autem scire quod quamvis principia sint causae conclusionis primo modo intelligendo, tamen potest contingere e converso, quod conclusio sit causa principii, quia potest contingere quod aliquis ex notitia conclusionis deveniat in notitiam principii, sicut inferius ostendetur.

3–2. 16. DE ILLIS QUAE COMMUNITER CONVENIUNT OMNIBUS PRAEMISSIS DEMONSTRATIONIS

Commune autem omnibus praemissis cuiuscumque demonstrationis, sive illae praemissae sint principia tantum sive etiam sint conclusiones, est quod praemissae sunt notiores conclusione.

Quod patet ex definitione demonstrationis: quia ex quo omnis demonstratio est syllogismus faciens scire, et nihil ignotius potest facere scire notius, nec aeque ignotum facit scire aeque ignotum, necesse est quod praemissae sint notiores conclusione.

Non solum autem praemissae sunt notiores conclusione, sed etiam quaelibet praemissarum potest tempore cognosci ante conclusionem. Potest enim ista maior `omnis triangulus habet tres' etc. cognosci hac conclusione ignota `iste triangulus habet tres angulos', propter ignorantiam istius minoris `iste triangulus est triangulus'.

Similiter potest ista sciri `iste triangulus est triangulus' hac ignota `iste triangulus habet tres angulos' etc., si ignoretur ista maior `omnis triangulus habet tres' etc.. Sed si nota ista maiore `omnis triangulus habet tres' etc. sumatur sub ista minor `iste triangulus est triangulus', simul cognoscetur ista conclusio `iste triangulus habet tres' etc..

Et ita frequenter vel semper maior praecognoscitur conclusioni, sed scita maiore et sumpta minore simul cognoscitur conclusio. Propter quod ante demonstrationem conclusio scitur in universali et ignoratur in particulari, hoc est ante demonstrationem scitur una universalis sub qua continetur conclusio et ignoratur conclusio, ita quod non est nota cognitione propria sibi, sed est nota una cognitione communi sibi et omnibus aliis conclusionibus sibi similibus.

Et talis notitia generalis sufficit ad hoc quod investigans sciat illud esse quod quaerit, si occurrat ei.

3–2. 17. DE DUPLICI DEMONSTRATIONE: A PRIORI ET A POSTERIORI

Postquam tractatum est breviter de terminis et propositionibus ad demonstrationem pertinentibus, restat dicere de demonstratione.

Est autem primo sciendum quod cum dictum sit in principio quod demonstratio est syllogismus faciens scire, accipiendo `scire' pro notitia evidenti et certa, ubi necessarium sequitur ex propositionibus necessariis, et talis syllogismus sit multiplex, necesse est quod multiplex sit demonstratio.

Propter quod oportet scire quod quaedam est demonstratio cuius praemissae sunt simpliciter priores conclusione, et illa vocatur demonstratio a priori sive propter quid.

Quaedam est demonstratio cuius praemissae non sunt simpliciter priores conclusione, sunt tamen notiores sic syllogizanti, per quas devenit sic syllogizans in notitiam conclusionis, et talis demonstratio vocatur demonstratio quia sive a posteriori.

Verbi gratia si aliquis nesciens lunam nunc eclipsari, sciens tamen cursus et motus planetarum, consideret istas praemissas `quando luna est in tali situ etc., tunc luna eclipsatur; luna est nunc in tali situ', et ex istis propositionibus deveniat in notitiam istius conclusionis `luna nunc eclipsatur', talis habet demonstrationem a priori et propter quid, quia praemissae exprimunt causam propter quam sic est a parte rei sicut significatur esse per conclusionem.

Si autem alius, e converso, videns lunam eclipsari et nesciens terram interponi, sic arguat `quando luna eclipsatur terra interponitur inter lunam et solem; luna nunc eclipsatur; ergo nunc terra interponitur', talis facit demonstrationem a posteriori; et scit quod terra interponitur, tamen nescit quare interponitur, et ita scit quia ita est, sed nescit propter quid ita est; quia tamen per propositiones sibi notas adquirit cognitionem sibi ignoti necessarii, ideo habet demonstrationem.

Est tamen advertendum quod praedicti syllogismi tantum adducti sunt gratia exempli, non quod ita sit, sed ut sentiant qui addiscunt. Ex praedictis sequitur quod possibile est duos formare eundem syllogismum et tamen unus demonstrabit et alius non demonstrabit; sicut unus ex praemissis adquirit notitiam conclusionis et alius ex eisdem praemissis non adquirit notitiam conclusionis; propter quod idem syllogismus est uni demonstratio et alteri non est demonstratio, sicut praemissae in uno faciunt notitiam conclusionis et non in alio.

Et ideo `scire' non ponitur in definitione demonstrationis tantum sicut importans causam finalem demonstrationis, sed in definitione demonstrationis ponitur tamquam pars definitionis, exprimens illud quod significatur per demonstrationem in obliquo.

Unde hoc nomen `demonstratio' significat non tantum syllogismum talem, sed etiam significat in obliquo ipsam scientiam conclusionis natam causari a notitia principiorum. Et quia ita est, ista definitio `syllogismus faciens scire' potest esse medium notificandi ceteras definitiones de demonstratione, quae quidem definitiones significant aliquid quod nec in recto nec in obliquo significat hoc nomen `demonstratio'.

Sicut si haec oratio `potens scindere dura' sit definitio exprimens quid nominis serrae, ista oratio potest esse medium notificandi quod serra debet esse acuta et ferrea, et sic de aliis. Et sic loquuntur multi quando dicunt quod definitio sumpta a causa finali est medium demonstrandi definitionem sumptam a causa materiali sive a partibus de definito.

Et hoc non est verum, nisi quando definitio sumpta a causa finali est definitio exprimens quid nominis. Tunc tamen talis processus non erit proprie demonstratio, sed erit notificatio quaedam.

3–2. 18. DE OBIECTIONIBUS CONTRA IAM DICTA

Sed istis repugnare videtur quod dictum est prius, quod scilicet definitio exprimens quid nominis non potest esse medium demonstrandi, eo quod in tali illatione est petitio principii.

Non videtur etiam veritatem habere quod demonstratio significat scientiam natam adquiri per praemissas demonstrationis; quia si sic esset, demonstratio non esset per se inferius ad syllogismum. Numquam enim significatur aliquid per inferius, nec in recto nec in obliquo, nisi idem eodem modo significetur per superius per se.

In hoc enim distinguitur per se inferius ab inferiori per accidens. Cum igitur syllogismus nec in recto nec in obliquo significet scientiam, nec demonstratio significabit scientiam; et per consequens ista oratio `syllogismus faciens scire' non erit definitio exprimens quid nominis demonstrationis.

Sed istis non obstantibus dicendum est, sicut prius, quod haec oratio est medium notificandi alias definitiones de demonstratione, et quod haec est oratio exprimens quid nominis demonstrationis.

Unde sciendum est quod quamvis haec oratio `syllogismus faciens scire' non possit esse medium demonstrandi aliam definitionem de hoc nomine `demonstratio', pro eo quod significatum vocabuli est praesupponendum demonstrationi et ita una praemissarum non est magis nota quam conclusio, tamen ista oratio est medium notificandi quod illud, quod est demonstratio, est tale quale denotatur esse per definitionem aliam, et est medium demonstrandi illam aliam definitionem de nomine quod praecise significat illos syllogismos qui sunt demonstrationes, non connotando scientiam.

Et quia tale nomen non habemus, sed frequenter utimur hoc nomine `demonstratio' ac si praecise significaret syllogismos illos qui sunt demonstrationes, non connotando aliquid aliud, ideo dicit Lincolniensis quod definitio materialis demonstrationis demonstratur de demonstratione per definitionem sumptam a causa finali tamquam per medium.

Pro secunda autem obiectione dico quod nisi hoc nomen `demonstratio' aequivoce accipiatur, ut aliquando sit nomen connotativum et aliquando non sit nomen connotativum sed praecise nomen absolutum, demonstratio non est per se inferius ad syllogismum.

Et hoc quia significat aliquid in obliquo quod nec in recto nec in obliquo significatur per syllogismum; sed non est inconveniens hoc nomen aequivoce accipi, cum fere omnia nomina in diversis locis aequivoce accipiantur.

Dico ergo quod haec est definitio exprimens quid nominis demonstrationis `syllogismus faciens scire'. Propter quod, quamvis aliquis arguat ex praemissis ad conclusionem, non oportet quod demonstret, quia non adquirit scientiam conclusionis per praemissas.

Et si unus ex eisdem praemissis evidenter notis adquirat scientiam conclusionis et alius tantum apprehendat praemissas et conclusionem sed per praemissas non devenit in notitiam conclusionis, unus demonstrat et alius non demonstrat.

Et ita idem syllogismus est uni demonstratio et alii non est demonstratio.

3–2. 19. QUOMODO DEMONSTRATIO PROPTER QUID ET DEMONSTRATIO QUIA DIFFERUNT IN GENERALI?

Ostenso quod aliqua est demonstratio quia et alia propter quid, videndum est quomodo istae demonstrationes differunt in generali, et quomodo differunt scientia propter quid et scientia quia.

Pro quo sciendum est quod illa vocatur demonstratio propter quid quae est ex propositionibus necessariis prioribus, qua habita cessat omnis dubitatio et omnis quaestio circa conclusionem.

Sicut si sciatur quod luna eclipsatur per hoc quod scitur quod terra interponitur inter solem et lunam cessat omnis quaestio de ista conclusione `luna eclipsatur': nec enim quaeritur utrum luna eclipsetur nec quare luna eclipsatur.

Forte tamen non oportet quod cesset quaestio circa quamlibet praemissarum.

Demonstratio autem quia est illa demonstratio quae non est ex prioribus vel qua habita non cessat omnis quaestio circa conclusionem. Exemplum primi est, si

demonstretur quod terra interponitur inter solem et lunam per hoc quod luna eclipsatur: praemissae non sunt priores conclusione sed posteriores.

Exemplum secundi est, si arguatur sic `nullum non—animal respirat; planta est non—animal; igitur planta non respirat'. Iste syllogismus ex prioribus est, adhuc tamen contingit quaerere quare planta non respirat. Et propter hoc iste syllogismus non est demonstratio propter quid sed quia; et hoc quia per talem syllogismum sufficienter scitur quod planta non respirat, sed non sufficienter scitur quare non respirat.

3—2. 20. QUOT MODIS DIFFERT DEMONSTRATIO QUIA A DEMONSTRATIONE PROPTER QUID?

Ista demonstratio quia sive scientia quia, secundum Aristotelem, duobus modis specialiter differt a demonstratione propter quid: uno modo in eadem scientia, alio modo in diversis scientiis.

Pro quo est primo sciendum quod hoc nomen `scientia' dupliciter ad praesens accipitur.

Uno modo significat collectionem multorum habituum, principiorum scilicet et conclusionum, ordinem determinatum habentium. Et sic accipit Philosophus hic scientiam. Aliter accipitur pro aliquo uno habitu et non pro aliqua collectione plurium habituum. Et sic loquitur Philosophus in diversis locis de scientia. Accipiendo igitur scientiam primo modo: uno modo differt demonstratio quia a demonstratione propter quid in eadem scientia sive scientia quia a scientia propter quid.

Et hoc dupliciter, secundum quod tactum est in praecedenti capitulo: uno modo, quia demonstratio quia, licet sit per prius, non tamen per causam immediatam; hoc est, non est per medium convertibile.

Aliquando autem demonstratio quia est per posterius, ita quod in praemissis non accipitur aliquid importans causam quare sic est sicut denotatur per conclusionem sed magis e converso.

Verbi gratia, causa quare planetae non scintillant, est quia sunt prope.

Tunc si arguatur sic `planetae sunt prope, ergo non scintillant', est demonstratio propter quid; si arguatur e converso, erit demonstratio quia. Et ita, universaliter, quando propositio prior scitur evidenter per hoc quod praemissae posteriores sciuntur evidenter, est demonstratio quia; immo etiam sufficit quod una praemissarum sit posterior conclusione. Similiter, quando demonstratur effectus non per causam immediatam sed remotam, tunc est demonstratio quia.

Sed sciendum est quod talis demonstratio semper est negativa et in secunda figura, ita quod affirmative non contingit sic demonstrare. Et vocatur hic causa remota non aliqua res quae est causa causae vel causa plurium, sed vocatur hic causa negatio alicuius ex qua sequitur negatio alterius et non e converso.

Sicut sequitur `hoc non est animal, ergo hoc non respirat', sed e converso non sequitur. Et tale medium non potest esse medium nisi in secunda figura. Et eodem modo, sicut potest negative syllogizari per talem causam non convertibilem cum effectu, ita potest syllogizari negative in secunda figura per effectum non convertibilem; et utraque erit demonstratio quia, non propter quid. Oportet etiam scire quod sicut in eadem scientia unus demonstrat effectum per causam et habet demonstrationem propter quid et alius e converso demonstrat eandem causam per eundem effectum et habet demonstrationem quia, ita idem potest primo demonstrare idem per effectum et postea per causam, eo quod non est inconveniens quod idem sit effectus unius et causa alterius.

Tamen pro modo loquendi oportet scire quod nullus demonstrat causam per effectum vel e converso, quasi causa extra vel effectus intret demonstrationem, cum demonstratio non componatur nisi ex conceptibus seu intentionibus animae vel ex vocibus vel scriptis, sed ideo dicimus demonstrari causam per effectum vel e converso quia quandoque praemissae exprimunt causam quare sic est sicut denotatur per conclusionem, et quandoque e converso.

Unde pro protervis oportet prompte scire aequivocationem huius nominis `causa', de qua breviter tactum est prius et amplius dicetur inferius.

3—2. 21. DE ALIA DIFFERENTIA INTER DEMONSTRATIONEM QUIA ET PROPTER QUID

Alio modo differt demonstratio quia a demonstratione propter quid sicut scientia quia differt a scientia propter quid: per hoc quod scientia quia habetur in una scientia et scientia propter quid habetur per aliam scientiam, quo modo se habent ad invicem scientia subalternans et scientia subalternata.

Ad cuius evidentiam sciendum est quod non ideo dicuntur aliquae scientiae `subalternans' et `subalternata' quia eandem conclusionem una scientia scit quia vera est et alia eandem scit propter quid.

Numquam enim, nisi forte per accidens, eadem conclusio est scita in scientia subalternante et subalternata, non plus quam eadem conclusio est scita in distinctis scientiis. Et ideo sicut eadem conclusio potest esse scita in scientiis disparatis, ita eadem conclusio potest sciri in scientia subalternante et subalternata, licet hoc non sit quia una est subalternans et alia subalternata.

Non igitur propter hoc dicitur una scientia subalternans et alia subalternata quia una scit unam conclusionem quia et alia propter quid, sed ideo dicitur una scientia

subalternans et alia subalternata quia scientia subalternata cognoscit conclusionem, scientia subalternans scit principium universale illius conclusionis.

Unde, universaliter, quando per aliquam scientiam evidenter cognoscitur aliqua conclusio et non principium et per aliam scientiam evidenter scitur principium et non conclusio, tunc est una subalternans et alia subalternata.

Sicut nauta multas conclusiones scit et nescit principia, e converso astrologus novit principia et nescit conclusiones, quia ad eum non pertinent. Et si quaeratur, quomodo unum est principium et reliquum conclusio, ex quo idem non potest cognoscere utrumque, cum omnis conclusio possit per sua principia demonstrari, dicendum est quod talis conclusio potest per tale principium demonstrari, sed nec per illum qui solum habet scientiam subalternantem nec per illum qui solum habet scientiam subalternatam, sed per illum qui habet utramque scientiam.

Oportet autem scire quod cum scientia subalternans et etiam scientia subalternata sit quaedam collectio multorum habituum, ordinem determinatum habentium, non est impossibile quin aliqua scientia secundum unam partem subalternetur uni scientiae et non secundum aliam partem, sicut perspectiva secundum aliquam sui partem subalternatur geometriae et non secundum omnem.

Similiter etiam possibile est quod una scientia secundum eandem partem diversis scientiis subalternetur, quando scilicet una scientia scit unum principium respectu unius conclusionis et alia scientia scit aliud principium respectu eiusdem conclusionis.

Et est advertendum quod semper vel frequenter principium cognitum in scientia subalternante est ex terminis universalioribus. Et si ex illo debeat quis demonstrare conclusionem scitam in scientia subalternata, si velit propriissimam demonstrationem facere, non accipiet illud principium in sua communitate, sed addet alicui termino alium terminum, ut compositum ex illis duobus sit in minus quam prius.

Et hoc est quod vult Aristoteles et Lincolniensis quod principia talia debent appropriari quando ex eis demonstratur talis conclusio. Sciendum est etiam quod una pars unius scientiae potest subalternari uni scientiae et altera alteri, sicut una pars scientiae naturalis potest subalternari geometriae et alia arithmeticae.

Verumtamen una talis scientia non dicitur subalternata respectu alterius propter unam conclusionem vel paucas, nisi tota scientia vel pro maiori parte sit sibi subalternata.

Propter quod una et eadem scientia non est subalternans et subalternata respectu eiusdem, quamvis non sit impossibile quod una pars unius totalis scientiae sit subalternans sibi aliquam partem alterius scientiae totalis et alia pars eiusdem scientiae totalis sit subalternata alteri parti alterius scientiae.

Et est sciendum quod hoc nomen `scientia subalternans' et similiter hoc nomen `scientia subalternata' dupliciter accipi potest, scilicet large et stricte. Large potest dici scientia subalternans vel secundum se vel secundum aliquam partem sui quandocumque aliqua scientia totalis cognoscit principium universale alicuius conclusionis vel proprium et alia scientia totalis cognoscit conclusionem, ita tamen quod istae scientiae non constituunt unam totalem scientiam.

Per quod excluduntur scientiae de per se superiori et per se inferiori. Et sic locutus sum prius de scientia subalternante et scientia subalternata. Et sic vult Philosophus quod medicina quantum ad aliquam sui partem subalternatur geometriae, quia medicina cognoscit hanc conclusionem `vulnera circularia tardius sanantur' et geometer cognoscit principium universale respectu istius conclusionis, scilicet quod `circulus est figura cuius latera secundum omnem dimensionem maxime distant'.

Et isto modo non est inconveniens quod logica et metaphysica secundum aliquas partes subalternent sibi aliquas partes particularium scientiarum. Scientia subalternans stricte accipitur quando principium scitur per unam scientiam et conclusio per aliam et simul cum hoc subiectum unius est per accidens inferius ad subiectum alterius vel aliquod subiectum unius importat partem significati per subiectum alterius.

Et sic accipit Lincolniensis scientiam subalternantem et scientiam subalternatam, et sic forte logica nullam scientiam aliam sibi subalternat nec forte etiam metaphysica.

3–2. 22. QUAE CONCLUSIONES AD QUAM SCIENTIAM PERTINEANT

Iuxta praedicta poterit aliqualiter apparere quid dicendum est de conclusionibus habentibus tam intentiones primas quam secundas pro terminis: ad quam scientiam debeant pertinere?

Cuiusmodi sunt tales `animal est genus', `homo est species', `rationale est differentia hominis', `album est accidens corporis' et huiusmodi. Videtur enim quod tales non ad logicam pertineant, quia si tales ad logicam pertinerent, cum sciri non possunt nisi perfecte sciatur natura significati per subiecta.

Impossibile est enim quod sciatur ista propositio `rationale est differentia hominis' nisi sciatur quod anima intellectiva est pars hominis, et per consequens nisi sciatur quod homo componitur ex anima intellectiva et alio.

Similiter impossibile est quod ista sciatur `sensibile est differentia essentialis hominis' nisi sciatur quod anima sensitiva est pars hominis. Et sic de aliis. Et per consequens tales sciri non possunt nisi sciatur perfecte natura hominis.

Et sic est de consimilibus. Sequeretur etiam, si tales propositiones per se pertinerent ad logicam, quod logicus non posset perfecte scire logicam nisi cognosceret naturas omnium rerum; immo etiam nisi cognosceret omnes conclusiones et omnia principia omnium scientiarum, quia impossibile est aliquam conclusionem vel principium in aliqua scientia reperiri quin ex ea dependeat notitia alicuius propositionis compositae ex illa intentione prima et secunda. Propter quod dicendum est quod de talibus propositionibus non habet se logicus intromittere nisi forte gratia exempli.

Bene enim potest logicus de talibus exemplificare in tradendo notitiam logicae, sed non pertinent ad logicum scire eas. Sicut autem non per se pertinent ad logicam, ita non per se pertinent ad aliam scientiam particularem, quia aliter scientiae particulares non solum dependerent a logica sicut ab instrumento tantum usitato in aliis scientiis particularibus, sed etiam aliae scientiae particulares procederent tamquam ex principiis ex propositionibus determinatis in logica.

Quod negat Commentator VII Metaphysicae et a Physicorum. Ideo dicendum est quod tales propositiones vel pertinent ad metaphysicam, sub cuius consideratione cadunt tam intentiones primae quam secundae, et quae utitur logica dupliciter: secundum quod logica est modus sciendi et etiam accipiendo propositiones consideratas in logica; vel tales pertinent ad aliquam scientiam specialem, ita quod aliquae pertinent ad unam scientiam specialem et aliae ad aliam, quae quodammodo subalternantur tam logicae quam aliis scientiis particularibus, quae tamen scientiae in distinctis tractatibus non sunt traditae a philosophis, sed sine omni difficultate, nota logica et notis aliis scientiis, tales propositiones sunt notae. Scita enim logica et cognita perfecte natura hominis statim, sine difficultate, supposita significatione vocabulorum scitur an `rationale' sit differentia hominis vel non.

Et sic de omnibus propositionibus consimilibus; propter quod non est multum necesse de talibus fieri distinctos tractatus.

3–2. 23. DE SCIENTIA ET DEMONSTRATIONE PROPTER QUID ET QUOT SUNT QUAESTIONES

Post scientiam et demonstrationem quia sequitur videre de scientia et demonstratione propter quid. Ad cuius habendam notitiam oportet primo scire quod, sicut tactum est prius, omne demonstrabile est dubitabile et per consequens quaeribile. Non tamen e converso omne dubitabile est demonstrabile nec per consequens omne quaeribile est demonstrabile.

Unde ut sciatur quid est demonstrabile demonstratione propter quid et quid non, oportet primo scire quot sunt dubitabilia et quaeribilia ad demonstrationem pertinentia. Et est sciendum, secundum Aristotelem, quod quatuor sunt genera quaeribilium sicut quatuor sunt genera vere scitorum, hoc est, evidenter cognitorum.

Omnis enim demonstrator, si dubitet aliquid quod debet scire, aut dubitat de aliqua propositione in qua praedicatum importat aliam rem — vel eandem rem alio modo — ab illo quod importatur per subiectum.

Sicut potest dubitare de tali propositione `luna est eclipsabilis', et tunc potest tripliciter quaerere circa talem propositionem.

Primo enim potest quaerere an talis propositio sit vera. Secundo potest quaerere, supposito quod sit certum apud eum quod est propositio vera, quid est medium per quod potest fieri notum quod illa propositio est vera.

Et istos duos modos quaerendi comprehendit Aristoteles sub quaestione `quia est', ita quod haec coniunctio `quia' non est ibi nota quaerendi, quasi per hanc coniunctionem `quia' fiat quaestio, sed magis est nota terminandi et respondendi.

Scito autem quod haec propositio est vera, sive scito quod luna eclipsatur, et scito quod est aliquod medium per quod certificari potest quod luna eclipsatur, et scito quid est illud medium, puta scitur aliquis effectus vel aliquid aliud per quod certificari potest quod luna eclipsatur, contingit ulterius quaerere quare vel propter quid luna eclipsatur.

Unde potest aliquis scire evidenter quod luna eclipsatur, et per consequens habet aliquod medium, hoc est, habet aliquid per quod scitur quod luna eclipsatur et tamen potest ignorare causam quare luna eclipsatur, et ita potest quaerere quare luna eclipsatur.

Et tunc quaeritur medium propriissimum per quod sciri potest quod luna eclipsatur. Et ista est alia quaestio, scilicet `propter quid'. Et istae sunt duae quaestiones ponentes in numerum, quia videlicet quaerunt de rebus diversis, quia praedicatum et subiectum important diversas res, vel saltem eandem rem alio modo. Aliter potest demonstrator dubitare de aliquo an sit, puta potest dubitare an Deus sit vel esse possit, et tunc quaerit an sit medium deveniendi in notitiam huius et quid est medium deveniendi in notitiam.

Hoc autem scito, quaerit ulterius: quid est? Sicut scito quod Deus est, quaerit: quid est Deus?

Et tunc quaeritur medium propriissimum per quod sciri potest quod res est. Et istae duae quaestiones non ponunt in numerum, quia praedicatum et subiectum non significant distinctas res distinctis modis.

Ex praedictis patet quod omnis quaestio vel quaerit si est medium deveniendi in notitiam primi quaesiti, sicut quaestio quia est et quaestio si est, vel quaerit quid est illud medium, sicut quaestio quid est et quaestio propter quid est.

Ex quo patet quod omnis quaestio est quodammodo quaestio medii. Sed sciendum est quod medium hic non accipitur pro medio syllogistico, sicut dicit

Lincolniensis, sed vocatur hic medium omne illud per quod devenit ratio in notitiam prius ignoti. Et ita experientia potest hic vocari medium, quia quandoque aliquis per experientiam cognoscit illud quod prius ignoravit. Oportet etiam scire quod quandoque omnes istae quatuor quaestiones eriguntur super aliquam conclusionem vel terminos illius conclusionis demonstrabilis, de quibus non est necesse praecognoscere quia est. Et in isto casu verum est quod dicit Lincolniensis, scilicet quod ``quaerentes duo ut fines, scilicet si est et quia est, non quaerimus ut illud super quod fit discursus sive decursus in fines, nisi medium syllogisticum ordinatum in esse debito ad extrema*. In isto enim casu omnes quaestiones quaerunt medium syllogisticum per quod demonstrari potest conclusio.*

Verbi gratia si haec conclusio sit demonstrabilis `luna eclipsatur' et de luna non potest esse quaestio, cum debeat praecognosci quia est, non potest fieri quaestio nisi utrum luna eclipsetur vel propter quid luna eclipsatur vel si est eclipsis vel quid est eclipsis.

Et omnes istae quaestiones quaerunt aliquo modo medium per quod demonstrari potest quod luna eclipsatur.

Et in isto casu quaestio quid est et propter quid est idem sunt. Et similiter medium et causa idem; hoc est, definitio passionis explicat causam per quam respondetur ad quaestionem factam per quid.

Et ita tunc medium et causa idem; hoc est, medium syllogisticum explicat causam propter quam ita est sicut denotatur per conclusionem.

Verbi gratia sit haec conclusio demonstrabilis `luna eclipsatur'. Isti conclusioni et demonstrationi per quam debet demonstrari praesupponendum est quia est et quid est de luna, et de eclipsi praesupponendum est quid est quod dicitur per nomen.

Unde praesupponitur ista definitio exprimens quid nominis `eclipsis est carentia luminis in aliquo receptivo ex interpositione corporis impedientis luminosum causare lumen in corpore receptivo luminis'.

Omnibus istis praesuppositis potest demonstrator dubitare an eclipsis sit in rerum natura vel esse possit. Et certificato quod sit, per experientiam, quia videmus defectum luminis in aliquo ex hoc quod lignum vel paries interponitur inter candelam et aliquid illuminabile; vel hoc facto noto, per aliquam aliam viam potest dubitari quid est carentia luminis etc..

Quod non est aliud quam dubitare cuiusmodi est illud corpus quod debet impedire influentiam lucis. Et notificato quod est corpus opacum vel aliquid tale, potest ulterius quaeri utrum luna sit eclipsabilis.

Et ostenso per experientiam vel per aliam viam quod sic, et ita dato aliquo medio per quod evidenter cognoscitur quod luna est eclipsabilis, potest quaeri ulterius quare luna est eclipsabilis.

Et cum constiterit quod luna est eclipsabilis propter hoc quod terra potest poni inter lunam et solem, cessat omnis quaestio circa istam conclusionem `luna eclipsatur'. Patet autem in isto processu quod definitio exprimens quid nominis passionis praesupponitur omni quaestioni et quod prima quaestio est quaestio si est de passione, quae quaerit medium, id est viam deveniendi in notitiam passionis, quod est possibilis, hoc est, quod esse de ea possibiliter praedicatur.

Secunda autem quaestio est quaestio quid est de passione, quia illud quod definitio sua exprimens quid nominis explicat in generali illa quaestio quaerit magis in speciali. Quod quidem quaesitum est generale ad illud propter quod luna eclipsatur, quia corpus opacum est commune ad terram.

Scito autem si est et quid est de passione in speciali, quaeritur ulterius an passio sit praedicabilis de isto subiecto et quid est medium deveniendi in notitiam illius. Quo scito quaeritur in speciali causa propter quam passio competit isti subiecto, et ita quid et propter quid quaerunt idem; sed quaestio quid est de passione quaerit magis in generali et quaestio propter quid quaerit magis in speciali, quamvis forte quandoque sit possibile quod utraque quaerat idem aeque in speciali.

Et propter ista vult Philosophus quod in tali processu quaestio quid est et propter quid est idem sunt et quod medium et causa idem, quia medium syllogisticum explicat causam frequenter in tali processu propter quam ita est a parte rei sicut denotatur esse per conclusionem demonstrationis.

In multis autem aliis casibus non sunt ista vera nec multa alia quae dicit Aristoteles circa istam materiam, nec in aliis vult ea intelligi generaliter.

3–2. 24. DE OBIECTIONIBUS CONTRA PRAEDICTA

Contra praedicta possunt fieri multae pueriles obiectiones, quas expedit solvere tam propter iuvenes quam propter protervos. Videtur enim primo quod non sunt tantum quatuor genera quaestionum: nam quaeritur quantus est Sortes et qualis est homo, et tamen tales quaestiones ad nullam illarum quatuor sunt pertinentes: Item, videtur quod non sunt eadem quaeribilia et vere scita, quia nihil vere scitur nisi quod per demonstrationem cognoscitur. Sed non omne quaeribile est demonstrabile, nam quaeritur propter quid luna eclipsatur, et tamen hoc demonstrari non potest: Item, `utrum omnis triangulus habeat tres' etc. est quaeribile, et tamen `utrum omnis triangulus habet tres' etc. non est scibile, quia non est verum: Ad primum istorum

dicendum quod vel tales quaestiones non pertinent ad demonstrationem, vel si pertinent, habent reduci ad quaestionem quia est. Verbi gratia, si quaeratur qualis est luna, ista quaestio implicat multas quaestiones, videlicet utrum luna sit illuminata, utrum eclipsata, utrum sit perspicua, et sic de multis aliis, quae sunt quaestiones quia est, si pertineant ad demonstrationem; et ita illa quaestio quae implicat istas, ad quaestionem quia est reduci debet. Ad secundum dicendum est quod omne quaeribile est vere scibile; non accipiendo `vere scibile' pro illo quod demonstrari potest, sed magis generaliter pro evidenter cognoscibili. Ad tertium dicendum est quod utraque istarum `utrum omnis triangulus habet tres etc. est quaeribile' et `utrum omnis triangulus habet tres etc. est scibile' distingui potest secundum amphiboliam. Unus sensus est iste `hoc totum est quaeribile et scibile: utrum omnis triangulus habet tres etc.'; et hic sensus falsus est, et hic sensus infert istam `utrum omnis triangulus habet tres angulos etc., est verum'. Alius sensus est iste `aliquis potest quaerere et scire utrum omnis triangulus etc., et quaerere isto modo: utrum omnis triangulus etc.'; et sic non infert aliam. Si dicatur quod arguitur ab inferiori ad superius, igitur est consequentia bona, dicendum est quod quamvis sit bona consequentia ab inferiori ad superius quando non est aequivocatio vel amphibolia vel compositio vel divisio vel accentus, tamen quando aliqua dictarum fallaciarum potest assignari ibi, non oportet quod sit bona consequentia nisi in uno sensu non in alio. Et ita est in proposito, sicut est hic `homo est species, igitur aliquod animal est species', nam hic semper arguitur ab inferiori ad superius; et tamen si `homo' stet in antecedente simpliciter, consequentia non valet, quamvis si stet personaliter est bona consequentia, sed antecedens est falsum. Ita est in proposito, quia consequens non potest habere tales diversos sensus ex usu loquentium sicut potest antecedens, ideo consequentia est bona in uno sensu et non in alio.

3–2. 25. QUOMODO DIVERSAE QUAESTIONES DIVERSIMODE POSSUNT TERMINARI?

Viso numero quaestionum videndum est quomodo diversae quaestiones diversimode terminari possunt et quomodo illa quae per diversas quaestiones quaeruntur diversimode possunt fieri nota. Et quia, sicut patet ex praecedentibus, quaestio si est est prima quaestio, ideo videndum est prius de quaestione si est. Est autem primo sciendum quod quaestio si est terminatur per hoc quod evidenter cognoscitur quod res est.

Quod fit si sciatur propositio in qua esse exsistere per propositionem de inesse vel de possibili praedicatur de subiecto, ideo videndum est quomodo talis propositio evidenter cognosci potest.

Et oportet scire quod talis propositio dubitabilis vel habet pro subiecto nomen mere absolutum affirmativum vel habet aliud nomen pro subiecto, puta nomen negativum vel connotativum vel respectivum.

Et propositio mentalis, vel vocalis tali mentali correspondens, in qua subicitur nomen mere absolutum affirmativum, nullo modo cognosci potest evidenter nisi res

importata per subiectum intuitive et in se cognoscatur, puta nisi aliquo sensu particulari sentiatur, vel nisi sit intelligibile et non sensibile et ab intellectu videatur illo modo, proportionaliter, quo potentia visiva exterior videt visibile.

Unde nullus potest evidenter cognoscere quod albedo est vel esse potest nisi viderit aliquam albedinem, et sic de aliis. Et propter hoc, quamvis credere possim narrantibus quod leo est vel quod struthio est, et sic de aliis, tamen talia evidenter non cognosco.

Verumtamen ad sciendum evidenter tales propositiones, non oportet sic apprehendere omnia significata per subiectum, sed quandoque sufficit unum solum apprehendere et quandoque plura; et ita talis quaestio si est non poterit terminari nisi per experientiam, hoc est nisi per notitiam visivam, quae est principium experientiae.

Et de tali loquitur Philosophus quando dicit: ``Quemadmodum habemus quia est, sic habemus et quid est.

Unde quantum aliquis scit de aliquo tali quid est, tantum scit si est et e converso. Verbi gratia si sit aliquod compositum ex pluribus partibus et per notitiam intuitivam seu visivam in particulari sciatur quod una pars est et non alia, tantum scitur quod illa pars est pars quidditatis et essentiae rei et non alia; quando autem sentiuntur omnes partes rei, tunc scitur perfecte quod res illa est et quid est res illa.

Et si dicatur quod de Deo scimus quod est et tamen nescimus quid est, dicendum est quod nullam propositionem mentalem in qua subicitur terminus omnino simplex et mere absolutus conveniens Deo vel supponens pro Deo possumus pro statu isto habere; quod si possemus, sciremus de Deo quid est si sciremus si est.

Possumus tamen habere propositionem mentalem in qua subicitur terminus communis Deo et aliis, et ideo de aliquo contento possumus scire si est et quid est, et quantum scimus si est tantum scimus quid est et e converso.

Ex quibus patet quod talis propositio nullo modo demonstrari potest, nec a priori nec a posteriori; nisi forte dicatur quod propositio particularis, large sumendo demonstrationem, dicatur posse demonstrari.

Sicut si haec sit nota praedicto modo `omnis albedo est vel esse potest' et arguatur sic `omnis albedo est vel esse potest; aliquis color est albedo; igitur aliquis color est vel esse potest'.

3—2. 26. QUOD PROPOSITIONES DUBITABILES DE INESSE, HABENTES PRO SUBIECTO NOMEN CONNOTATIVUM VEL RESPECTIVUM VEL HUIUSMODI, QUANDOQUE POSSUNT DEMONSTRARI QUANDOQUE NON

Si autem propositio dubitabilis in qua praedicatur esse exsistere per propositionem de inesse vel de possibili habeat pro subiecto nomen connotativum vel respectivum vel negativum vel unum compositum ex multis nominibus, quandoque potest demonstrari, quandoque non.

Talis enim propositio semper aequivalet uni propositioni in qua praedicatur passio de subiecto, saltem large sumendo passionem. Sicut ista proposito `eclipsis est' aequivalet isti `aliquid eclipsatur'; et ista `calefactivum est' aequivalet isti `aliquid est calefactivum'; et ista `habens tres angulos aequales duobus rectis' aequivalet isti `aliquid est habens tres angulos aequales duobus rectis'.

Et ideo sicut dicendum est de propositionibus quibus aequivalent, quod sunt demonstrabiles vel non sunt demonstrabiles, ita dicendum est de istis. Et si, large accipiendo demonstrationem, dicatur quod quaelibet talis habens pro subiecto aliquid communius quam sit subiectum primum talis passionis est syllogizabilis per primum subiectum tamquam per medium, et per consequens demonstrabilis, potest dici quod quaelibet talis est demonstrabilis, saltem large accipiendo demonstrationem.

Si tamen dicatur quod nulla est demonstratio nisi quando maior potest prius tempore cognosci quam conclusio, ita quod maior potest esse nota et conclusio potest ignorari et tamen apprehendi, potest dici quod aliquae tales propositiones sunt demonstrabiles et aliquae non.

Puta, quando passiones sunt demonstrabiles de suis primis subiectis, tunc sunt tales propositiones demonstrabiles, quando autem passiones non sunt demonstrabiles de suis subiectis primis, tunc non sunt demonstrabiles.

Unde ista `calefactivum est vel esse potest' demonstrari non potest, sed tantum scitur per experientiam, sine syllogismo in quo potest maior esse nota et conclusio apprehendi et ignorari.

3—2. 27. UTRUM ESSE REI ET ESSENTIA REI SINT DUO EXTRA ANIMAM DISTINCTA INTER SE

Et quia tactum est de esse exsistere, aliquantulum disgrediendo considerandum est qualiter esse exsistere se habet ad rem: utrum scilicet essentia rei et esse rei sint duo extra animam, distincta inter se.

Et mihi videtur quod non sunt talia duo, nec esse exsistere significat aliquid distinctum a re: quia si sic, aut esset substantia aut accidens. Non accidens, quia tunc esse exsistere hominis esset qualitas vel quantitas; quod est manifeste falsum, sicut inductive patet.

Nec potest dici quod est substantia, quia omnis substantia vel est materia vel forma vel compositum vel substantia abstracta.

Sed manifestum est quod nullum istorum potest dici `esse', si `esse' sit alia res ab entitate rei.

Item, si essent duae res, aut facerent per se unum aut non. Si sic, oporteret quod unum esset actus et reliquum potentia; et per consequens unum esset materia et aliud forma, quod est absurdum.

Si non facerent unum per se, igitur essent unum aggregatione tantum vel facerent unum tantum per accidens, ex quo sequeretur quod unum esset accidens alterius. Item, si essent duae res, non esset contradictio quin Deus conservaret entitatem rei in rerum natura sine exsistentia vel e converso exsistentiam sine entitate, quorum utrumque est impossibile.

Ideo dicendum est quod entitas et exsistentia non sunt duae res, sed ista duo vocabula `res' et `esse' idem et eadem significant sed unum nominaliter et aliud verbaliter; propter quod unum non potest convenienter poni loco alterius, quia non habent eadem officia.

Unde `esse' potest poni inter duos terminos, sic dicendo `homo est animal', non sic est de hoc nomine `res' vel `entitas'. Unde `esse' significat ipsam rem, sed significat causam primam simplicem quando dicitur de ea, non significando ipsam ab alio dependere; quando autem praedicatur de aliis, significat ipsas res dependentes et ordinatas ad causam primam.

Et hoc, quia illae res non sunt res nisi sint sic dependentes et ordinatae ad causam primam, sicut non sunt aliter.

Unde quando homo non dependet ad Deum, sicut tunc non est, ita tunc non est homo. Et ideo non est plus imaginandum quod essentia est indifferens ad esse et non esse quam quod est indifferens ad essentiam et non essentiam, quia sicut essentia potest esse et non esse, ita essentia potest esse essentia et potest non esse essentia.

Et ideo talia argumenta `essentia potest esse et non esse, igitur esse distinguitur ab essentia', `essentia potest esse sub opposito esse, igitur essentia differt ab esse' non valent; sicut nec talia valent `essentia potest non esse essentia et potest esse essentia, igitur essentia differt ab essentia', `essentia potest esse sub opposito essentiae, igitur essentia differt ab essentia'.

Et ideo non plus sunt essentia et esse duae res quam essentia et essentia sunt duae res, et ita esse non est alia res ab entitate rei. Et haec est sententia Lincolniensis, quando dicit II Posteriorum: ``Esse dictum de causa prima non praedicat nisi ipsam essentiam causae primae omnino simplicem; esse dictum vero de aliis non praedicat nisi ordinem et dependentiam eorum ab ente primo quod est per se.

Et haec ordinatio vel dependentia nihil multiplicat in essentia dependente.

Propter hoc sive quaeratur de ente primo sive de re dependente ab ente primo an sit, haec quaestio non ponit in numerum. *Causa autem quare Sancti et alii dicunt Deum esse ipsum esse et non creaturam, est quia*

Deus sic est esse quod non potest non esse, immo necesse est esse, nec ab aliquo alio est; creatura autem sic est esse quod non est necessario esse, sicut nec necessario est res, et ab alio est, sicut ab alio est res effective.

Et ideo non differunt in Deo `quod est' et `quo est', quia non est aliquid aliud a Deo quo Deus est; sed in creatura differunt, quia illud quod est creatura et quo est creatura sunt distincta simpliciter, sicut Deus et creatura differunt.

3—2. 28. QUOMODO TERMINATUR QUAESTIO QUID EST; ET PRIMO DE DEFINITIONE

Viso quomodo terminatur quaestio si est, videndum est quomodo terminatur quaestio quid est. Et hoc est in sciendo quomodo potest evidenter cognosci propositio in qua praedicatur definitio de definito.

Est autem primo sciendum quod definitionum quaedam est definitio exprimens quid nominis et quaedam est definitio exprimens quid rei. Definitio exprimens quid rei est illa definitio quae non est necessaria disputanti scienti significatum vocabuli; sicut ad hoc quod aliquis sciat quid significat hoc nomen `homo', non est necessarium scire quod homo componitur ex tot partibus vel ex talibus partibus. Unde quilibet potest disputare cum alio, quamvis ignoret definitionem exprimentem quid rei, sed ignorata definitione exprimente quid nominis non potest quis cum alio disputare.

Et ideo quando quis addiscit significata vocabulorum, tunc addiscit definitiones exprimentes quid nominis, quamvis non addiscat definitiones exprimentes quid rei. Non est igitur definitio exprimens quid rei necessaria disputanti, quia talis non tantum exprimit quid nomen significat, sed etiam exprimit quid res est.

Talis autem definitio duplex est.

Quaedam enim definitio talis est quae nihil importat extrinsecum rei alio modo quam importat rem vel partem rei. Et talis definitio vocatur definitio propriissime dicta, quae non potest esse nisi substantiarum vel nominum substantiarum, quia talis definitio non potest esse nisi compositorum, tamquam illorum quorum essentia exprimitur per orationem, cuiusmodi composita per se una non sunt nisi substantiae.

Talis definitio est ista `animal rationale'; sit `animal' genus et `rationale' differentia, quia `animal' importat totum hominem et `rationale' importat partem hominis sicut suum abstractum.

Alia est definitio importans quid rei, quae simul cum hoc quod importat rem, importat vel exprimit aliquid quod non est de essentia rei; sicut definitio animae, quae est ista `actus corporis physici organici' etc. importat animam et corpus, quod non est pars animae nec anima.

Et ista vocatur definitio per additamentum. Et tales definitiones importantes quid rei convertuntur cum nominibus mere absolutis affirmativis.

Aliae sunt definitiones importantes quid nominis, quae non sunt nisi orationes exprimentes quid significant nomina. Et tales definitiones propriissime sunt nominum negativorum et connotativorum et respectivorum, sicut ista definitio `habens albedinem' sive `informatum albedine' non exprimit nisi quid significat hoc nomen `album'.

Unde ista definitio est necessaria cuilibet cum alio disputanti.

3–2. 29. DE DEFINITIONE EXPRIMENTE QUID REI, NON DATA PER ADDITAMENTUM

Definitio exprimens quid rei, non data per additamentum, semper continet pro prima parte aliquod genus definiti et pro alia parte vel pro aliis partibus continet differentiam vel differentias essentiales vel aliquos obliquos significantes per se et primo partes rei. Et istae partes sunt diversae; nam genus importat totum, aliae partes significant partes distinctas rei.

Prima pars definitionis, puta genus, nec a priori nec a posteriori potest demonstrari de definito; sicut quod homo sit animal demonstrari non potest, sed propositio talis sine syllogismo accipitur, mediante notitia intuitiva.

Unde istis conceptibus `homo' et `animal' exsistentibus in intellectu et aliquo homine viso statim scitur quod homo est animal. Non quod isti conceptus praecedant notitiam intuitivam hominis, sed iste est processus quod primo homo cognoscitur aliquo sensu particulari, deinde ille idem homo cognoscitur ab intellectu, quo cognito habetur una notitia generalis et communis omni homini.

Et ista cognitio vocatur conceptus, intentio, passio, qui conceptus communis est omni homini; quo exsistente in intellectu statim intellectus scit quod homo est aliquid, sine discursu.

Deinde apprehenso alio animali ab homine vel aliis animalibus, elicitur una notitia generalis omni animali, et illa notitia generalis omni animali vocatur passio seu intentio animae sive conceptus communis omni animali.

Quo exsistente in anima potest intellectus componere istum conceptum cum conceptu priori, quibus compositis ad invicem mediante hoc verbo `est', statim intellectus assentit illi complexo, sine omni syllogismo.

Et ita quaelibet talis propositio in qua praedicatur genus de definito propriissime dicto habetur sine syllogismo. Et hoc est universaliter verum de omni genere respectu speciei quae est mere absoluta, quia talis propositio statim scitur cognitis terminis perfecte.

Sed forte dices quod hic est syllogismus ex prioribus `omne animal est substantia; omnis homo est animal; igitur omnis homo est substantia', igitur hic est demonstratio a priori: Praeterea, secundum dicta, quaelibet talis propositio esset per se nota, quia quaelibet talis propositio cognosceretur cognitis terminis, secundum istum processum.

Et ita ista esset per se nota `homo est animal' et ista `albedo est qualitas', et sic de aliis.

Quod videtur manifeste falsum, cum multae tales sint dubiae multis: Praeterea, viso aliquo a remotis, potest ignorari an sit animal, et possum ulteriori experientia certificari quod est animal; igitur quod homo sit animal, potest demonstrari: Ad primum istorum dicendum est quod non omnis syllogismus ex prioribus est demonstratio, quia non quilibet talis syllogismus facit scire.

Et hoc, quia conclusio non potest esse primo ignota et postea per illum syllogismum, tamquam per causam efficientem et sufficientem, fieri nota, quod tamen requiritur ad demonstrationem, ideo ille syllogismus non est demonstratio.

Ad secundum dicendum quod quaelibet talis propositio mentalis in qua subiciuntur et praedicantur tales conceptus mere absoluti est per se nota, quia statim sciuntur cognitis terminis.

Tamen non quaelibet propositio talis vocalis est per se nota, nam ex quo voces sunt ad placitum, voces mere absolutae possunt imponi eisdem de quibus habemus, vel alii habent, tales conceptus.

Et tunc aliquis, qui talem conceptum mentalem non habet, potest scire significata vocabulorum et simul cum hoc potest nescire eam, eo quod aliquos conceptus mentales non habet; sed habet conceptus mentales plures, quorum aliqui, si componantur ad invicem, totum resultans ex eis erit convertibile cum illa voce.

Et ita talis propositio vocalis non est per se nota, quia non quaelibet notitia qua scitur quid significant termini sufficit ad sciendum talem propositionem. Et sicut illa propositio vocalis non est per se nota, ita illa mentalis quae componitur ex conceptibus compositis non est per se nota, quia potest haberi, quamvis nesciatur.

Unde ego modo de facto scio quid significat hoc nomen `leo' et scio quid significat hoc nomen `animal' et tamen ignoro istam propositionem `leo potest esse animal', quamvis credam eam esse veram.

Et habeo unam propositionem mentalem cuius subiectum est compositum ex multis notitiis incomplexis quarum nulla est simplex et propria leoni; sed propositionem mentalem cuius subiectum sit aliquod simplex mere absolutum proprium leonibus non habeo, quia si talem propositionem mentalem haberem, statim, sine syllogismo, scirem eam.

Sed numquid propositio mentalis in qua subicitur tale compositum et etiam propositio vocalis sunt demonstrabiles, ex quo sunt dubitabiles?

Potest dici quod large accipiendo demonstrationem, tales sunt demonstrabiles. Et hoc, quia conclusio potest esse ignota et dubia et postea, scita propositione maiore in qua praedicatur idem praedicatum de conceptu mentali adquisito per notitiam intuitivam rei et scita minore in qua praedicatur idem conceptus de subiecto conclusionis, potest conclusio fieri nota.

Et ita propositio talis, saltem large accipiendo demonstrationem, potest fieri nota per demonstrationem, ex quo potest concludi syllogismo faciente ipsam conclusionem esse evidenter notam quae prius erat dubia vel apparuit esse falsa.

Ad tertium concedo quod viso aliquo a remotis potest dubitari an sit animal et potest per aliquos effectus fieri notum quod est animal. Et tamen non erit demonstratio, quia demonstratio non est de singularibus, una autem tantum propositio singularis fit ibi nota. Et posito quod demonstratio esset de singularibus, adhuc non esset ibi demonstratio propositionis mentalis, habentis conceptum simplicem et mere absolutum et proprium pro subiecto, sed esset demonstratio propositionis habentis unum conceptum compositum pro subiecto.

Unde de talibus dico, proportionaliter, sicut dixi alias de illa propositione `Deus est', quam format beatus videns essentiam divinam et de ista propositione quam nos habemus modo de facto, quia sicut sunt distinctae propositiones, ita illae propositiones quarum unam posset habere de leone ille qui videt vel vidit intuitive substantiam leonis et illa propositio quam modo de facto habeo de leone sunt distinctae propositiones, et una est demonstrabilis, large accipiendo demonstrationem, et alia nullo modo est demonstrabilis.

Similiter illa propositio quam format caecus a nativitate de coloribus, dicendo quod albedo est color, est distincta propositio ab illa quam ego formo in mente, dicendo quod albedo est color; et una est simpliciter indemonstrabilis et alia forte est demonstrabilis, large accipiendo demonstrationem.

3–2. 30. QUALITER PROPOSITIO IN QUA PRAEDICATUR DIFFERENTIA DE SPECIE ABSOLUTA DEMONSTRARI POTEST

Quamvis propositio in qua praedicatur genus absolutum de specie mere absoluta composita ex conceptibus simplicibus demonstrari non possit nec a priori nec a posteriori, tamen propositio in qua praedicatur differentia de specie tali a posteriori demonstrari potest.

Nam differentia, sicut dictum est prius, importat unam partem in obliquo et ideo quia per effectus demonstrari potest talem rem habere talem partem, ideo per effectus demonstrari potest differentia talis de specie tali.

Verbi gratia si aliquis habeat notitiam propriam animae sensitivae et per consequens sciat quid significat hoc vocabulum `sensitivum' et videat aliquod corpus cuius habeat notitiam simplicem et propriam talibus corporibus, et tamen ignoret an habeat animam sensitivam, iste per aliquos effectus competentes cuilibet tali corpori potest demonstrative probare quod omne tale corpus habet animam sensitivam et per consequens quod est sensitivum.

Et per talem modum probavit Aristoteles per transmutationem et motum quod in istis generabilibus et corruptibilibus est materia distincta a forma et per consequens quod sunt materialia, cum tamen `materiale' sit differentia essentialis eorum.

Per talem etiam modum potest demonstrative probari quod in homine sunt plures formae, si in eo sint plures formae; quamvis forte hoc non sit facile multis, immo forte quamvis de multis nulli sit hoc possibile pro statu isto.

Oportet tamen scire quod propositio in qua praedicatur differentia de notitia distincta et perfecta, quando scilicet nihil cogniti latet cognoscentem, nullo modo est demonstrabilis, quia forte talis notitia est notitia definitiva.

Sed quidquid sit de hoc, dico quod de talibus conceptibus specificis substantiarum, quales nos de facto habemus, potest differentia demonstrari a posteriori, licet non a priori. Quod saltem verum est quod differentia non potest demonstrari a priori de specie cui primo competit, sive possit demonstrari per medium sumptum a causa extrinseca de aliquo contento sub specie prima sive non.

Et illud quod dictum est de differentia quae praedicatur in recto de specie intelligendum est de illis quae praedicantur in obliquo de specie et significant partes essentiales rei. Unde sicut a posteriori demonstrari potest quod animal est materiale, ita a posteriori demonstrari potest quod animal componitur ex materia.

Et ita de aliis, proportionaliter, est dicendum.

3–2. 31. QUOD DEFINITIO NON POTEST A PRIORI DEMONSTRARI DE DEFINITO

Ex praedictis patere potest quod definitio non potest a priori demonstrari de specie definita. Definitio enim de nullo potest prius et notius praedicari quam de definito, et per consequens per nullum medium potest demonstrari de definito a priori. Nec etiam potest talis definitio demonstrari a posteriori de specie qui sit conceptus mentis simplex et proprius praecise significatus per speciem, quia quamvis una pars talis definitionis esset demonstrabilis a posteriori de subiecto, tamen alia pars non est demonstrabilis de tali subiecto, nec a priori nec a posteriori. Verumtamen de subiecto, quale nos habemus de facto, non est forte inconveniens definitionem posse demonstrari, saltem large accipiendo demonstrationem. Et per istum varium modum probandi definitionem de definito et varium modum demonstrandi possunt exponi multae auctoritates Aristotelis, quae videntur tam inter se quam praedictis repugnare. Quandoque enim loquitur de uno modo demonstrandi, quandoque de alio; et similiter, quandoque loquitur de praedicatione definitionis de definito simplici et proprio, quandoque de praedicatione definitionis de definito composito, proprio tamen. Est igitur duplex modus deveniendi in talem definitionem.

Unus est per notitiam intuitivam partium rei. Qui enim intuitive cognosceret partes rei, statim posset formare conceptus demonstrabiles, importantes illas partes in obliquo et importantes totum in recto.

Sed adhuc non est necesse quod habeat definitionem, quia deficeret sibi genus, quod non potest haberi vel saltem non semper potest haberi nisi per notitiam intuitivam alicuius singularis alterius speciei vel aliquorum singularium diversarum specierum, quo habito potest intellectus istum conceptum praeponere aliis conceptibus demonstrabilibus, et sic habetur definitio.

Et si praedicetur de definito, erit illa propositio evidens sine omni syllogismo, et ita indemonstrabilis erit.

Si autem partes rei non omnes intuitive videantur, sed totum videatur intuitive, non tamen talis videns possit discernere inter omnes partes totius, — si tamen hoc sit possibile —, tunc illa pars quae est genus accipitur per notitiam illam et per notitiam alterius vel aliorum singularium. Alii autem conceptus demonstrabiles a posteriori concluduntur de definito. Et ita accipitur definitio sic quod una pars per notitiam intuitivam et aliae per effectus; et tunc, istis habitis, est talis propositio nota in qua praedicatur definitio de definito. Nec istud negat Aristoteles; sed intendit Aristoteles principaliter probare quod per nullum syllogismum a priori potest fieri evidenter notum quod talis definitio praedicatur de definito et quod sufficienter exprimit essentiam definiti.

Hoc idem intendit Lincolniensis, quando dicit: ``Demonstratio, quae concludit definitionem de definito, non facit nos cognoscere orationem definitivam secundum quod ipsa est definitiva, explicans quid est res, sed facit nos cognoscere solum ipsam orationem definitivam in quantum ipsa est praedicativa, dicens quoniam hoc est hoc*; quamvis Lincolniensis de tali definitione non intelligat, sed de alia, de qua dicetur inferius.*

Sic igitur apparet per quem modum pars definitionis scitur de definito et per quem modum definitio scitur de definito. Et ad istum processum multum faciunt regulae datae in VII Topicorum.

Per istud tamen non habetur ars definiendi, sed ars definiendi accipitur per divisionem. Unde quamvis aliquis sciat evidenter omnes propositiones in quibus praedicantur partes definitionis de definito, si tamen nesciat illas partes in una oratione recto ordine ordinare, nescit definire nec habebit definitionem.

Unde qui sic ordinaret partes definitionis hominis `rationale animal mortale', non haberet definitionem.

Est igitur ars definiendi illa per quam partes definitionis debite ordinantur. Et hoc est per divisionem: ut primo ponatur genus, deinde dividatur illud genus et accipiatur illa differentia quae scitur competere definito, quamvis hoc non sciatur per divisionem sed aliquo praedictorum modorum, de quibus dictum est prius.

Deinde adhuc subdividatur; et sic procedendo et addendo, quousque perveniatur ad orationem convertibilem. Duobus autem modis contingit sic procedere divisive: uno modo, ut primo dividatur genus; secundo, accepta differentia quae competit definito, dividatur illa differentia vel genus convertibile cum illa differentia.

Deinde dividatur alia differentia vel aliud genus, ita quod semper sicut divisiones sunt diversae ita divisa sunt diversa. Sicut supposito quod homo sit substantia et homo debeat definiri, dividatur substantia per corporeum et incorporeum et addatur `corporeum' substantiae et dicatur sic `substantia corporea'.

Deinde dividatur hoc totum `substantia corporea' vel `corporeum' vel hoc genus `corpus', sic `corpus aliud animatum, aliud inanimatum' et addatur ista differentia `animatum' substantiae, sic dicendo `substantia corporea animata'.

Deinde dividatur corpus animatum, sic `aliud sensibile, aliud insensibile' et addatur `sensibile' toti orationi praecedenti.

Deinde dividatur `animal', quod est genus convertibile cum sensibili, sic `aliud rationale, aliud irrationale' et addatur haec differentia `rationale', et tunc habetur ista definitio hominis `substantia corporea animata sensibilis rationalis'.

Aliter contingit per divisionem procedere, ut semper idem dividatur et non diversum. Sicut si debeat definiri ternarius et accipiatur primo genus ternarii, puta numerus, et dividatur numerus primo sic `numerus alius par, alius impar' et addatur ista differentia `impar' isti generi `numerus', sic `numerus impar'. Deinde dividatur idem genus, scilicet numerus et non hoc totum `numerus impar', nec aliquod convertibile, sic `numerus alius utrobique primus, alius non utrobique primus' et

addatur ista differentia `utrobique primus' isti toti `numerus impar', et habetur ista oratio `numerus impar utrobique primus', quae est convertibilis cum ternario.

Sic igitur patet quod duobus modis contingit definitionem per divisionem accipere. In primo processu non solum tota oratio est convertibilis cum definito sed etiam ultima differentia est convertibilis cum definito, et de tali modo accipiendi definitionem loquitur Aristoteles VII Metaphysicae. In secundo processu nulla pars definitionis est convertibilis cum definito, sed quaelibet erit in plus et tota oratio erit convertibilis. Hoc tamen generale est quod nihil scitur de definito per divisionem, nisi dicas quod tota oratio nunc scitur de definito per divisionem propter hoc quod primus intellectus non componit talem propositionem, sed quidquid scitur de definito, scitur per aliam viam. Hoc tamen habetur in fine quod scitur quod haec oratio est definito talis definiti, non tamen per hoc scitur quod haec definitio significative sumpta praedicatur de definito significative sumpto. Et hoc vult Aristoteles quando probat quod per divisionem non syllogizatur nec demonstratur definitio de definito in quantum explicans quid est definitum, secundum quod eum exponit Lincolniensis.

Unde per artem definiendi non cognoscitur definitio de definito significative sumpto, in quantum scilicet explicat quid est res, sed hoc potest praecedere artem definiendi. Sed per artem definiendi partes definitionis debite ordinantur, et per hoc scitur quod talis oratio est definitio talis definiti.

Et hoc intendit Lincolniensis quando dicit: ``Methodus definitiva concludit orationes tales `animal rationale mortale est definitio hominis'. Et haec est oratio composita ex secundis intentionibus.

Et non est haec oratio omnino definitiva, solum explicans quid est homo, sed est oratio praedicativa huius secundae intentionis `definitio' de hac definitione `animal rationale mortale'".

Propter quod Aristoteles et Lincolniensis volunt quod numquam potest definitio demonstrari de definito per definitionem definitionis, quia per tale medium non potest demonstrari definitio de definito significative sumpto, sed semper praecise de ipsa definitione supponente pro se et non pro suo significato.

3–2. 32. DE DEFINITIONE DATA PER ADDITAMENTUM: QUOMODO SCITUR DE DEFINITO?

Definitio data per additamentum non solum explicat essentiam rei, sed etiam simul cum hoc explicat aliquid aliud a re, et hoc vel affirmative vel negative.

Et ideo talis definitio non solum componitur ex aliquo praedicabili per se primo modo, sed etiam componitur ex aliquibus praedicabilibus secundo modo, quae sunt passiones definiti. Et ideo ad sciendum quomodo talis definitio scitur de definito, videndum est quomodo diversae partes diversimode sciuntur de eodem.

Unde illa pars quae explicat essentiam rei, quae est genus, non potest sciri de definito per syllogismum sed per notitiam intuitivam alicuius rei tantum, sicut dictum est prius. Aliae autem partes definitionis diversimode sciuntur de diversis definitis, secundum quod diversae passiones diversimode sciuntur de diversis subiectis.

Sicut enim quaedam passiones demonstrantur de subiectis et quaedam non possunt demonstrari de subiectis suis primis, sed tantum possunt per experientiam sciri de subiectis, ita quaedam partes talis definitionis possunt demonstrative probari de definitis et quaedam non possunt demonstrari de eis; et sicut quaedam passiones possunt probari a priori de subiectis et quaedam a posteriori, ita quaedam partes talis definitionis possunt probari de definitis a priori et quaedam a posteriori.

Verbi gratia, si haec sit definitio albedinis `color disgregativus visus', prima particula, quae est genus albedinis, nullo modo potest demonstrari de albedine, sed tantum potest fieri evidenter nota per notitiam intuitivam et non per syllogismum; secunda autem particula tantum potest fieri nota per experientiam.

Si enim nullus experiretur albedinem disgregare visum, nullus sciret an albedo esset disgregativa visus. Similiter, si haec sit definitio angeli `substantia incorruptibilis', prima pars non potest demonstrari de angelo; secunda posset aliquo modo demonstrari, sic `omne carens parte sive omne simplex est incorruptibile; angelus est simplex; igitur angelus est incorruptibilis', vocando `incorruptibile' illud quod non potest desinere esse per separationem unius partis ab alia.

Constat itaque ex praedictis quod nulla definitio alicuius mere absoluti, affirmativi et simplicis potest de definito demonstrari, quia semper una pars est indemonstrabilis de definito tali.

3–2. 33. DE DEFINITIS CONNOTATIVIS: QUOMODO DEFINIUNTUR?

Non solum autem definita absoluta definiuntur, sed etiam definita connotativa definiuntur. Et illa sunt in duplici differentia: quaedam enim sunt talia de quibus significative sumptis impossibiliter praedicatur esse, cuiusmodi sunt `chimaera', `hircocervus', `vacuum', `corpus infinitum' et huiusmodi. Alia sunt de quibus non impossibiliter praedicatur esse, cuiusmodi sunt `album', `nigrum', `risibile', `calefactivum', `creativum' et huiusmodi.

Prima habent praecise definitiones exprimentes quid nominis et nullo modo exprimentes quid rei; sicut `chimaera' habet definitionem exprimentem quid hoc nomen `chimaera' significat, sed non habet definitionem exprimentem quid est illa res quae est chimaera, quia nulla talis res est nec esse potest.

Alia autem connotativa, hoc est illa quae significant diversa vel idem diversimode, hoc est affirmative vel negative vel in recto vel in obliquo vel aliquibus talibus modis diversis, possunt habere duplicem definitionem: scilicet unam quae exprimit quid nominis tantum, et illa est propriissima definitio talis definiti, propter

quod vocatur a nonnullis definitio formalis et definitio secundum speciem; aliam, exprimentem quid rei, habet, quae non est propriissima definitio talis definiti.

Propter quod frequenter dixi quod tale connotativum non habet definitionem nisi exprimentem quid nominis tantum et non definitionem exprimentem quid rei, quia talis oratio non est propriissima definitio talis definiti; immo, forte non est proprie definitio sua, et propter hoc talis definitio vocatur ab aliquibus definitio materialis.

Verbi gratia hoc nomen `serra' potest dupliciter definiri. Uno modo sic `serra est aliquid quo possumus ligna dividere'. Sit ita quod haec sit definitio sua exprimens quid debemus intelligere per hoc nomen

'serra'; ita quod si sit aliquid cui non convenit haec oratio, eo ipso non significatur hoc nomine, saltem in recto. Ista oratione nota de hoc definito `serra' possum ignorare an serra sit aer vel aqua, lignum vel lapis, caro vel os, et ita ignoro qualis res est serra et nescio quid est serra.

Et ideo definitio exprimens illas res quibus, et non aliis, potest competere haec oratio `aliquid quo possumus dividere ligna', erit oratio exprimens quid est serra, puta quod sit tale ferrum quo possumus dividere ligna.

Quae tamen non est definitio proprie dicta, quamvis exprimat quid est serra, hoc est, quamvis exprimat quae res est serra; et hoc quia si esset aliquid aliud a ferro quo possemus dividere ligna, illud esset serra, et tamen non esset ferrum quo possemus dividere ligna.

Istae autem duae definitiones serrae — si sint definitiones; quia exempla ponimus, non ut ita sint, sed ut sentiant qui addiscunt — sic se habent quod quidquid significatur per definitionem secundam, significatur etiam per definitionem primam, quamvis generalius.

Et ita est frequenter quod talium orationum, quarum una est definitio exprimens quid nominis et alia exprimens quid rei, una accipit pro prima parte aliquid communius et alia accipit pro prima parte aliquid inferius ad illud commune, et ceterae partes sunt eadem in utraque oratione. Verumtamen praeter definitionem exprimentem quid nominis possunt dari aliae definitiones exprimentes alias causas; puta, si in definitione exprimente quid nominis ponatur causa finalis, possunt dari aliae definitiones accipientes alias causas, quae non erunt definitiones exprimentes quid nominis nec erunt definitiones exprimentes quid rei, proprie loquendo de definitione exprimente quid rei. Oportet tamen quod semper vel frequenter quando dantur diversae definitiones per diversas causas, hoc est per diversa nomina exprimentia diversas causas, et una illarum est definitio exprimens quid nominis, in illa ponatur nomen indicans causam finalem et non in aliis, quamvis forte aliquando sit e converso.

3–2. 34. QUOMODO DEFINITIONES CONNOTATIVORUM POSSUNT COGNOSCI DE DEFINITIS?

Declarata praemissa divisione definitionum connotativorum, videndum est quomodo istae definitiones possunt cognosci de definitis.

Et est dicendum quod generaliter definitio exprimens quid nominis non potest demonstrari de definito, sed ista praesupponitur omni demonstrationi et omni syllogismo. Et si talis definitio sit definitio vocalis vel signum ad placitum institutum, tantum scitur per doctrinam, in addiscendo scilicet ab aliis loquentibus significata vocabulorum vel instituendo talia signa ad significandum.

Et ideo de tali definitione non est magna difficultas, quamvis propter ignorantiam talium definitionum innumerae difficultates et infinita opinionum contrarietas tam in philosophia quam in theologia consurgant.

Sed de alia definitione est maior difficultas. Et est sciendum quod tales definitiones possunt esse diversae. Quandoque enim praeter definitionem exprimentem quid nominis potest a qualibet causa sumi definitio, si ibi sint quatuor causae, et si sint ibi tantum causa finalis et efficiens, potest ab utraque illarum sumi definitio. Et illae definitiones quae sumuntur a causa finali et formali vocantur definitiones formales, illae autem quae sumuntur a causa efficiente et materiali vocantur definitiones materiales.

Et sic se habent quod definitio materialis potest demonstrari quandoque per definitionem formalem. Verbi gratia praesupponatur significatum vocabuli istius termini `domus', et per consequens praesupponatur definitio exprimens quid nominis; qua nota, adquiratur sine demonstratione definitio sumpta a causa finali domus, ut sciatur quod `domus est cooperimentum prohibens nos a frigore, ventis, pluvia et caumatibus'.

Quo facto potest demonstrari quod domus componitur ex lignis, lapidibus, et sic de aliis, per tale argumentum `omne prohibens a frigore, pluvia etc. componitur ex lignis etc.', — quae ex hoc scitur quod talia possunt resistere pluviae etc. —; `sed domus est cooperimentum prohibens nos etc.; ergo domus componitur ex talibus'.

Ista conclusio ignota fit nota non per experientiam sed per propositiones notas, dispositas in modo et in figura, et ita una definitio demonstratur per aliam de definito. Sed hoc numquam verum est nisi quando definitum est connotativum, cuiusmodi sunt omnia nomina artificialium.

Et similiter si ista oratio `syllogismus faciens scire' non esset definitio indicans quid nominis demonstrationis, per istam definitionem sumptam a causa finali demonstrationis posset demonstrari ista definitio ` <demonstratio est> ex primis et veris et immediatis'.

Et ideo quia auctores aliquando utuntur hoc nomine `demonstratio' non tamquam nomine connotativo, dicunt quod Aristoteles per unam definitionem demonstrationis demonstrat aliam de demonstratione.

Ex praedictis patet quod praeter definitionem exprimentem quid nominis possunt eiusdem passionis et eiusdem nominis esse plures definitiones, quarum una est indemonstrabilis et alia demonstrabilis.

Propter quod ex omni tali demonstratione potest elici definitio et ex omni tali definitione potest haberi demonstratio. Sed praeter istas definitiones est una definitio complectens utramque, quae non differt a demonstratione nisi situ.

Verbi gratia sit haec demonstratio `omne cooperimentum prohibens nos a pluvia et ventis etc. componitur ex lignis, lapidibus etc.; domus est cooperimentum prohibens etc.; ergo domus componitur ex talibus'.

In ista demonstratione ponuntur duae definitiones, quarum una est medium et alia est praedicatum conclusionis, quae coniungantur ad invicem sic `domus est quoddam cooperimentum compositum ex lignis et lapidibus, prohibens nos a pluvia, frigore etc.'.

Patet quod quidquid ponitur in demonstratione, ponitur in hac definitione, sed diverso ordine. Nam in demonstratione praeponitur definitio sumpta a fine, in ista autem definitione completa praeponitur definitio sumpta a partibus domus.

Oportet autem scire quod quando duae definitiones coniunguntur ad invicem ut faciant definitionem unam completam, non sunt secundum se totas coniungendae, quia tunc in illa tota definitione esset nugatio; sed posita una definitione, coniungenda est tota alia praeter illud quod iam acceptum est, sicut patere potest in praedicta definitione domus.

Sciendum est etiam quod in hac parte non tantum vocatur `materia' vel `causa materialis' aliqua pars distincta realiter a forma et componens cum ea ipsam recipiendo, sed causa materialis vocatur hic pars integralis rei, quo modo ligna et lapides vocantur materia domus et duae praemissae et conclusio vocantur materia syllogismi vel demonstrationis.

3–2. 35. QUOMODO TERMINATUR QUAESTIO `QUIA EST' ET QUOMODO PROPOSITIO PER SE SECUNDO MODO, DUBITABILIS TAMEN, POTEST EVIDENTER COGNOSCI?

Ostenso quomodo terminatur quaestio `si est' et quomodo terminatur quaestio `quid est', videndum est quomodo terminatur quaestio `quia est'; et hoc est in sciendo quomodo propositio per se secundo modo, dubitabilis, potest evidenter cognosci.

Et est primo sciendum quod quandoque passio praedicatur de subiecto suo primo sine omni determinatione, specificatione seu modificatione; quandoque praedicatur de subiecto suo primo cum aliqua determinatione seu modificatione; quandoque praedicatur de inferiori ad subiectum suum primum; quandoque de superiori; et quandoque praedicatur de concreto sui primi subiecti; vel de aliquo de quo dicitur illud concretum.

Exemplum primi `omnis triangulus habet tres' etc.; exemplum secundi `quandocumque luna est in tali situ, tunc eclipsatur'; exemplum tertii `omnis isosceles habet tres angulos' etc.; exemplum quarti `aliqua figura habet tres angulos' etc.; exemplum quinti `omne calidum est calefactivum', si calor sit primum subiectum calefactivum; exemplum sexti `omnis ignis est calefactivus'. Primo autem videndum est quomodo propositio dubitabilis, in qua praedicatur passio de subiecto suo primo sine omni determinatione extremi vel compositionis, potest cognosci evidenter. Et primo supposita definitione huius nominis `passio', quae posita est supra, videndum est quomodo potest evidenter cognosci propositio in qua praedicatur passio importans praecise illud idem in recto quod importat subiectum et aliquam formam inhaerentem sibi in obliquo; de qua dico quod nullo modo potest demonstrari de subiecto suo primo sine omni determinatione.

Sicut si ista propositio sit primo vera `omne corpus est colorabile', ista nullo modo potest demonstrari, quia si posset demonstrari, oporteret quod `colorabile' alicui primo inesset, per cuius notitiam posset intellectus devenire in notitiam istius propositionis.

Sed hoc non est verum: quia si sic, cum talis propositio non posset esse nisi universalis affirmativa, oporteret quod hoc praedicatum `colorabile' prius et notius competeret alicui alteri subiecto.

Et tunc vel definitioni subiecti vel alicui alteri. Non alteri a definitione, manifestum est; nec ipsi definitioni, quia numquam potest talis propositio in qua `colorabile' praedicatur de definitione corporis evidenter cognosci nisi per experientiam cognoscatur quod omne corpus est colorabile, et per consequens una non potest dici medium demonstrandi aliam. Dicendum est ergo quod omnes tales propositiones `omne corpus est colorabile', `aqua est calefactibilis' et huiusmodi, si sint primae, non sunt demonstrabiles, sed tantum per experientiam adquiritur evidens earum notitia, sicut inductive patet. Et si dicatur quod omnis effectus potest demonstrari per suam causam, respondendum est quod quamvis omnis passio, importans effectum alicuius causae inhaerentem alteri cum alio cointellecto, sit demonstrabilis per medium importans illam causam, tamen non est demonstrabilis talis passio sine determinatione sumpta de quolibet subiecto, nec est demonstrabilis de aliquo subiecto quocumque modo.

Verbi gratia sit `colorabile' passio ipsius corporis tamquam subiecti primi et sint qualitates primae causae colorum inhaerentium corporibus. Istis positis ista non

potest demonstrari `omne corpus est colorabile', sed prima notitia ipsius accipietur per sensum et experientiam.

Ex hoc enim quod videmus corpus colorari accipimus quod omne corpus est colorabile; et ultra, ex hoc quod videmus quod tale corpus ad praesentiam ignis vel solis habet talem colorem et ad praesentiam aliorum corporum habentium alias qualitates habet alium colorem, et sic de aliis, accipimus per experientiam quod tales qualitates sunt causae talium colorum, et ita possunt esse principia rectificantia aliquas demonstrationes, quas tamen non intrant.

Unde arguitur sic `omne corpus approximabile in tali distantia igni est colorabile ab illo; lapis est huiusmodi; ergo lapis est colorabilis ab igne'. Et per talem modum contingit demonstrare per omne genus causae.

Cum hoc tamen stat quod talis passio, quae praecise importat idem in recto quod importat subiectum et formam inhaerentem sibi in obliquo, non sit demonstrabilis de subiecto suo primo sine omni addito.

3–2. 36. QUOMODO PASSIO EST DEMONSTRABILIS DE SUBIECTO SUO PRIMO MEDIANTE ALIQUA DETERMINATIONE?

Quamvis autem passio talis non possit demonstrari de subiecto suo primo sine omni additione, specificatione, modificatione vel determinatione, poterit tamen demonstrari de subiecto suo primo mediante aliqua determinatione.

Sicut si `illuminabile' sit prima passio lunae, quamvis haec non possit demonstrari `luna est illuminabilis', haec tamen poterit demonstrari `si luna sit in tali situ, luna erit actu illuminata a sole'; et arguitur sic `quando inter lunam et solem nullum est medium opacum, luna erit illuminata a sole; sed quando luna est in tali situ, nullum erit medium inter lunam et solem; igitur tunc luna erit illuminata'.

Et talis demonstratio rectificabitur per illud principium `luna est illuminabilis a sole', quae per solam experientiam sciri potest si `illuminabile' sit passio lunae tamquam primi subiecti.

Et tamen illud principium demonstrationem non intrabit. Et sicut talis passio potest demonstrari de subiecto suo primo cum tali determinatione, ita potest demonstrari de inferioribus ad suum subiectum primum.

Et per consimilem modum contingit demonstrare per omnes causas, secundum quod docet

Aristoteles II Posteriorum, et aliqualiter patebit inferius.

3–2. 37. QUOMODO PASSIO POTEST DEMONSTRARI DE INFERIORIBUS AD SUUM SUBIECTUM PRIMUM SINE OMNI DETERMINATIONE?

Et ista passio, licet non possit demonstrari de subiecto suo primo sine omni determinatione, potest tamen demonstrari de inferioribus ad subiectum suum primum sine omni determinatione.

Quando enim utraque praemissarum potest esse evidenter nota ante conclusionem, et ipsis notis potest accipi evidens notitia conclusionis, tunc potest talis conclusio per illas praemissas demonstrari, quod de tali conclusione potest accidere.

Potest enim evidenter sciri quod omne corpus est alterarabile, quamvis nesciatur quod omnis leo est alterabilis; et similiter potest evidenter sciri quod omnis leo est corpus, non obstante quod nesciatur quod omnis leo est alterabilis.

Et tamen istis praemissis notis potest fieri nota ista conclusio `omnis leo est alterabilis', quamvis prius fuerit ignota, et ideo ista conclusio per istas praemissas est demonstrabilis. Et in tali demonstratione non erit medium neque definitio subiecti neque definitio passionis, sed primum subiectum talis passionis erit medium demonstrandi passionem de qualibet specie inferiori.

Et per talem modum possunt multae passiones de Deo demonstrari. Unde haec potest esse demonstratio `omne ens est unum; Deus est ens; ergo Deus est unus'.

Et sic de consimilibus; quamvis talis passio quae importat illud idem quod subiectum in recto et rem inhaerentem sibi in obliquo non possit Deo competere, eo quod nulla res Deo inhaeret, quamvis multae aliae passiones sint Deo attribuendae.

3–2. 38. DE PASSIONE IMPORTANTE IDEM IN RECTO QUOD SIGNIFICAT SUUM SUBIECTUM ET IN OBLIQUO REM ALIAM: QUOMODO DEMONSTRATUR DE SUO SUBIECTO?

Sicut dictum est de passione quae importat in recto illud idem quod significat suum subiectum et in obliquo rem inhaerentem illi, quod non potest demonstrari de subiecto suo primo sine omni determinatione addita, et tamen cum determinatione addita potest demonstrari de suo subiecto primo, et absolute, sine omni determinatione, potest demonstrari de inferioribus ad subiectum primum per illud subiectum primum tamquam per medium, ita dicendum est, proportionaliter, de passione importante idem in recto quod significat suum subiectum et in obliquo rem aliam, quae est effectus vel causa, vel aliam attributionem habens ad rem importatam per subiectum suum primum: quia talis passio sine omni determinatione de subiecto suo primo demonstrari non potest.

Sed talis propositio praecise potest evidenter sciri per experientiam, sive experientia accipiatur per notitiam intuitivam sensitivam sive per notitiam intuitivam intellectivam tantum.

Unde ista `calor est calefactivus' nullo modo potest per syllogismum demonstrari, sed eius notitia prima per experientiam capietur. Nisi enim aliquis experiretur quod ad praesentiam caloris sequitur calor in alio, numquam plus sciret quod calor est productivus caloris quam quod albedo est productiva albedinis.

Et similiter tales `anima est susceptibilis disciplinae', `anima est beatificabilis', `anima est peccabilis' et huiusmodi demonstrari non possunt. Et ita tales passiones de suis subiectis primis demonstrari non possunt sine omni determinatione addita.

Tamen cum determinatione addita possunt demonstrari, sicut demonstrari potest quod calor approximatus ligno calefacit ipsum si non impediatur.

Et consimiliter est de aliis. Possunt etiam demonstrari de multis inferioribus, saltem de illis quae non oportet praescire ante cognitionem universalis.

Quamvis autem non possint demonstrari de subiectis suis primis, tamen quando subiectum primum alicuius passionis talis est nomen formae informantis reliquum, tunc possunt demonstrari de illo de quo primo praedicatur concretum illius subiecti.

Verbi gratia, sit calefactivum prima passio caloris et sit ignis illud de quo primo praedicatur calidum, quod est concretum caloris, ita quod nihil sit nec esse possit calidum nisi ignis. Quo posito dico quod de igne potest demonstrari `calefactivum' per concretum caloris tamquam per medium, sic arguendo `omne calidum est calefactivum; omnis ignis est calidus; ergo omnis ignis est calefactivus'.

In isto enim syllogismo maior est prior et notior conclusione, eo quod per medium terminum exprimitur in obliquo illud quod importatur per subiectum primum `calefactivum', non sic per subiectum conclusionis.

Similiter minor est notior, quia posset esse nota etiam tempore ante conclusionem.

Oportet autem scire quod talis passio, quae primo competit nomini formae, quandoque praedicatur de toto composito ex forma et subiecto et quandoque de subiecto, sicut `esse susceptibile disciplinae' praedicatur de anima intellectiva et de toto composito ex corpore et anima intellectiva, puta de homine; sed `calefactivum' praedicatur de igne qui non componitur ex subiecto caloris et ex calore, et forte quandoque praedicatur de utroque vel de nomine utriusque.

Quando autem talis passio praedicatur de toto sive de nomine totius, tunc debet demonstrari de illo per concretum significans totum in recto et formam in obliquo. Sicut esse susceptibile disciplinae debet demonstrari de homine per `animatum',

quod debet significare hominem in recto et animam in obliquo, sic arguendo `omne animatum anima rationali est susceptibile disciplinae; omnis homo est huiusmodi; igitur omnis homo est susceptibilis disciplinae'.

Quando autem illa passio non praedicatur de toto sed de subiecto, tunc debet fieri demonstratio per concretum importans subiectum in recto et formam in obliquo, sicut exemplificatum est de calefactivo.

Et quod dictum est de passione competenti primo nomini formae, idem, proportionaliter, dicendum est de passione competenti primo nomini materiae vel subiecti, quia per concretum illius potest fieri demonstratio de nomine totius tamquam per medium.

Et sicut tales passiones possunt demonstrari de illis de quibus praedicantur concreta quae praecise important totum vel subiecta formarum talium, ita possunt tales passiones demonstrative probari de conceptibus compositis vel connotativis, de quibus necessario praedicantur prima subiecta, si possint tales propositiones esse dubiae.

Propter quod de illo subiecto quod nos habemus pro statu isto de Deo possunt demonstrative probari tales passiones `creativum', `immortale', `aeternum' et huiusmodi, et erit medium talium demonstrationum signum simplex et proprium et absolutum Dei, quale medium nos pro statu isto habere non possumus, propter quod nec tales demonstrationes sunt nobis possibiles.

Si tamen beatus, qui primo in via dubitavit istam `Deus est creativus' vel istam `Deus est' vel aliam consimilem, retineat easdem cognitiones et apprehensiones quas prius et formet unam propositionem in qua idem sit praedicatum quod in ista quam nos habemus `Deus est creativus' et subiectum sit aliqua cognitio absoluta, simplex et propria Deo, et illud idem subiectum praedicet de isto subiecto nostrae propositionis `Deus est creativus', dico quod concludet istam conclusionem quam nos habemus `Deus est creativus'.

Et erit iste syllogismus sibi demonstrativus, quia per praemissas evidenter sibi notas adquiret notitiam conclusionis prius sibi dubiae.

3–2. 39. QUOMODO PER OMNES CAUSAS CONTINGIT DEMONSTRARE?

Ex praedictis poterit apparere quomodo contingit demonstrare per omnes causas, hoc est per nomina vel signa omnium causarum.

Per causam enim materialem contingit demonstrare, ponendo concretum pro medio quod significat subiectum alicuius accidentis, sicut prius exemplificatum est.

Et similiter contingit per causam formalem. Per causam etiam efficientem contingit demonstrare, explicando in medio causam efficientem alterius, sic `omne corpus mixtum approximabile igni est calefactibile; lignum est huiusmodi; ergo etc.'. Similiter per causam finalem, sic `omnis habens cibos non supereminentes in ore stomachi est sanus; omnis ambulans post cenam habet cibos non supereminentes in ore stomachi; igitur omnis ambulans post cenam est sanus'. Ex quo ulterius patet quod, cum quandoque eiusdem rei sint plures causae, non est inconveniens quod eadem conclusio per diversa media demonstretur; et quamvis ita sit, tamen cum hoc stat quod passio prima altero istorum modorum non potest demonstrari de subiecto suo primo sine omni determinatione addita.

Et est sciendum quod praedicta exempla, sicut multa alia, non sunt adducta ut syllogismi illi sint verae demonstrationes, sed gratia exempli tantum.

3–2. 40. DE PASSIONIBUS QUAE SIGNIFICANT IN OBLIQUO PARTEM ILLIUS QUOD SIGNIFICATUR PER SUBIECTUM.

Dicto de passionibus importantibus praecise illud quod significatur per subiectum in recto et alias res inhaerentes in obliquo, videndum est de aliis passionibus quae significant in obliquo partes illius quod significatur per subiectum.

De quibus dicendum est quod saltem multae illarum, vel forte omnes, possunt de subiectis suis primis demonstrari, et hoc per definitionem subiecti tamquam per medium, nam tales passiones possunt de subiectis suis dubitari, sicut inductive patet.

Et quamvis sic dubitentur, tamen si natura rei importatae per subiectum perfecte et distincte cognoscatur una cum aliis requisitis, possunt tales passiones de suis subiectis notificari.

Tales autem passiones sunt huiusmodi `corruptibile', `generabile', `habere tres angulos aequales duobus rectis', et fere omnes passiones mathematicae sunt huiusmodi, propter quod fere omnes passiones mathematicae possunt de subiectis suis primis demonstrari.

Et multae etiam passiones naturales sunt huiusmodi.

Unde haec passio `corruptibile', si debeat definiri definitione exprimente quid nominis, talis definitio debet ei assignari `aliquid cuius una pars potest ab alia separari'. Et patet quod per istam definitionem exprimitur pars in obliquo. Et potest talis passio demonstrari, nam possibile est quod nesciatur de primo subiecto passionis quod significat aliquod compositum ex pluribus partibus: propter quod potest dubitari an talis passio praedicetur de subiecto illo, quamvis sciatur evidenter talis condicionalis `si aliquid est compositum ex pluribus partibus, una pars potest ab alia separari et per consequens est corruptibile'; et postea sciatur evidenter, vel per experientiam vel per alium modum, definitio de definito, et ex illis potest evidenter inferri et sciri quod omne tale est corruptibile.

Et ista demonstratio est potissima demonstratio: quando scilicet ignota propositione in qua praedicatur passio de subiecto suo primo, per hoc quod perfecte et distincte cognoscitur natura et essentia rei importatae per subiectum scitur illa propositio et ex propositionibus evidenter notis infertur.

Et in tali processu ita contingit concludere definitionem exprimentem quid nominis passionis per definitionem subiecti tamquam per medium sicut ipsam passionem. Ex quo patet quod si `risibile' sit passio hominis, significans labia hominis tali motu posse moveri ab aliqua passione hominis interiori, potest demonstrari de homine per definitionem hominis tamquam per medium.

Illa tamen definitio non erit medium in illa demonstratione, sed erit medium in demonstratione per quam aliqua praemissa demonstratur.

Verumtamen una definitio exprimens partes rei erit medium in ultima demonstratione; sed illa non erit definitio exprimens essentiam unius rei per se, sed unius aggregati per accidens vel unius habentis concretum loco unius abstracti.

Nec concludetur passio de nomine illius totius sed de nomine partis; et medium tunc non erit definitio subiecti proprie dicta, sed erit descriptio data per accidentalia et substantialia. Et si sint tales definitiones exprimentes in obliquo aliquam formam inhaerentem et simul cum hoc causam efficientem illius in eodem subiecto, talis passio poterit demonstrari de subiecto primo per descriptionem indicantem partem cui inhaeret illa forma et simul causam eiusdem.

Tamen illa non erit demonstratio potissima, sed illa quae demonstrat passionem de subiecto primo per definitionem subiecti. Verumtamen sciendum quod talis definitio subiecti non semper est propriissima definitio, qualis est praecise substantiarum, sed frequenter est definitio indicans partes integrales rei, quales sunt definitiones mathematicorum.

Et de tali demonstratione potissima, per quam demonstratur passio sive definitio exprimens quid nominis passionis de suo subiecto primo per definitionem subiecti tamquam per medium, intelliguntur multae auctoritates Aristotelis in libro Posteriorum.

Nam ad talem demonstrationem non sufficit quod syllogismus sit ex necessariis et indemonstrabilibus, quia non omnis syllogismus ex necessariis et indemonstrabilibus est talis demonstratio, quamvis omnis syllogismus ex necessariis et indemonstrabilibus faciens scire conclusionem prius ignotam sit demonstratio magis large sumendo demonstrationem.

Tali etiam demonstratione non potest una conclusio nisi unica demonstratione demonstrari, quamvis aliis demonstrationibus possit unica conclusio multis demonstrationibus demonstrari.

Et ita tale medium non potest esse nisi unicum respectu unius conclusionis, et extendendo nomen causae, respectu unius effectus non potest esse nisi unica causa. Et per istas distinctiones et consimiles debent solvi multa quae praedictis et etiam dictis Aristotelis, in diversis locis, repugnare videntur.

3–2. 41. QUOMODO TERMINATUR QUAESTIO `QUID EST'?

Per praedicta potest faciliter sciri quomodo terminatur quaestio `quid est'. Dupliciter enim potest terminari, scilicet per experientiam et intuitivam notitiam, sicut si aliquis videret terram interponi inter solem et lunam. Aliter potest terminari a posteriori per effectum et per demonstrationem, quia sicut astrologus, sciens quod luna illuminatur a sole nisi sit aliquod opacum medium et sciens quod nullum aliud a terra est medium, concludit quod terra interponitur inter solem et lunam et quod illa interpositio est causa eclipsis.

Et sicut est de ista causa, ita est de multis aliis principiis, quod dupliciter notificari possunt; et ita talia principia, quantumcumque sint dubitabilia, tamen demonstrari non possunt a priori, licet quaedam demonstrari possint a posteriori, propter quod in demonstrationibus non est circulus. Quaedam enim principia nec a priori nec a posteriori demonstrari possunt, cuiusmodi sunt principia per se nota quae cognoscuntur cognitis terminis et quaedam alia principia prima quae nonnisi per experientiam et nullo modo per effectus evidenter sciri possunt. Quaedam autem principia licet possint a posteriori demonstrari, tamen talis demonstrans per illud principium — nisi aliunde adquirat notitiam eiusdem — non demonstrabit conclusionem.

Et ita possibile est, quod unus per principia demonstret conclusionem et alius per conclusionem demonstret principium a posteriori, tamen idem simul et semel non potest hoc facere.

Et ista de demonstratione sufficiant. Tantum enim ad completionem istius Summae, ne liber Posteriorum totaliter dimitteretur intactus, tractatum de demonstratione inserui, multa quae sunt hic omissa in expositione Posteriorum Aristotelis explicaturus.

Pars III — 3 : De Consequentiis

3—3. 1. DE MODO ARGUENDI PER CONSEQUENTIAS ET ARGUMENTA QUAE NON HABENT FORMAM SYLLOGISTICAM. ET PRIMO: QUOT MODIS DICITUR CONSEQUENTIA?

Habito de syllogismo in communi et de syllogismo demonstrativo, agendum est de argumentis et consequentiis quae non servant formam syllogisticam. Et primo ponam aliquas distinctiones quae sunt communes aliis consequentiis multis, quamvis non sint enthymemata, ex quibus omnibus faciliter patere poterit studioso quid de omnibus syllogismis non demonstrativis est tenendum. Prima distinctio est ista quod consequentiarum quaedam est `ut nunc', quaedam est simplex.

Consequentia `ut nunc' est quando antecedens pro aliquo tempore potest esse verum sine consequente sed non pro isto tempore. Sicut ista consequentia est ut nunc solum `omne animal currit, igitur Sortes currit', quia pro isto tempore pro quo Sortes est animal, non potest antecedens esse verum sine consequente; et tamen pro aliquo tempore poterit antecedens esse verum sine consequente, quia quando Sortes erit mortuus, poterit antecedens esse verum consequente exsistente falso.

Consequentia simplex est quando pro nullo tempore poterit antecedens esse verum sine consequente. Sicut ista consequentia est simplex `nullum animal currit, ergo nullus homo currit', quia numquam poterit haec esse vera `nullum animal currit' nisi ista sit vera `nullus homo currit', si formetur.

Alia distinctio est quod aliquando consequentia tenet per medium extrinsecum, aliquando per medium intrinsecum. Illa consequentia tenet per medium intrinsecum quando tenet virtute alicuius propositionis formatae ex eisdem terminis.

Sicut ista `Sortes non currit, igitur homo non currit' tenet virtute istius medii `Sortes est homo'; unde nisi haec esset vera `Sortes est homo', non valeret consequentia.

Consequentia autem quae tenet per medium extrinsecum est quando tenet per aliquam regulam generalem quae non plus respicit illos terminos quam alios. Sicut ista consequentia `tantum homo est asinus, igitur omnis asinus est homo' non tenet per aliquam propositionem veram formatam ex istis terminis `homo' et `asinus', sed per istam regulam generalem `exclusiva et universalis de terminis transpositis idem significant et convertuntur'.

Et per talia media tenent omnes syllogismi. Et si dicatur contra istam distinctionem quod ista consequentia `Sortes non currit, ergo homo non currit' tenet per istud medium extrinsecum `a singulari ad indefinitam postposita negatione est bona consequentia', quod est medium extrinsecum: Dicendum est quod tenet per istud medium extrinsecum remote et mediate et insufficienter, quia praeter istam regulam generalem requiritur plus, scilicet quod Sortes sit homo; et ideo magis

immediate et magis sufficienter tenet per istud medium `Sortes est homo', quod est medium intrinsecum. Alia distinctio est ista quod consequentiarum quaedam est materialis et quaedam formalis. Consequentia formalis est duplex, quia quaedam tenet per medium extrinsecum, quod respicit formam propositionis. Sicut sunt tales regulae `ab exclusiva ad universalem de terminis transpositis est bona consequentia'; `ex maiore de necessario et minore de inesse sequitur conclusio de necessario' et huiusmodi. Quaedam tenet per medium intrinsecum immediate, et mediate per medium extrinsecum respiciens generales condiciones propositionum, non veritatem vel falsitatem, nec necessitatem vel impossibilitatem, cuiusmodi est ista `Sortes non currit, igitur homo non currit'.

Consequentia materialis est quando tenet praecise ratione terminorum et non ratione alicuius medii extrinseci respicientis praecise generales condiciones propositionum; cuiusmodi sunt tales `si homo currit, Deus est'; `homo est asinus, igitur Deus non est' et huiusmodi.

Quarta distinctio est ista quod aliquando concluditur praecise praedicatum de subiecto, non determinando an praedicatum sit genus vel species vel differentia vel proprium vel aliquid huiusmodi respectu subiecti; sicut quando consequens est tale `homo est animal', `Sortes est albus', `homo est animal rationale'.

Aliquando concluditur cum tali additione; sicut sunt talia consequentia `animal est genus hominis', `risibile est proprium homini', `animal rationale est definitio hominis' et huiusmodi. Alia distinctio potest esse, et multum convenit cum praecedenti, quia aliquando infertur consequens in quo subiectum supponit personaliter et significative et aliquando infertur consequens in quo subiectum supponit simpliciter vel materialiter et non significative.

Alia distinctio est quod aliquando infertur consequens quae est propositio universalis, aliquando particularis.

Alia distinctio est quod aliquando infertur consequens quae est propositio negativa, aliquando affirmativa. Alia distinctio est quod consequentiarum quaedam est ex antecedente affirmativo et consequente affirmativo, quaedam ex utroque negativo, quaedam ex antecedente affirmativo et consequente negativo, quaedam e converso.

Alia distinctio est quod aliquando consequens est propositio de inesse, aliquando de modo.

3—3. 2. DE REGULIS GENERALIBUS PER QUAS TENENT CONSEQUENTIAE PER MEDIUM INTRINSECUM ET CONCLUDUNT UNIVERSALEM

Istis visis dicendum est de regulis generalibus per quas tenent consequentiae. Et primo de regulis per quas tenent consequentiae quae tenent per medium

intrinsecum. Circa quod primo dicendum est de regulis per quas tenent consequentiae concludentes conclusionem universalem affirmativam ex affirmativa, in qua termini praecise supponunt significative et personaliter. Est autem prima regula talis `a superiori distributo ad inferius distributum est consequentia bona', sicut sequitur `omne animal currit, igitur omnis homo currit'.

Circa istam regulam est primo sciendum quod ista regula debet intelligi quando illa universalis affirmativa non est exceptiva nec aequivalens ei. Et ideo ista consequentia non valet `omne animal praeter hominem currit, igitur omnis homo currit'.

Tamen contingit inferre omne aliud inferius praeter partem extra captam et praeter contenta sub parte extra capta; et ideo bene sequitur `omne animal praeter hominem currit, igitur omnis asinus currit'.

Secundo sciendum quod talis consequentia tenens per istam regulam aliquando est consequentia simplex, aliquando consequentia ut nunc. Quando enim praedicatio superioris de inferiori est necessaria, tunc est consequentia simplex; quando autem praedicatio superioris de inferiori est contingens, tunc est consequentia ut nunc solum.

Unus casus excipitur, scilicet quando tam antecedens quam consequens sunt de possibili vel de contingenti, accepto subiecto utriusque pro eo quod potest vel pro eo quod contingit; quia in tali generaliter est consequentia simplex, quia quando illa propositio in qua praedicatur superius de inferiori est vera, tunc est consequentia bona, quando illa propositio est falsa, tunc consequentia non valet.

Unde tales consequentiae sunt simplices `omne ens est in actu, igitur omnis Deus est in actu'; `omne suppositum est substantia, igitur omne divinum suppositum est substantia', quia omnes tales sunt necessariae `omnis Deus est ens', `omne suppositum divinum est suppositum'.

Sed tales consequentiae sunt ut nunc solum `omne animal est substantia, igitur omnis homo est substantia'; `omnis homo currit, igitur omnis homo albus currit', quia tales sunt contingentes `homo est animal', `homo albus est homo' et huiusmodi.

Ex isto sequuntur aliqua.

Unum est quod non magis est haec consequentia simplex `omne animal currit, igitur omnis homo currit' quam ista `omne animal currit, igitur omnis homo albus currit', nisi forte quia in pluribus est una bona quam alia.

Aliud sequitur: quod omnes tales consequentiae sunt bonae `omne animal est ens per se, igitur omnis homo albus est ens per se'; `omnis materia est prior forma, igitur omnis materia informata forma ignis est prior forma ignis'; `omnis homo

potest esse sine albedine, igitur omnis homo albus potest esse sine albedine'; `omne ens est per se in genere, igitur omne album est per se in genere' et huiusmodi, quae tamen negantur a multis modernis.

Alia regula est quod a definito distributo ad definitionem distributam est bona consequentia et e converso; sicut sequitur `omne animal rationale mortale est animal, ergo omnis homo est animal', et e converso.

Alia regula est quod a descriptione distributa ad descriptum distributum est bona consequentia et e converso; sicut sequitur `omne animal gressibile bipes est substantia, igitur omnis homo est substantia', et e converso.

Alia regula est quod a nominis interpretatione distributa ad nomen distributum est bona consequentia et e converso; sicut sequitur `omnis amator sapientiae est studiosus, igitur omnis philosophus est studiosus'.

Sciendum est quod omnes praedictae regulae intelligendae sunt quando nulla determinatio ponitur in antecedente nisi quae ponitur in consequente et e converso. Aliud est sciendum: quod praedictae regulae intelligendae sunt quando termini supponunt personaliter et significative.

Et ideo tales consequentiae non valent `"omne animal *est unum compositum ex signo universali et genere', igitur* ``*omnis homo* est unum compositum ex signo universali et genere'; `"omne animal rationale *est unum compositum ex signo universali et definitione, igitur* ``*omnis homo* est unum compositum etc.', et sic de consimilibus, si subiecta antecedentium non supponant personaliter et significative sed materialiter vel simpliciter.

Et ideo omnes consequentiae tales non sunt simplices. Alia regula est quod ab uno convertibilium distributo ad relinquunt distributum est bona consequentia et e converso; sicut sequitur `omne creativum est, igitur omnis Deus est' et e converso. Sciendum est quod ista debet intelligi, sicut ceterae, quando scilicet termini supponunt personaliter et significative. Secundo sciendum est quod `proprium' non est nisi unum praedicabile de altero, et tale praedicabile praedicatur aliquando tam de ente quam de non ente; sicut si `risibile' sit idem quod `potens ridere', praedicabitur de homine, sive homo sit sive non sit. Unde sicut haec est vera homine exsistente `homo est risibilis' vel `homo potest ridere', ita erit haec vera homine non exsistente `homo est risibilis', sumpto subiecto pro eo quod potest esse. Aliquando autem proprium non potest praedicari nisi de ente, nec supponere nisi pro ente.

Primo modo accipiendo proprium, verum est quod ab uno convertibilium distributo ad aliud distributum est bona consequentia, sed ab uno est consequentia simplex et ab alio consequentia `ut nunc'.

Sicut haec est consequentia simplex `omnis homo potest esse, igitur omne risibile potest esse'; haec autem est consequentia ut nunc `omne risibile est possibile, igitur omnis homo est possibilis'.

Tamen omnes consequentiae in quibus praedicatum non potest competere non—enti sed solum enti sunt simplices. Primum autem, quod dictum est, intelligendum est si subiectum in tali propositione non potest accipi nisi pro his quae sunt, aliter non esset verum; sed loquendo de proprio secundo modo dicto, sic est consequentia utraque simplex.

Sciendum est etiam quod istae regulae habent intelligi in propositionibus de inesse et de modo sumptis in sensu divisionis vel eis aequivalentibus et non in illis de modo sumptis in sensu compositionis.

In talibus enim non sunt generaliter verae; sicut non valet `omne ens esse in actu est necessarium, igitur omnem hominem esse in actu est necessarium'; nec sequitur `omne animal esse asinum est contingens, igitur omnem hominem esse asinum est contingens'; nec sequitur `omne verum esse necessarium est impossibile, igitur omne necessarium esse verum est impossibile'; nec sequitur `omnem hominem esse animal est per se primo modo, igitur omne risibile esse animal est per se primo modo; nec sequitur `omnem figuram planam etc. habere tres etc. est indemonstrabile, igitur triangulum habere tres etc. est indemonstrabile', nam in omnibus praedictis antecedentia sunt vera et consequentia falsa.

Verumtamen sciendum est quod aliquando tales consequentiae sunt bonae et aliquando non; ad quod sciendum, videndum est an modus non possit competere antecedenti nisi competat consequenti.

Et tunc est consequentia talis bona et cum modo veritatis tenet, non autem cum modo necessitatis vel possibilitatis; et hoc quia consequentia ut nunc ex necessario potest sequi contingens et ex possibili impossibile.

Similiter, videndum est an talis modus possit competere uni convertibilium nisi conveniat reliquo; quia si non, a definitione distributa ad definitum distributum et e converso cum tali modo est bona consequentia.

Unde sequitur `omnem hominem esse animal est necessarium, igitur omne animal rationale mortale esse hominem est necessarium'. Si autem possit talis modus competere uni convertibilium ita quod non reliquo, non valet talis consequentia formaliter et universaliter.

Unde per ista duo potest sciri quando tales consequentiae ex talibus modalibus valent et quando non.

Alia regula est: a differentia superioris distributa ad inferius distributum est bona consequentia; sicut sequitur `omne sensibile est substantia, igitur omnis homo est substantia'.

Alia regula est: a convertibili cum superiori distributo ad inferius distributum est bona consequentia; sicut si vigilans vel dormiens sit convertibile cum animali, ista consequentia est bona `omne vigilans vel dormiens est coloratum, igitur omnis homo est coloratus'.

Alia regula est: a definitione superioris distributa — et descriptione et nominis interpretatione — ad inferius distributum est consequentia bona. Alia regula est quod quando contingit inferre definitum vel descriptum vel interpretatum cum distributione, contingit inferre definitionem, descriptionem et nominis interpretationem cum distributione.

Et sunt istae regulae intelligendae sicut priores, ita scilicet quod omnes termini supponant personaliter et significative.

3—3. 3. DE REGULIS PER QUAS INFERTUR UNIVERSALIS AFFIRMATIVA RESPECTU DETERMINATORUM PRAEDICATORUM

Dicto de regulis per quas contingit inferre universalem affirmativam conclusionem respectu cuiuscumque praedicati, dicendum est de regulis per quas infertur universalis affirmativa non respectu omnium praedicatorum sed respectu aliquorum praedicatorum.

Et una regula est talis quod ab uno relativorum, quae sunt simul natura, cum distributione ad reliquum distributum respectu istius verbi `est' est bona consequentia, non respectu aliorum praedicatorum.

Unde bene sequitur `omnis pater est, igitur omnis filius est', sed non sequitur `omnis pater est hic intus, igitur omnis filius est hic intus'; nec sequitur `omne duplum est pedalis quantitatis, igitur omne dimidium est pedalis quantitatis'.

Tamen aliquando tenet consequentia tam respectu aliquorum aliorum praedicatorum quam respectu huius verbi `est'; sicut sequitur `omnis pater est homo, igitur omnis filius est homo'.

Sed quando tenet respectu aliquorum aliorum praedicatorum et quando non, oportet videre naturam illorum relativorum, quod nimis longum foret hic enarrare. Sciendum est etiam quod ista regula non est generalis, sicut non est universaliter verum quod omnia relativa sunt simul natura, sicut declarat Philosophus in libro Praedicamentorum.

Unde non sequitur `calefactivum est, igitur calefactibile est'. Quid autem est relativa esse simul natura, declaratum est in libro Praedicamentorum. Alia regula est quod a toto integrali distributo ad partem distributam respectu istius verbi

'est' est bona consequentia; sicut sequitur `omnis domus est, igitur omnis paries est'. Sed respectu omnium aliorum praedicatorum non valet; non enim sequitur `omnis domus componitur ex fundamento, parietibus et tecto, igitur omnis paries componitur ex talibus'.

Intelligendum est quod proprie loquendo non arguitur in talibus a toto distributo ad partem distributam, sed arguitur a nomine totius vel a conceptu totius distributo ad nomen vel conceptum partis distributum. Et sic intelligunt auctores multas tales propositiones. Et si aliquando dicam tales propositiones conformando me dictis aliorum, nihilominus sic intelligo eas. Intelligendum est etiam quod aliquando pars est talis, quod sine ea totum esse non potest; sicut impossibile est quod homo sit, et quod anima intellectiva non sit.

Et de tali parte et toto debet intelligi quod a nomine totius distributo ad nomen partis distributum respectu huius verbi `est' est bona consequentia. Aliquando autem potest esse totum sine parte; sicut aliquis potest esse homo, quamvis non habeat manum.

Et de tali toto non intelligitur regula, quia non sequitur `omnis homo est, igitur omnis manus est'. Eadem regula quae intelligitur de toto integrali et parte, debet intelligi de toto essentiali et parte, et eodem modo.

Intelligendum est etiam quod quamvis non respectu omnium praedicatorum a nomine totius ad nomen partis sit bona consequentia, tamen respectu aliquorum tenet. Unde quando omnes partes sunt eiusdem rationis, sicut in homogeneis, a toto respectu praedicabilis in quid vel per se secundo modo est bona consequentia; sicut sequitur `albedo est qualitas, igitur pars albedinis est qualitas'.

Similiter sequitur `albedo est disgregativa visus, igitur pars albedinis est disgregativa visus'.

Quando autem talis consequentia tenet et quando non, non potest sciri nisi sciatur in speciali tam natura totius quam partis. Alia regula est quod si concretum praedicatur de concreto distributo, et abstractum praedicabitur de abstracto distributo; sicut sequitur `omne iustum est bonum, igitur omnis iustitia est bona'. Notandum quod ista regula habet intelligi quando concreta et abstracta ordinantur secundum superius et inferius, et non quando sunt disparata.

Et ideo bene sequitur `omne album est coloratum, igitur omnis albedo est color', sed non sequitur `omne album est calidum, igitur omnis albedo est calor'.

3—3. 4. DE REGULIS PER QUAS TENENT CONSEQUENTIAE INFERENTES UNIVERSALEM NEGATIVAM

Positis aliquibus regulis per quas tenent enthymemata inferentia universalem affirmativam ex affirmativa, — quamvis aliae multae possent poni, de quibus tangetur inferius —, ponendae sunt regulae per quas tenent consequentiae inferentes universalem negativam ex negativa: et primo, quae deserviunt universalibus respectu quorumcumque praedicatorum.

Est autem una regula talis: a superiori distributo ad inferius distributum negative est consequentia simplex, qualecumque sit illud inferius: sive sit inferius per se sive per accidens.

Unde bene sequitur `nullum animal currit, igitur nullus homo albus currit et nullus asinus currit'. Ex quo patet quod tales consequentiae sunt bonae `nullum animal est ens per accidens, igitur nullus homo albus est ens per accidens'; `nullus homo est ens diminutum, igitur nullus homo intellectus est ens diminutum', et sic de aliis.

Aliae regulae sunt quod a definitione ad definitum cum distributione et negatione, et a descriptione ad descriptum et e converso, et a nominis interpretatione ad interpretatum est bona consequentia, et etiam ab uno convertibilium ad reliquum distributive et negative est bona consequentia.

Illa autem quae dicta sunt in primo capitulo huius partis circa illas regulas, intelligenda sunt etiam circa istas quae non sunt hic expressae. Similiter, a differentia superioris ad inferius et a definitione superioris ad inferius negative cum distributione tenet consequentia.

Et sunt regulae istae intelligendae sicut priores.

3—3. 5. DE REGULIS QUAE NON DESERVIUNT RESPECTU QUORUMCUMQUE PRAEDICATORUM

Consequentiis tenentibus per regulas quae non deserviunt respectu quorumcumque praedicatorum deserviunt regulae tales: Ab uno relativorum quae sunt simul natura ad reliquum negative cum distributione est consequentia bona; sicut sequitur `nullus filius est, igitur nullus pater est'.

Intelligenda est haec regula sicut prius.

Alia regula est: a nomine partis distributo ad nomen totius distributum negative est bona consequentia. Et intelligendum est de parte sine qua totum esse non potest; sicut sequitur `nulla anima intellectiva est, igitur nullus homo est', sed non sequitur `nullus pes est, igitur nullus homo est'.

Et istae regulae intelligendae sunt sicut consimiles affirmativae. Alia regula est: si concretum negatur universaliter a concreto, et abstractum ab abstracto; sicut sequitur `nullum album est coloratum, igitur nulla albedo est color'.

Et tenet haec regula qualitercumque se habeant concreta; unde sicut sequitur `nullum album est coloratum, igitur nulla albedo est color', ita sequitur `nullum musicum est calidum, igitur nulla musica est calor'.

Istae regulae intelligendae sunt sicut priores.

Alia regula est quod a negatione prioris distributi ad negationem posterioris distributi est bona consequentia; sicut sequitur `nulla substantia est, igitur nullum accidens est'. Sed ista est consequentia ut nunc, quia per potentiam divinam posset accidens esse, quamvis nulla substantia creata esset.

Sed respectu aliorum praedicatorum non valet; non enim sequitur `nulla substantia creata inhaeret, igitur nullum accidens inhaeret'. Alia regula est quod a negatione subiecti ad negationem denominantis est bona consequentia respectu quorumcumque praedicatorum; sicut sequitur `nullum corpus est, igitur nullum album est'.

3—3. 6. DE REGULIS QUAE DESERVIUNT CONSEQUENTIIS INTER PARTICULARES SIVE INDEFINITAS

Post haec restaret dicere quomodo universalis affirmativa infertur ex negativa et e converso; sed quia ista, sicut aliqua praedicta, possunt patere ex dicendis, ideo dicendum est de consequentiis inter particulares et indefinitas.

Et quia, sicut dictum est prius, particularis et indefinita convertuntur semper quando termini supponunt personaliter et significative, et quia omnes fere regulae quae deserviunt enthymematibus ex particularibus et indefinitis deserviunt etiam consequentiis ex singularibus, ideo dicendum est de eis communiter; et aliquando ponuntur exempla de istis, aliquando de illis.

Est autem primo dicendum de illis quae tenent per medium intrinsecum.

Et est prima regula talis, quod a definitione ad definitum est consequentia bona tam a parte subiecti quam a parte praedicati affirmative, et e converso; sicut sequitur `Sortes est homo, igitur Sortes est animal rationale'. Et est talis consequentia simplex.

Alia regula est: a descriptione ad descriptum est consequentia bona et e converso.

Alia regula est: a nominis interpretatione ad interpretatum est bona consequentia et e converso.

Alia regula est: ab inferiori ad superius sine distributione et affirmative est bona consequentia et simplex.

Alia regula: ab inferiori ad superius postposita negatione est bona consequentia, sed non simplex, nisi quando praedicatio superioris de inferiori est necessaria. Unde ista consequentia est simplex `homo albus currit, igitur homo currit'; sed ista consequentia solum est ut nunc `homo non currit, igitur animal non currit', quia dum homo est animal, consequentia est bona, quando autem homo non est animal, consequentia non valet.

Ex isto patet quod omnes tales sunt falsae `homo albus est aggregatum per accidens'; `asinus intellectus est ens diminutum'; `materia privata caret forma'; `homo albus differt ab homine'; `intellectio creaturarum divina est posterior persona'; `essentia divina in Filio est posterior Patre'; `homo intellectus fuit ab aeterno'; `lapis intellectus est Deus', et huiusmodi, quia istae inferunt istas falsas `homo est aggregatum per accidens'; `asinus est ens diminutum'; `materia caret forma'; `homo differt ab homine'; `intellectio divina est posterior persona'; `essentia divina est posterior Patre'; `homo fuit ab aeterno'; `lapis est Deus', per istam regulam, quae numquam deficit: ab inferiori ad superius sine distributione est bona consequentia si termini supponant personaliter et significative. Si autem aliqua praedictarum propositionum, vel aliqua consimilis, inveniatur in aliquo auctore, exponendus est: quod non loquitur de virtute sermonis sed aliter, vel quod terminus talis non accipitur personaliter sed simpliciter vel materialiter.

Alia regula est quod ab uno convertibilium ad reliquum est bona consequentia; sicut sequitur `homo currit, ergo risibile currit'. Intelligendum est quod omnes praedictae regulae intelligendae sunt quando omnes termini supponunt personaliter et significative, quia si termini supponant simpliciter vel materialiter, non valet; vel etiam si ille terminus ratione cuius teneret consequentia supponat aliter quam personaliter, non oportet consequentias valere. Et ideo tales consequentiae non valent `animal rationale est definitio, igitur homo est definitio'; `animal gressibile bipes est descriptio, igitur homo est descriptio'; `homo est definitum, igitur animal rationale est definitum'; `homo est species, igitur animal est species'; `homo non est genus, igitur animal non est genus'; `risibile est passio hominis, igitur homo est passio hominis' et huiusmodi.

Alia regula est: ab aliquo sumpto cum determinatione ad ipsum sumptum sine determinatione est bona consequentia; sicut sequitur `homo albus currit, igitur homo currit'. Notandum est quod aliquando de toto aggregato ex determinatione et determinabili praedicatur altera pars, aliquando utraque pars, aliquando neutra. Verbi gratia de isto toto `homo albus' praedicatur utraque pars; haec enim est vera `homo albus est homo' et similiter haec est vera `homo albus est albus', et si `homo albus' sit, oportet quod utraque istarum sit vera. Aliquando autem altera pars solum praedicatur de illo toto; ut de isto toto `homo mortuus' praedicatur altera pars, puta haec pars `mortuus' et non haec pars `homo', nam haec est vera `homo mortuus est mortuus' et haec est falsa `homo mortuus est homo'. Similiter haec est vera `falsus

syllogismus est falsus' et tamen haec non est vera `falsus syllogismus est syllogismus'. Similiter est de talibus `falsum argumentum', `syllogismus sophisticus' et huiusmodi. Aliquando autem neutra pars praedicatur de toto, quamvis totum praedicetur de toto, sicut est de isto `album secundum dentes'. Neutra enim istarum est vera `album secundum dentes est album', `album secundum dentes est dentes', quamvis haec vera possit esse `album secundum dentes est album'; et quando contingit, non erit nisi gratia materiae. Dicendum est ergo quod quando utraque pars praedicatur de toto, semper a tali toto ad quamcumque partem est consequentia bona. Unde haec consequentia est bona `homo albus currit, igitur album currit' et similiter `igitur homo currit'. Ex quo patet quod tales consequentiae sunt bonae `homo albus est ens per accidens, igitur homo est ens per accidens'; `intellectio creaturarum est posterior Patre, igitur intellectio est posterior Patre'; `lapis intellectus est realiter Deus, igitur lapis est realiter Deus'.

Similiter ista consequentia est bona `lapis intellectus fuit ab aeterno, igitur lapis fuit ab aeterno'. Quando autem altera pars tantum praedicatur de toto, tunc a toto ad illam partem est bona consequentia.

Unde ista consequentia est bona `Sortes est homo mortuus, igitur Sortes est mortuus'.

Sed ad alteram partem non valet consequentia; unde non sequitur `Sortes est homo mortuus, igitur Sortes est homo'. Quando autem neutra pars praedicatur de toto, ad neutram partem valet consequentia; et ideo ista consequentia non valet `Aethiops est albus secundum dentes, igitur Aethiops est albus' vel `ergo Aethiops est dentes'. Ex istis patet quod istae consequentiae non valent `iste est albus monachus, igitur est albus', quia ista stant simul `aliquis est albus monachus' et tamen quod `nullus albus monachus est albus'.

Similiter non sequitur `iste est tuus pater, igitur est tuus', quia ista stant simul quod `iste est tuus pater' et tamen `tuus pater non est tuus', si `tuus' in praedicato dicat circumstantiam possessionis.

Alia regula est: a propositione sumpta cum adverbio determinante compositionem ad ipsam sine tali determinatione sumpta est consequentia bona affirmative; sicut sequitur ` Sortes velociter currit, igitur Sortes currit'; `Sortes male disputat, igitur Sortes disputat'.

Alia regula est: a propositione sumpta cum praepositione et suo casuali, vel alia determinatione aequivalente adverbio vel praepositioni et suo casuali, ad ipsam sine tali addito est consequentia bona.

Sicut sequitur `homo de necessitate est animal, igitur homo est animal'; `homo dat denarium cum tristitia, igitur homo dat denarium'; `homo per se est animal, igitur homo est animal'; `homo, in quantum albus, differt ab homine, igitur homo

differt ab homine'; `essentia divina et sapientia divina differunt ratione, igitur essentia divina et sapientia divina differunt'.

Ex isto patet quod omnes tales de virtute sermonis sunt falsae `quaelibet creatura de se est non—ens'; `quaelibet materia de se caret forma'; `passivum de se caret actu'; `idem sub una ratione est prius et sub alia ratione est posterius'; `idem sub una ratione est inferius et sub alia est superius'; `idem ut sic est album et ut sic est nigrum'; `idem secundum quod consideratur ut sic, est tale, et ut sic, non est tale'.

Unde quidquid affirmatur de aliquo cum aliquo adverbio vel cum praepositione et suo casuali vel aliqua determinatione aequivalente adverbio vel tali praepositioni cum suo casuali, debet absolute concedi de eo.

Quidquid etiam praedicatur de aliquo cum dictione reduplicativa, absolute sine tali dictione vel aliquo aequivalenti praedicatur de eodem. Ex quo patet quod omnes tales consequentiae sunt bonae `natura specifica est realiter differentia individualis, igitur natura specifica est differentia individualis'; `genus et species sunt idem realiter, igitur genus et species sunt idem'; `homo est realiter humanitas, igitur homo est humanitas'; `intellectus est realiter voluntas, igitur intellectus est voluntas'; `agens est realiter passum, igitur agens est passum'; `album per accidens non est idem homini, igitur album non est idem homini'.

Et sic de aliis multis, quae tamen a modernis negantur.

Notandum quod istae regulae intelligendae sunt quando per talem additionem non datur intelligi propositio condicionalis. Et per hoc solvitur instantia quae posset adduci. Nam non sequitur `vellem esse in luto cum centum marchis, igitur vellem esse in luto'; nam per istam propositionem `vellem esse in luto cum centum marchis' intelligitur ista condicionalis `vellem esse in luto, si possem lucrari per hoc vel habere centum marchas'. Secundo notandum est quod ista regula habet intelligi — et praecedentes aliae — quando nulla est variatio in antecedente et consequente nisi quod ista determinatio ponitur in antecedente et non in consequente.

Per hoc possunt solvi istae instantiae quae possent fieri de II Elenchorum, ubi videtur

Philosophus in tali modo arguendi assignare fallaciam secundum quid et simpliciter. Unde in talibus assignat fallaciam secundum quid et simpliciter `amittere aegritudinem est bonum, igitur aegritudo est bona'; `quod non vult sapiens, est malum; sapiens non vult amittere bonum; igitur bonum est malum'.

Patet manifeste quod in istis et multis aliis non servatur modus arguendi de quo ponuntur praedictae regulae. Sciendum est etiam quod si istae regulae alicubi patiantur instantiam, tunc patiuntur instantiam quando participium verbi non praedicatur de toto aggregato ex eodem participio et illa determinatione adiuncta; et

ideo quandocumque tale participium praedicatur de tali aggregato, regulae sunt verae.

Possunt enim omnia talia enthymemata reduci in syllogismum per assumptionem talis propositionis quae est medium intrinsecum talis consequentiae. Unde sicut ista consequentia est bona `omnis homo currit, igitur Sortes currit', quia per assumptionem istius medii `Sortes est homo' reducitur in syllogismum, sic arguendo `omnis homo currit; Sortes est homo; igitur Sortes currit', similiter ista consequentia est bona `Sortes currit velociter, igitur Sortes currit', quia iste syllogismus est bonus `omne currens velociter est currens; Sortes currit velociter; igitur Sortes currit'.

Et ita est de aliis.

Et ista regula generalis intelligenda est quando participium verbi praedicatur universaliter de participio eodem, sumpto cum tali determinatione; et quando non, non.

Alia regula est ista: a propositione universali affirmativa ad quamlibet eius indefinitam, particularem vel singularem, de cuius subiecto vere praedicatur subiectum universalis, est bona consequentia respectu eiusdem praedicati, nulla variatione exsistente a parte determinationis; sicut sequitur `omnis homo currit, igitur album currit', quando haec est vera `aliquod album est homo'.

Similiter sequitur `omnis homo est animal, igitur substantia est animal', ex quo haec est vera `substantia est homo'. Notandum est quod ista regula non habet locum quando subiectum vel praedicatum universalis importat aliquam rem unam numero quae est plures res numero vel importat aliquam rem quae est eadem realiter cum tali re quae est plures res.

Et propter hoc ista consequentia non valet `omnis persona producta distinguitur realiter a persona producente, igitur essentia divina distinguitur realiter a persona producente', quantumcumque haec sit vera `essentia divina est persona producta'.

Nec ista consequentia valet `omnis essentia divina est Pater, igitur Filius est Pater', quamvis haec sit vera `Filius est essentia'. Est tamen advertendum quod haec regula non fallit semper quando tale praedicatum vel subiectum sumitur, immo aliquando non fallit.

Unde ista consequentia est bona `omne ens est creatum vel increatum, igitur essentia divina est creata vel increata'; similiter `omnis persona divina est producens vel producta, igitur Pater est producens vel productus'.

Quando autem valeat talis consequentia in talibus terminis et quando non, potest sciri per illa quae dicta sunt in materia de uniformi generatione syllogismorum de inesse et per ea quae dicta sunt super Sententias.

Sed in omnibus aliis terminis est regula generaliter vera, sine instantia, si termini supponant personaliter et nullus eorum includat aliquod syncategorema vel aequivalens. Ideo ista consequentia est bona, et omnes tales sunt bonae: `omne animal est ens per se, igitur homo albus est ens per se'; `quaelibet persona divina de necessitate est Deus, igitur homo de necessitate est Deus'; `quaelibet persona divina fuit ab aeterno, igitur homo fuit ab aeterno'; `omnis aedificator per se aedificat, igitur album per se aedificat'; `omne album per accidens aedificat, ergo aedificator per accidens aedificat', ex quo istae propositiones sunt verae `homo albus est animal', `homo est persona divina', `aliquod album est aedificator', `aliquis aedificator est albus'.

Et ideo ista consequentia est bona `omnis natura specifica de se est communicabilis, igitur differentia individualis de se est communicabilis', si haec sit vera `differentia individualis est natura specifica', quae sequitur ex ista `differentia individualis est realiter natura specifica', sicut patet per regulam supra positam.

Similiter ista consequentia est bona `omnis differentia individualis de se est incommunicabilis, igitur natura specifica de se est incommunicabilis', si haec sit vera `natura specifica est differentia individualis'.

Similiter ista consequentia est bona `omne genus praedicatur de pluribus differentibus specie, ergo species praedicatur de pluribus differentibus specie', si haec sit vera `species est realiter genus'.

Similiter omnes tales consequentiae sunt bonae `omnis intellectio divina est prior actu generandi, igitur intellectio creaturarum est prior actu generandi', ex quo haec est vera `intellectio creaturarum est intellectio divina'; `omnis intellectus est intellectus speculativus, igitur intellectus practicus est intellectus speculativus'; `omnis habitus speculativus est in intellectu speculativo, igitur habitus practicus est in intellectu speculativo', vel sic `igitur habitus speculativus est in intellectu practico', si omnis intellectus sit intellectus practicus.

Similiter haec est bona consequentia `omnis essentia divina est principium producendi Verbum, igitur intellectio creaturarum est principium producendi Verbum'. Et si dicatur quod talis consequentia non valet, quia si intellectio creaturarum esset principium producendi Verbum, igitur Pater prius intelligeret creaturas quam produceret Verbum, ex quo principium producendi est prius producto: Hoc non obstat.

Unde quo modo intellectio creaturarum est prior Verbo et quo modo non, et quo modo Pater prius intelligit creaturas quam producat Verbum et quo modo non, dictum est super Sententias, ideo de illis ad praesens pertranseo.

Sed ad istam formam arguendi `intellectio creaturarum est prior in Patre quam producat Verbum, igitur Pater prius producit creaturas quam producat Verbum',

dicendum quod ista forma arguendi non valet, sicut non valet `Sortes albus fuit prior Platone, igitur Sortes fuit albus antequam Plato fuit albus'.

Nam posito quod Plato sit filius Sortis et quod Sortes nunc primo vel hodie primo sit albus, haec tunc est vera `Sortes albus fuit prior Platone vel ante quam Plato', quia Sortes fuit prior, et Sortes est Sortes albus, igitur Sortes albus fuit prior, et tamen haec est falsa `Sortes fuit albus ante quam Plato'.

Immo etiam haec poterit esse falsa `Sortes fuit albus ante quam Plato fuit albus', posito quod Sortes hodie primo fuit albus et quod Plato a principio nativitatis fuerit albus. Et notandum est hic quod aliquae talium consequentiarum sunt solum ut nunc et aliquae sunt simplices.

Quando enim praedicatio subiecti antecedentis de subiecto consequentis est necessaria, tunc est consequentia simplex, quando autem talis categorica est contingens et non necessaria, tunc est consequentia ut nunc solum.

Unde ista consequentia est simplex `quaelibet persona divina fuit ab aeterno, igitur immortale fuit ab aeterno', quia haec est necessaria `aliquod immortale est persona divina'. Haec autem consequentia est ut nunc solum `quaelibet persona divina fuit ab aeterno, igitur creans fuit ab aeterno', accipiendo subiectum consequentis pro eo quod est, quia haec est contingens `creans est Deus'.

Si autem subiectum consequentis accipiatur pro eo quod fuit, consequentia est modo simplex, quia haec est necessaria `creans fuit Deus', accipiendo subiectum pro eo quod fuit, quia haec est necessaria sicut haec est necessaria `Deus fuit creans'.

Intelligendum est tamen quod quando arguitur in tali modo arguendi ab inferiori ad superius, est consequentia simplex, quamvis talis categorica non sit necessaria.

Unde haec est consequentia simplex `omnis homo est animal, igitur aliqua substantia est animal', quamvis haec non sit necessaria `aliqua substantia est homo'. Notandum quod omnes regulae praedictae sunt intelligendae quando termini supponunt personaliter, quia si aliquis terminus supponeret aliter quam personaliter, non oporteret consequentiam valere.

Alia regula est: a nomine numerali respectu huius verbi `est' ad nomen partis est bona consequentia; sicut sequitur `quatuor sunt, ergo duo sunt'.

Alia regula: a nomine collectivo ad nomen partis est bona consequentia; sicut sequitur `populus est, igitur homo est'.

Et debet ista regula intelligi quando tale totum non potest esse sine parte illa, sicut exercitus non potest esse sine homine, ideo bene sequitur `exercitus est, igitur

homo est'; sed quia exercitus potest esse sine equo, ideo non sequitur `exercitus est, igitur equus est', quamvis equi aliquando sint pars exercitus.

Et ideo notandum quod duae regulae praedictae debent intelligi quando termini supponunt personaliter et respectu istius verbi `est' quando praedicatur secundum adiacens, quia respectu aliorum praedicatorum non valet consequentia talis.

Non enim sequitur `quatuor excedunt tria, igitur duo excedunt tria; nec sequitur `populus est plures homines, igitur homo est plures homines'.

Tamen respectu aliquorum praedicatorum tenet consequentia. Bene enim sequitur `populus est hic intus, igitur homo est hic intus'; `quatuor sunt homines, igitur duo sunt homines'; `quatuor sunt hic, ergo duo sunt hic'; `quatuor sunt alba, igitur duo sunt alba'.

Unde quando praedicatum non potest competere toti nisi competat alicui parti, tunc semper vel frequenter est consequentia bona respectu talis praedicati a toto numerali et collectivo ad partem, aliter non.

Alia regula est: quando sunt duae contrarietates, si unum extremum unius contrarietatis praedicatur de uno extremo alterius contrarietatis, reliquum extremum praedicabitur de reliquo; sicut sequitur `iustitia est virtus, igitur iniustitia est vitium'.

Sciendum est quod ista regula habet veritatem quando neutra contrarietatum habet medium; si enim altera habet medium, non valet; sicut non sequitur `prodigalitas est vitium, igitur illiberalitas est virtus'.

Alia regula est: si generatio alicuius est bona, ipsum est bonum; et ideo sequitur `generatio hominis est bona, igitur homo est bonus'.

Alia regula est: si generatio alicuius est mala, ipsum est malum; et ideo sequitur `generatio hominis est mala, igitur homo est malus'.

Alia regula: si corruptio alicuius est bona, ipsum est malum, et si corruptio alicuius est mala, ipsum est bonum. Notandum quod bonum est duplex, scilicet naturale et morale; similiter malum est duplex, naturale et morale; et de bono et malo primo modo dicto sunt regulae intelligendae.

Sed de hoc dicetur alias, ideo pertranseo.

3–3. 7. DE REGULIS INFERENTIBUS AFFIRMATIVAM EX AFFIRMATIVA PER MEDIUM EXTRINSECUM

Datis aliquibus regulis deservientibus consequentiis inferentibus affirmativam ex affirmativa per medium intrinsecum, dicendum est de regulis inferentibus affirmativam ex affirmativa per medium extrinsecum.

Et est una regula talis: si principale de principali et coniugatum de coniugato et casus de casu, et e converso. `Coniugatum' vocatur concretum, `principale' abstractum, et `casus' vocatur adverbium correspondens. Unde sequitur `iustitia est virtus, igitur iustus est virtuosus', et `qui iuste aliquid facit, virtuose aliquid facit'.

Notandum est hic quod ista regula habet intelligi si concretum et abstractum significent idem, et tunc semper verum est `si abstractum de abstracto et concretum de concreto', sed non oportet semper e converso.

Sed ad hoc quod e converso teneat consequentia, oportet quod concreta semper se habeant secundum superius et inferius. Unde bene sequitur `albedo est musica, igitur album est musicum'; sed non sequitur e converso `album est musicum, igitur albedo est musica'.

Et nota quod illud est inferius ad aliud quando ab illo ad aliud est consequentia formalis affirmative, et non e converso; sicut sequitur formaliter `Sortes est homo albus, igitur Sortes est homo', et ideo non sufficit ad hoc quod aliquid sit superius quod praedicetur de omnibus de quibus aliud et de pluribus.

Unde quamvis omnia animalia essent alba, adhuc album non esset superius ad hominem, quantumcumque `album' praedicaretur de omni homine et de pluribus aliis; et hoc quia ista consequentia non est simplex `Sortes est homo, igitur Sortes est albus'.

Et propter hoc non valet ista consequentia `Deus est homo, igitur deitas est humanitas', quantumcumque quilibet Deus et quaelibet persona divina esset homo; et hoc quia Deus non est inferius ad hominem, sicut nec Filius Dei est inferius ad hominem.

Nec hic praedicatur superius de inferiori `Filius Dei est homo' sicut nec hic `Sortes est albus'. Et si dicatur quod hic est praedicatio superioris de inferiori `Christus est homo'; igitur sequitur `Christus est homo, ergo deitas est humanitas', quia Christus non habet aliud abstractum: Dicendum est quod si hic sit praedicatio superioris de inferiori, hoc est quia subiectum aequivalet duobus concretis habentibus duo abstracta, quorum unum est `deitas' et aliud `humanitas', et concreta sunt `Deus' vel `Filius Dei' et `hic homo', quia `Christus' tunc aequivalebit isti toti `Filius Dei qui est hic homo'. Et quia Christus non est inferius ad hominem nisi quia includit aequivalenter illud concretum `hic homo' et non quia includit aequivalenter hoc concretum `Filius Dei' vel `Verbum', ideo ex ista `Christus est homo', si sit in ea praedicatio superioris de inferiori, contingit inferre istam `haec humanitas est humanitas' et non istam `deitas est humanitas'.

Exemplum est ad hoc: nam hic est praedicatio superioris de inferiori `homo albus est albus', non quia homo sit inferius ad album, sed quia `hoc album', demonstrando quemcumque hominem album, est inferius; et ideo ex ista `homo

albus est albus' non sequitur ista `humanitas est albedo' sed ista `haec albedo' — demonstrando albedinem hominis — `est albedo'.

Ex isto patet quod tales consequentiae sunt bonae `homo est animal, igitur humanitas est animalitas'; `equus est animal, igitur equinitas est animalitas'. Secundo est intelligendum quod ista regula est intelligenda quando concreta eodem modo se habent ad sua abstracta.

Ita scilicet quod si unum concretum necessario supponat pro alia re quam suum abstractum, vel denotetur supponere in propositione, quod aliud similiter supponat pro alia re quam suum abstractum.

Unde si unum concretum supponat pro alio quam suum abstractum et aliud concretum supponat pro eodem pro quo supponit suum abstractum, non oportet quod si concretum praedicetur de concreto quod abstractum praedicetur de abstracto.

Et propter hoc ista consequentia non valet `homo est animatus, igitur humanitas est anima', nam `homo' supponit pro eodem pro quo supponit `humanitas', vel saltem supponere potest.

Nam si nulla humanitas esset assumpta, manifestum est quod non pro alio supponerent subiecta istarum propositionum `homo est animal', `humanitas est animal'; nam cum `homo' supponat pro toto composito ex omnibus partibus essentialibus hominis, `humanitas' supponeret pro aliqua parte hominis vel pro aliquo quod nec esset illud totum nec pars, si non supponat pro toto.

Nec valet dicere quod `homo' supponat pro toto composito ex humanitate et differentia individuali contrahente humanitatem, nam idem argumentum est de Sorteitate: pro quo supponit?

Aut pro toto aut pro parte. Similiter est de hac humanitate: pro quo supponit? Et manifestum est quod non pro alio quam pro quo supponit hic homo. Similiter `humanitas' supponit pro hac humanitate, cum haec humanitas sit humanitas. Sed `haec humanitas' includit tam naturam quam differentiam individualem, si esset aliqua talis, igitur supponit pro eodem pro quo supponit `homo'. Sed non sic se habent `animatum' et `anima', nam `animatum' supponit pro toto composito ex materia et forma, `anima' supponit pro parte tantum, et ideo non valet `homo est animatus, igitur humanitas est anima'. Haec regula `si abstractum de abstracto et concretum de concreto' habet intelligi quando subiectum et praedicatum sunt termini positivi; non enim sequitur `grammatica est non musica, igitur grammaticus est non—musicus'. Regula etiam est intelligenda quando nullum syncategorema vel aequivalens includitur in abstracto quod non includitur in concreto.

Alia regula est: si aliqua consequentia est bona, eodem addito utrobique erit consequentia bona; sicut si ista consequentia sit bona `homo currit, igitur animal currit' ista consequentia est bona `homo albus currit, igitur animal album currit'.

Sciendum est quod ista regula debet intelligi quando illud additum est adiectivum vel substantivum respectu illius cui additur et est purum categorema, non includens aequivalenter aliquod syncategorema; et propter istud quamvis sequatur `homo currit, igitur animal currit', tamen addito eodem signo utrobique, non valet consequentia.

Non enim sequitur `omnis homo currit, igitur omne animal currit'. Similiter sequitur `Sortes est albus, ergo Sortes est coloratus', et tamen addito utrobique `nunc primo' non valet consequentia.

Non enim sequitur `Sortes nunc primo est albus, igitur Sortes nunc primo est coloratus', nam `primo' vel est syncategorema vel includit aequivalenter aliquod syncategorema, scilicet hoc syncategorema `non'.

Propter idem bene sequitur `homo currit, ergo animal currit', etiam si homo non sit, et tamen negatione addita utrobique non valet.

Non enim sequitur `homo non currit, igitur animal non currit'. Si enim nullum animal esset nisi unus asinus, et ille curreret, antecedens esset verum et consequens falsum.

Alia regula est: quod sapiens dicit, est verum.

Et ideo sequitur `Philosophus dicit substantiam suscipere contraria, ergo substantia suscipit contraria'. Sciendum est quod ista regula non est generalis nisi de auctore qui errare non potest vel qui in dicto suo a tali instruitur.

Et ideo de homine, loquente praecise ex iudicio suae rationis, non est regula intelligenda, sed praecise de Deo et de illis qui instructi a Deo loquebantur. Et ideo ista consequentia non est formalis `Aristoteles dicit hoc, igitur hoc est verum', nam inter vera, quae locutus est, multa etiam falsa dixit.

Intelligendum est etiam quod regula debet intelligi quando aliquid dicitur assertive, non recitative tantum, nec ut reprobetur.

Alia regula est: si simpliciter ad simpliciter, et magis ad magis, et maxime ad maxime, et e converso. Unde sequitur `peccans est malus, ergo magis peccans est magis malus'. Sciendum quod ista regula habet intelligi quando praedicatum in prima propositione praedicatur de subiecto universaliter, ita quod a nullo contento possit negari. Habet etiam intelligi quando nihil additur in una consequentia quod non addatur in alia, nisi illud adverbium `magis'.

Similiter habet intelligi nulla facta mutatione, vel non facta mutatione nisi circa significatum illius termini. Per primum excluduntur tales instantiae `bibere est bonum, igitur magis bibere est magis bonum'; `dormire est bonum, ergo magis dormire est magis bonum', quia non omne dormire vel bibere est bonum, immo aliquod dormire vel aliquod bibere non est bonum.

Per secundum excluduntur tales instantiae: sequitur `iste est iustus, ergo iste est virtuosus' et tamen non sequitur `iste est magis iustus quam ille, ergo est magis virtuosus quam ille'. Similiter sequitur `iste est ebriosus, ergo est malus' et tamen non sequitur `iste est magis ebriosus quam ille, igitur iste est magis malus quam ille', quia si iste sit praecise ebriosus et excedat alium in ebrietate et non habeat aliud vitium, et alius sit modicum ebriosus et tamen cum hoc sit homicida, blasphemus, adulter, et sic de aliis vitiis, tunc iste est magis ebriosus quam ille, et tamen non est magis malus quam ille.

Per tertium excluduntur tales instantiae: sequitur `iste est iustus, igitur est virtuosus' et tamen non sequitur `iste est magis iustus, igitur est magis virtuosus'. Ponatur enim quod augmentato in isto habitu iustitiae diminuatur habitus aliarum virtutum, — quod est possibile, sicut in Moralibus ostendetur —, tunc antecedens est verum et consequens falsum. Et si dicatur quod non sequitur `omne simplex est perfectum, igitur magis simplex est perfectius', igitur regula secundum intellectum datum non est bona, dicendum est quod ista consequentia non valet, sed excluditur per secundum, quia simplicius non dicitur aliquid quia in se sit praecise simplicius, sed necessario dicitur respectu alterius. Et ideo sicut non sequitur `ebriosus est malus, igitur magis ebriosus quam Sortes est magis malus quam Sortes', ita non sequitur `simplex est perfectum, igitur magis simplex quam a est magis perfectum quam a'. Et propter hoc non sequitur `simplex est perfectum, igitur magis simplex est magis perfectum', quia semper ista nomina `magis simplex', `magis perfectum' requirunt aliquid aliud ad quod dicantur. Non sic est de isto `magis album', quia posito quod nihil sit album nisi Sortes, adhuc poterit Sortes esse magis albus quam sit, sive sit sive non sit magis albus quam alius. Universaliter igitur per iam dicta excluduntur omnia quae non possunt competere eidem in se sine comparatione ad aliud; cuiusmodi est `simplex', nam impossibile est quod idem sit aliquando magis simplex in se et aliquando minus simplex vel e converso. Unde compositum semper est aeque compositum dum est; et similiter simplex, quantumcumque componat cum aliis, tamen semper est in se aeque simplex dum est. Et sicut est de isto, ita est de multis aliis.

Alia regula est: si singulare de singulari et plurale de plurali et e converso; ideo sequitur `homo est animal, igitur homines sunt animalia'.

Notandum quod ista regula non habet veritatem quando alterum illorum nominum pluralis numeri non praedicatur vere de aliquo subiecto. Et propter hoc non sequitur `Deus est ens, ergo dii sunt entia', quia illud subiectum `dii' non dicitur vere de aliquo subiecto, immo nec de se ipso.

Haec enim praedicatio est falsa `dii sunt dii'. Similiter, si nullus homo esset nisi unus, haec consequentia non valeret `homo est animal, igitur homines sunt animalia', quia antecedens esset verum et consequens falsum, quia sua conversa esset falsa, scilicet `animalia sunt homines', cum quaelibet singularis sit falsa. Similiter, praedicta regula habet instantiam quando alter terminorum importat rem quae est plures res, quamvis non semper sit neganda consequentia talis. Et ideo ista consequentia non valet `persona est deitas, igitur personae sunt deitates'. Similiter habet instantiam quando alter terminorum est in recto et alter in obliquo. Et ideo non sequitur `effectus est a causa, igitur effectus sunt a causis'. Si enim Deus se solo produceret omnes effectus, antecedens esset verum est consequens falsum. Similiter non sequitur `hominis est asinus, igitur hominum sunt asini', nam posito quod omnes homines non habeant nisi unum asinum, et tamen sunt plures asini, antecedens est verum et consequens falsum. Similiter, regula praedicta habet instantiam quando est praedicatio per accidens et contingens, quantumcumque de utroque extremo verificetur esse tam in singulari quam in plurali. Et ideo non sequitur `homo est caecus, igitur homines sunt caeci'.

Similiter capit instantiam quando alterum extremum est disiunctum. Unde non sequitur `omnis homo est caecus vel videns, ergo omnes homines sunt caeci vel videntes'.

Similiter non sequitur `homo est caecus vel videns, ergo homines sunt caeci vel videntes', nam si non essent nisi duo homines, et unus esset caecus et alter videns, antecedens esset verum et consequens falsum.

Alia regula est: si plurale de plurali et singulare de singulari; sicut sequitur `homines sunt animalia, igitur homo est animal'.

Ista regula et praedicta intelligendae sunt quando singulare et plurale idem significant, quia si non haberent idem significatum non teneret consequentia.

3–3. 8. DE REGULIS PER QUAS TENENT CONSEQUENTIAE INFERENTES NEGATIVAM EX NEGATIVA

Declaratis aliquibus regulis deservientibus consequentiis inferentibus affirmativam ex affirmativa, nunc dicendum est de regulis per quas tenent consequentiae inferentes negativam ex negativa.

Et est una regula complectens multas, quae est talis: a definitione ad definitum, a descriptione ad descriptum, a nominis interpretatione ad interpretatum, ab uno convertibilium ad reliquum, et e converso, tenet consequentia sive praeponatur sive postponatur negatio.

Et sunt istae regulae intelligendae supponentibus omnibus terminis personaliter et nulla alia variatione facta circa propositiones. Et ideo tales consequentiae non

valent `homo non est passio hominis, ergo risibile non est passio hominis'; `animal rationale non est definitum, igitur homo non est definitum' et huiusmodi.

Alia regula est: ab inferiori ad superius postposita negatione est bona consequentia; sicut sequitur `homo non currit, igitur animal non currit'. Sciendum quod quando praedicatio superioris de inferiori est necessaria, tunc est talis consequentia simplex, quando autem talis praedicatio est contingens, tunc dum talis propositio est vera, est bona consequentia, sed ut nunc solum; quando autem talis propositio est falsa, tunc consequentia non valet.

Unde si nullus homo sit, haec consequentia non valet `homo non currit, ergo animal non currit'. Per istam regulam tenent tales consequentiae `asinus non est homo, igitur animal non est homo'; `fortitudo non est temperantia, igitur virtus non est temperantia', et huiusmodi multae.

Alia regula est: a superiori ad inferius praeposita negatione est bona consequentia; sicut sequitur `Sortes non est animal, ergo Sortes non est asinus'. Intelligendum quod talis consequentia semper est simplex, sive descendatur ad inferius per se sive ad inferius per accidens.

Et ideo tales consequentiae sunt bonae `aggregatum per accidens non est animal, igitur aggregatum per accidens non est homo albus'; `ens per accidens non est homo, igitur ens per accidens non est homo niger', et sic de aliis.

Sed intelligendum quod tales consequentiae non valent quando aliquod adverbium vel praepositio cum suo casuali vel aliqua determinatio aequivalens tali sequitur negationem in prima propositione.

Et propter hoc tales consequentiae non valent `homo non est necessario corpus, ergo homo non est animal'; `homo non est necessario coloratus, ergo homo non est albus'. Si tamen illa determinatio poneretur uniformiter in antecedente et consequente, frequenter valeret consequentia.

Aliquando tamen non valeret; sicut non sequitur `homo non est primo corpus, igitur homo non est primo animal'. Similiter non sequitur `Sortes non est primo animal, ergo Sortes non est primo homo', intelligendo per `primo' quod inter subiectum et praedicatum non sit medium.

Alia regula est: a negatione inferioris ad negationem superioris, sumpti cum signo universali affirmativo, vel stantis immobiliter, est bona consequentia; sicut sequitur `Sortes non est iste homo, ergo Sortes non est omnis homo'.

Sed intelligendum est quod talis consequentia non est semper consequentia simplex; sed quando illud superius praedicatur necessario de illo inferiori, tunc est consequentia simplex; quando contingenter solum, tunc dum illa propositio est vera, est consequentia bona, quando non est vera, consequentia non valet.

Unde dum Plato est homo, ista consequentia est bona `Sortes non est Plato, igitur Sortes non est omnis homo', sed quando Plato non est homo, tunc non valet consequentia. Ex isto patet quod si `differre', `esse aliud', `distingui' significent idem quod `non esse idem', tales consequentiae valent: `Sortes differt a Platone, ergo Sortes differt ab omni homine'; `Sortes est alius a Platone, igitur Sortes est alius ab omni homine'; `Sortes distinguitur a Platone, igitur Sortes distinguitur ab omni homine', sicut ista consequentia est bona `Sortes non est Plato, ergo Sortes non est omnis homo'.

Si autem `differre', `esse aliud', `distingui' significent idem quod `esse non idem', tunc consequentia non valet. Verumtamen potest distingui de `non idem', quia uno modo potest esse terminus relativus, alio modo potest esse terminus mere infinitus.

Si sit terminus relativus, tunc non valet ista consequentia `Sortes differt a Platone, igitur Sortes differt ab omni homine', sicut non sequitur `Sortes non est idem Platoni, igitur Sortes non est idem omni homini'.

Cuius ratio: quia si `non idem' sit terminus relativus, li non, eo quod est pars dictionis, non habet aliquam vim mobilitandi vel immobilitandi terminum sequentem; et ideo terminus sequens eodem modo stabit mobiliter vel immobiliter sicut si quicumque alius terminus relativus sibi adderetur.

Et ideo sicut in ista `Sortes est idem omni homini', li homini stat mobiliter, ita quod sub ipso contingit descendere, sic in ista `Sortes est non idem omni homini' stabit `homini' mobiliter et contingit sub eo descendere, et ita sequitur `Sortes est non idem omni homini, ergo Sortes est non idem Sorti'.

Si autem `non idem' sit terminus mere infinitus, tunc vel talis propositio erit impropria `Sortes est non idem omni homini', pro eo quod casus dativus sequitur nomen non relativum, vel si sit propria, negatio — cum sit pars termini — non habet virtutem super terminum sequentem ad mutandum eius suppositionem.

Et per consequens li homini stabit mobiliter, et tunc erit haec falsa `Sortes est non idem omni homini', quia infert istam `Sortes est non idem Sorti'. Et tunc talis consequentia non valebit `Sortes est alius a Platone, igitur Sortes est alius ab omni homine'; nec infertur negativa ex negativa sed affirmativa ex affirmativa.

Et si quaeratur, quis sensus est magis de virtute sermonis, dicendum quod dialectici magis utuntur primo. Et ideo omnes tractantes sophismata, quos ego vidi, dicunt tales consequentias esse bonas `Sortes distinguitur a Platone, ergo Sortes distinguitur ab omni homine'; `Sortes differt ab asino, ergo Sortes differt ab omni animali'.

Et similiter tales `Sortes differt ab animali, igitur Sortes differt ab homine'; `Sortes est alius ab homine, igitur Sortes est alius a Sorte' et huiusmodi. Et super

istum sensum dant regulas suas, videlicet quod ad alietatem vel differentiam superioris sequitur alietas et differentia inferioris; et quod isti termini `differre', `esse aliud', `distingui' et huiusmodi, habent naturam confundendi terminum sequentem confuse et distributive, si prius stetit immobiliter, et quod habent vim immobilitandi terminum sequentem, si prius stetit mobiliter, et huiusmodi, quae omnes ad istas reduci possunt.

Sed alii ab istis communiter utuntur alio modo.

Et secundum istas diversas significationes istorum terminorum debet de consequentiis multis diversimode dici. Unde primi, qui dicunt quod `differre', `esse aliud', `distingui' significant idem quod `non esse idem', debent negare multas consequentias in quibus arguitur ab aliquo istorum, sumpto cum determinatione adverbiali sequente vel aequivalente, ad ipsum sine tali determinatione sumptum.

Et tamen si talis determinatio praeponeretur, esset consequentia bona. Unde tales consequentias habent negare `hoc distinguitur formaliter ab hoc', puta `essentia divina distinguitur formaliter a paternitate, ergo essentia divina distinguitur a paternitate'; `hoc per accidens distinguitur ab hoc, ergo hoc distinguitur ab hoc'. Nam haec est vera `essentia divina non est formaliter paternitas' et tamen haec est falsa `essentia divina non est paternitas', et per consequens antecedens primae consequentiae est verum, et tamen consequens falsum, secundum eos, si illae duae aequipolleant istis duabus.

Similiter haec est vera `Deus non est per accidens idem Deo' et tamen haec est falsa `Deus non est idem Deo', ergo secunda consequentia non valet si istae duae aequivaleant istis duabus.

Et tamen istae consequentiae sunt bonae `essentia divina formaliter distinguitur a paternitate, ergo essentia divina distinguitur a paternitate'; `Deus per accidens distinguitur a Deo, ergo Deus distinguitur a Deo', sicut istae sunt bonae `essentia divina formaliter non est paternitas, igitur essentia divina non est paternitas'; `Deus per accidens non est Deus, igitur Deus non est Deus'.

Et ideo illi qui dant regulas praedictas sophisticas quod `ad alietatem superioris' etc., et negant tales propositiones `homo distinguitur per accidens ab homine', `essentia divina distinguitur formaliter a paternitate', `homo est aliud per accidens ab animali', non dicunt consequenter.

Alii autem tales consequentias `a distinguitur formaliter a b, igitur a distinguitur a b'; `a distinguitur per accidens a b, igitur a distinguitur a b', habent concedere, sicut sequitur `a non est idem formaliter b, igitur a non est idem b'; `a non est idem per accidens b, igitur a non est idem b'.

Et tunc haec est falsa `essentia divina distinguitur formaliter a paternitate' et ista similiter `essentia divina distinguitur per accidens a paternitate', sicut utraque

istarum est falsa `essentia divina est non eadem formaliter paternitati', `essentia divina est non eadem per accidens paternitati'.

Sed ista est concedenda `essentia divina non est eadem formaliter paternitati'. Et tunc de istis propositionibus est proportionaliter dicendum sicut de istis `Deus est non idem per accidens Deo', `Deus est per accidens idem Deo', `Deus non est per accidens idem Deo', `Deus distinguitur per accidens a Deo', `Deus per accidens distinguitur a Deo', quia omnes sunt falsae praeter istam `Deus non est per accidens idem Deo'. Ita omnes aliae sunt falsae praeter istam `essentia divina non est eadem formaliter paternitati', secundum istam opinionem. Et ideo utraque istarum est neganda, secundum istam opinionem, `essentia divina est eadem formaliter paternitati', `essentia divina distinguitur formaliter a paternitate', sicut utraque istarum est neganda `Deus est idem per accidens Deo', `Deus distinguitur per accidens a Deo'.

Alia regula est: a negatione alicuius ad negationem eiusdem cum aliqua determinatione est bona consequentia; sicut sequitur `Sortes non est homo, igitur Sortes non est per accidens homo'; `Sortes non currit, igitur Sortes non currit velociter'. Et ideo tales consequentiae sunt bonae `grammaticus non distinguitur a clerico, ergo grammaticus non distinguitur a clerico in quantum logicus'; `natura specifica non est differentia individualis, igitur natura specifica non est realiter differentia individualis'; `homo non est humanitas, igitur homo non est realiter humanitas'; `entitas non est unitas, igitur entitas non est realiter unitas'.

Et si dicatur quod tunc sequeretur `homo non est asinus, ergo homo non est idem specie asino', dicendum quod regula est intelligenda quando nulla fit variatio circa alios terminos propositionum nisi appositio talis determinationis vel ablatio.

Nunc autem in proposito `asinus' in antecedente accipitur in recto et in consequente in obliquo, ideo non valet `homo non est asinus, ergo homo non est idem specie asino', sed sequitur `ergo homo non est specifice asinus'.

Sciendum quod quando illa determinatio est adverbium vel aequivalens adverbio, semper est regula bona. Si autem sit adiectivum vel praepositio cum suo casuali, de quo illud determinabile non oportet quod praedicetur, quamvis de utroque aliquid verificetur, tunc non valet.

Et ideo non sequitur `Sortes non est homo, igitur Sortes non est homo mortuus'; nec sequitur `Sortes non est albus, igitur Sortes non est albus secundum dentes'.

Intelligendum etiam est quod regula est vera quando negatio praecedit tam determinans quam determinabile.

3—3. 9. DE REGULIS DESERVIENTIBUS CONSEQUENTIIS INFERENTIBUS NEGATIVAM EX AFFIRMATIVA VEL E CONVERSO

Post haec videndum est de regulis deservientibus consequentiis inferentibus negativam ex affirmativa vel e converso. Et est una regula talis: ab affirmatione contrarii sequitur negatio alterius contrarii; sicut sequitur `Sortes est albus, igitur Sortes non est niger'.

Ex isto patet quod in motu idem subiectum primum non est simul sub contrariis. Nam, sicut dictum est prius, ab inesse ad esse respectu subiecti primi est bona consequentia, et per consequens sequitur `isti subiecto primo inest albedo, ergo istud subiectum est album'; et ultra sequitur `illud subiectum est album, igitur non est nigrum'; et ultra `igitur isti non inest nigredo tamquam subiecto primo', et per consequens idem non est simul sub albedine et nigredine. Alia regula est: a negatione unius contrarii ad positionem alterius est bona consequentia; sicut sequitur `Sortes non est sanus, igitur Sortes est aeger'. Sciendum est quod quaedam sunt contraria mediata, quaedam immediata. De contrariis mediatis non intelligitur regula, sed de contrariis immediatis tenet; sed numquam est consequentia simplex, nisi esse praedicetur necessario de subiecto. Si autem praedicetur contingenter, tunc est consequentia ut nunc solum, quia quando talis propositio est vera, tunc est consequentia bona; sicut quando haec est vera `Sortes est', ista est bona consequentia `Sortes non est sanus, igitur Sortes est aeger'; quando autem non est vera, tunc non valet consequentia. Intelligendum est etiam quod quandoque non oportet alterum contrariorum immediatorum verificari de subiecto; sicut si virtus et vitium sint contraria immediata, non oportet aliquod istorum de subiecto verificari, quia homo ante usum rationis nec est virtuosus nec vitiosus. Quandoque autem necesse est alterum contrariorum inesse suo subiecto; et tunc est consequentia bona, sed ut nunc solum, sicut dictum est.

Verumtamen hic est sciendum quod nulla sunt contraria, nec mediata nec immediata, quin possint amoveri a subiecto per potentiam divinam, ipso manente.

Unde etiam ignem posset Deus facere sine omni calore et aquam sine omni frigiditate. Alia regula est: a positione habitus sequitur negatio privationis et e converso; sicut sequitur `Sortes est videns, igitur Sortes non est caecus'; et sequitur `materia non est privata forma, igitur est informata forma'.

Sciendum quod nomina privativa sunt in multiplici differentia.

Aliquod enim est nomen privativum quod praecise dicit privationem et carentiam formae in aliquo cui additur, et tale nomen privativum aequivalet nomini infinito. Alia sunt nomina privativa quae important formam in aliquo non esse, connotando determinatum subiectum. Alia sunt privativa quae important in aliquo non esse formam talem nec esse posse, connotando determinatum subiectum, et tale privativum est hoc nomen `caecus'; nam quando dicitur `Sortes est caecus', importatur Sortem non videre nec videre posse per naturam, et tamen quod individuo eiusdem rationis cum Sorte non repugnat videre, sive quod non repugnat homini videre. Quantum ad prima privativa est dicendum quod semper a negatione

formae ad nomen privativum est bona consequentia si esse exsistere verificetur de subiecto.

De secundis privativis debet dici quod non valet talis consequentia a negatione formae ad positionem nominis privativi, nisi contineatur sub tali subiecto vel sit tale de quo universaliter nomen talis formae possit verificari.

Et ideo non sequitur `lapis non est iustus, ergo lapis est iniustus', quia haec est impossibilis

'omnis lapis est iustus' et semper fuit. Sed loquendo de tertiis, oportet addere quod tale nomen formae nec verificetur nec verificari possit de tali subiecto, et simul cum hoc quod aliquando talis propositio non fuit impossibilis.

Unde ista est vera modo `Sortes est caecus', quia Sortes non videt nec videre potest, et tamen aliquando non fuit haec impossibilis `Sortes videt'. Unde si haec semper fuisset impossibilis `Sortes videt', ista non esset modo vera `Sortes est caecus'.

Sed e converso semper est bona consequentia, nam semper ab affirmatione privationis ad negationem habitus sibi oppositi est bona consequentia.

Unde de quocumque ista consequentia est bona `a est caecus, igitur a non est videns'. Alia regula est ista: ab affirmativa de praedicato infinito ad negativam de praedicato finito est bona consequentia; sicut sequitur `Sortes est non albus, igitur Sortes non est albus'.

Sciendum est quod ista regula habet instantiam quando alterum extremorum accipitur in obliquo. Sicut si quilibet homo habeat asinum et bovem, haec est vera `hominis est non asinus', quia cuiuslibet hominis est aliquis bos; et tamen haec est falsa `hominis non est asinus', quia cuiuslibet hominis est aliquis asinus.

Similiter non sequitur `quilibet homo videt non hominem, ergo quilibet homo non videt hominem', nam si quilibet homo videret hominem et asinum, antecedens esset verum et consequens falsum.

Similiter ista regula habet instantiam quando propositio est de praeterito vel de futuro; quia non sequitur `Sortes fuit non albus, igitur Sortes non fuit albus', nam posito quod Sortes uno tempore fuisset albus et alio tempore niger, antecedens esset verum et consequens falsum.

Similiter non sequitur `Sortes erit non vivens, igitur Sortes non erit vivens'. Alia regula est: ad affirmativam de praedicato finito sequitur negativa de praedicato infinito; sicut sequitur `Sortes est albus, ergo Sortes non est non albus'.

Ista regula, sicut prior, debet intelligi in terminis rectis et propositionibus de praesenti et non de praeterito nec de futuro. Alia regula est: ad negativam de praedicato finito sequitur affirmativa de praedicato infinito; sicut sequitur `Sortes non est albus, igitur Sortes est non albus.

Sciendum quod ista regula habet instantiam quando negatio additur solum uni parti extremi. Et ideo non sequitur `Sortes non est lignum album, ergo Sortes est non—lignum album', quia si Sortes sit niger, antecedens est verum et consequens falsum, et hoc quia negatio additur solum isti termino `lignum', et non toti praedicato.

Et ideo proprie loquendo non arguitur a negativa de praedicato finito ad affirmativam de praedicato infinito, sed ad affirmativam habentem unam partem praedicati quae est terminus infinitus, quia totum praedicatum est hoc totum `non lignum album', cuius una pars est `non lignum'.

Similiter ista regula habet instantiam quando de subiecto non verificatur esse exsistere. Hoc saltem est verum quando per subiectum implicatur aliqua uniri a parte rei. Quod dico propter terminos importantes simpliciter simplicia, cuiusmodi sunt `Deus',

'angelus', et huiusmodi.

Et ideo talis consequentia non valet Sorte exsistente mortuo `Sortes non est albus, ergo Sortes est non albus'. Similiter non sequitur `homo albus non est homo, ergo homo albus est non homo', nam posito quod nullus homo sit albus, antecedens est verum et consequens falsum.

Veritas antecedentis patet, nam sequitur `nullus homo est homo albus, ergo homo albus non est homo'; et antecedens est verum, isto casu posito, ergo consequens est falsum. Falsitas consequentis patet, nam haec est falsa `aliquis non homo est homo albus'; consequens est falsum, quia quaelibet singularis eius est falsa, ut patet inductive.

Similiter sequitur `homo albus est non homo, igitur homo est albus'; consequens est falsum, isto casu posito, igitur antecedens. Similiter regula habet instantiam in illis de obliquo et in propositionibus de praeterito et de futuro, sicut priores; et ita regula tenet in terminis simplicibus cum constantia subiecti et de recto et de praesenti. Alia regula est: ad negativam de praedicato infinito sequitur affirmativa de praedicato finito; sicut sequitur `Sortes non est non albus, igitur Sortes est albus'.

Et debet intelligi ista regula sicut prior, scilicet in propositionibus de recto et de praesenti et cum constantia subiecti. Per constantiam autem subiecti intelligitur quod esse exsistere praedicetur de subiecto significative sumpto; et ideo talis consequentia

non valet `homo albus non est non homo, ergo homo albus est homo', si haec sit falsa `homo albus est'.

Et si dicatur quod alterum contradictoriorum dicitur de quolibet, igitur altera istarum erit vera `homo albus est homo', `homo albus est non homo', quamvis nullus homo sit albus: Similiter sequitur `homo albus est homo albus, igitur homo albus est homo', per regulam prius datam `ab inferiori ad superius est consequentia simplex', sed antecedens est necessarium, cum propositio in qua praedicatur idem de se sit necessaria; igitur consequens est necessarium, et per consequens haec disiunctiva est necessaria `homo albus est homo vel homo albus est non homo': Ad primum istorum dicendum quod non semper alterum contradictoriorum incomplexorum dicitur de quolibet, sed oportet ad hoc addere quod de illo subiecto verificetur esse exsistere.

Unde si nullus homo sit, neutra istarum est vera `homo est animal', `homo est non animal', et hoc quia in utraque istarum implicatur falsum. Propter hoc enim quod utraque istarum `homo est animal', `homo est non animal' est simpliciter affirmativa, implicatur quod aliquod compositum ex corpore et anima sit homo, quod est simpliciter falsum, et ideo utraque istarum est falsa.

Ad secundum dicendum quod haec consequentia est bona `homo albus est homo albus, igitur homo albus est homo', sed antecedens non est necessarium, immo est contingens; nec omnis propositio in qua praedicatur idem de se est necessaria, immo aliquando est impossibilis.

Haec enim est impossibilis `omne verum de necessitate est verum' et similiter ista `omne verum contingenter est verum', et tamen praedicatur idem de se. Et quod dicit Boethius quod `nulla propositio est verior illa in qua idem praedicatur de se', debet sic intelligi: quod nulla propositio in qua praedicatur aliquid aliud de subiecto sine omni determinatione compositionis vel totius propositionis est verior illa in qua praedicatur idem de eodem sine omni tali determinatione.

Ita quod nulla propositio in qua `homo' subicitur est verior illa in qua tam subicitur quam praedicatur `homo' sine omni determinatione compositionis vel propositionis. Unde nulla talis `homo albus est homo', `homo albus est animal', `homo albus currit', et sic de huiusmodi, est verior ista `homo albus est homo albus', et tamen ista `homo albus potest esse homo' est verior ista `homo albus est homo albus'.

Sic igitur Boethius comparat propositiones de praesenti, sine omni determinatione compositionis, in qua subicitur idem et non praedicatur idem, ad unam propositionem de praesenti, sine omni determinatione compositionis, in qua idem tam subicitur quam praedicatur.

Et tunc nulla talis est verior illa in qua praedicatur idem de se, et tamen quaelibet istarum aliquando est contingens. Alia regula est: ab affirmativa de una

specie specialissima ad negativam de alia specie specialissima condividente est bona consequentia; sicut sequitur `Sortes est homo, igitur Sortes non est asinus'.

Sed e converso non sequitur: non enim sequitur `angelus non est asinus, igitur angelus est homo'.

Sciendum quod ista regula est vera de speciebus specialissimis condividentibus et est vera de speciebus specialissimis mere absolutis, sed de speciebus quarum una est mere absoluta et alia relativa vel connotativa, vel de pluribus relativis vel connotativis non valet. Non enim sequitur `Sortes est homo, igitur Sortes non est pater', et tamen `pater' est species specialissima. Et si dicatur quod `pater' non est species specialissima sed `paternitas', et bene sequitur `Sortes est homo, igitur Sortes non est paternitas', dicendum est quod `pater' est species specialissima.

Cuius ratio est, nam `ad aliquid' vel relatio est unum praedicamentum importans veras res et pro eis supponens, igitur similiter species suae supponunt pro rebus et res important; igitur si `paternitas' sit species, oportet quod supponat pro re.

Et quaero: pro qua re? Nonnisi pro illo qui est pater, nec aliud significabit nisi consignificando.

Et hoc facit `pater'; igitur si `paternitas' sit species, `pater' erit species. Ideo dicendum est quod apud Aristotelem `pater' et `paternitas' vel erant nomina synonyma, et tunc manifestum est quod si `paternitas' sit species specialissima, `pater' erit species specialissima; vel `paternitas' significabit suum concretum, ita quod hoc nomen `pater' erit `paternitas', sicut hoc nomen `pater' est relativum et ad aliquid.

Manifestum est enim quod hoc nomen `pater', cum dicatur ad convertentiam, est relativum et ad aliquid; et tunc sicut ad aliquid non est praedicamentum sic nec `paternitas' est species specialissima.

Et ideo forte non est aliquod nomen impositum illi praedicamento, nisi aequivocum, quod significat aequivoce tam res quae significantur per nomina inferiora relativa quam ipsa nomina relativa.

Unde relatio significat et haec et illa, et ideo in uno sensu est haec vera `pater est relatio' et similiter ista `Sortes est relatio', sicut haec est vera `Sortes est pater', et in alio sensu haec est falsa ` Sortes est relatio'.

Habet etiam ista regula instantiam de speciebus tam connotativis quam relativis, quia non sequitur `Sortes est pater, igitur Sortes non est filius', nec sequitur `Sortes est linea, igitur Sortes non est superficies', secundum principia Aristotelis loquendo.

Alia regula est: ab affirmativa de uno genere ad negativam de alio genere non subalterno est bona consequentia; sicut sequitur ` Sortes est corpus animatum, igitur Sortes non est corpus inanimatum'.

Sciendum est quod ista regula non est generaliter vera, sed tantum est vera quando unum genus universaliter removetur ab alio. Quando autem unum genus praedicatur de alio, quamvis particulariter solum, non valet consequentia, quia non est inconveniens idem contineri sub diversis generibus.

Et ideo non sequitur `Sortes est substantia, igitur Sortes non est quantitas', secundum principia Aristotelis.

Et si dicatur quod secundum Philosophum, I Posteriorum, haec est immediata `nulla substantia est quantitas', et universaliter quaelibet negativa in qua removetur unum praedicamentum ab alio est immediata, dicendum quod Aristoteles falso allegatur in illo passu, quia non facit ibidem mentionem nec de substantia nec de quantitate nec de aliquibus praedicamentis, sed tantum docet quae negativa est immediata.

Pro tota parte praecedente est notandum primo quod omnes praedictae regulae intelligendae sunt quando omnes termini supponunt personaliter et significative, quia si termini supponerent materialiter vel simpliciter, non tenerent.

Secundo notandum quod multae regulae quae ponuntur deservire consequentiis ex omnibus affirmativis, deserviunt etiam consequentiis ex affirmativa et negativa et e converso.

Sciendum etiam quod multae regulae de praedictis non tenent in propositionibus de praeterito et de futuro; sicut non sequitur `Sortes fuit albus, igitur Sortes non fuit niger', nec sequitur `Sortes fuit sanus, ergo Sortes non fuit aeger'.

Et ita de multis aliis, quas longum esset pertractare.

3—3. 10. DE REGULIS DESERVIENTIBUS CONSEQUENTIIS EX PROPOSITIONIBUS DE MODO; ET PRIMO QUANDO TAM ANTECEDENS QUAM CONSEQUENS SUNT DE EODEM MODO

Visum est de regulis deservientibus consequentiis ex propositionibus de inesse, nunc videndum est de quibusdam regulis deservientibus consequentiis ex propositionibus de modo. Et primo, quando tam antecedens quam consequens sunt de eodem modo; secundo, quando altera propositionum est de modo et altera de inesse; tertio, quando una est de uno modo et alia de alio modo.

Circa primum primo dicendum est de consequentiis ex propositionibus de necessario, circa quas est una regula talis: ab inferiori ad superius sine distributione tam a parte subiecti quam a parte praedicati affirmative est bona consequentia; sicut

sequitur `Sortes de necessitate est animal, igitur Sortes de necessitate est substantia'; `homo de necessitate est substantia, igitur animal de necessitate est substantia'.

Sciendum quod fere omnes regulae praedictae et prius positae sunt intelligendae circa propositiones de necessario quando sumuntur in sensu divisionis. Veritatem etiam habent circa propositiones de necessario quando sumuntur in sensu compositionis, si sint consequentiae simplices ex illis de inesse.

Si autem sint consequentiae ut nunc, non oportet quod teneant. Et ideo quamvis sequatur `omne ens est in actu, igitur omnis homo est in actu', non tamen sequitur `omne ens esse in actu est necessarium, ergo omnem hominem esse in actu est necessarium'; ita quod consequentia ex illis de inesse est bona ut nunc, illa vero ex necessariis correspondentibus nec est simplex nec ut nunc.

Sciendum est etiam quod quamvis a superiori sine distributione ad inferiora sub disiunctione sit bona consequentia arguendo a parte subiecti, non tenet tamen talis consequentia arguendo a parte praedicati.

Unde bene sequitur `corpus de necessitate est coloratum, igitur hoc corpus de necessitate est coloratum vel illud corpus vel illud' et sic de singulis. Non tamen sequitur formaliter `corpus de necessitate est coloratum, igitur corpus de necessitate est album vel corpus de necessitate est nigrum', et sic de singulis.

Sicut, secundum opinionem Aristotelis, non sequitur `materia de necessitate est sub forma, ergo materia de necessitate est sub hac forma vel materia de necessitate est sub illa forma', et sic de singulis.

Verumtamen talis consequentia semper vel frequenter bona est secundum veritatem, nisi praedicatum aequivaleat in significando duobus contradictoriis. Et ex isto patet quod praedicatum in tali particulari de necessario supponit confuse tantum, quia scilicet non contingit descendere ad inferiora nec per disiunctivam nec per copulativam.

Circa consequentias ex una de necessario, sumpta in sensu compositionis vel ei aequivalente, et alia de necessario, sumpta in sensu divisionis vel ei aequivalente, est sciendum quod semper ab illa de necessario in sensu compositionis vel aequivalente ei ad aliam de necessario in sensu divisionis vel ei aequivalente est bona consequentia et e converso, si tam antecedens quam consequens sit singulare de subiecto quod sit nomen proprium, vel de subiecto quod sit praecise pronomen demonstrativum.

Sicut bene sequitur `Sortes de necessitate est homo, ergo haec est necessaria: Sortes est homo' et e converso; similiter bene sequitur `hoc de necessitate est animal, — quocumque demonstrato —, igitur haec est necessaria: hoc est animal' et e converso.

Sed si antecedens sit universale vel particulare vel de subiecto composito ex pronomine demonstrativo et termino communi, non valet consequentia; sicut non sequitur `omnis homo de necessitate est Deus, igitur haec est necessaria: omnis homo est Deus'; nec sequitur `haec est necessaria: omne verum est verum, igitur omne verum de necessitate est verum'.

Ita etiam ex particularibus non sequitur; sicut non sequitur `iste creans de necessitate est Deus, ergo haec est necessaria: iste creans est Deus'.

Tamen in isto ultimo casu bene sequitur e converso. Bene enim sequitur `ista est necessaria: iste creans est Deus, igitur iste creans de necessitate est Deus'.

Et hoc semper est verum, arguendo ex affirmativis. Si enim argueretur ex negativis, non valeret consequentia. Non enim sequitur `haec est necessaria: hoc album non est nigrum, igitur hoc album de necessitate non est nigrum'. Circa illas de possibili est sciendum quod singularis de subiecto quod est nomen proprium vel praecise pronomen demonstrativum, sumpta in sensu divisionis infert illam de possibili sumptam in sensu compositionis et e converso; sicut bene sequitur `haec est possibilis: Sortes est albus, igitur Sortes potest esse albus', et e converso. Similiter sequitur `hoc potest esse nigrum, igitur haec est possibilis: hoc est nigrum', et e converso.

Sed si subiectum illarum propositionum fuerit terminus communis vel pronomen demonstrativum cum termino communi, tunc subiectum in illa de possibili, sumpta in sensu divisionis vel aequivalente sibi, vel stat pro eo quod est vel pro eo quod potest esse.

Si pro eo quod est, tunc praedicatum vel est terminus communis, vel pronomen demonstrativum solum, vel nomen proprium, vel pronomen demonstrativum cum termino communi.

Si praedicatum sit terminus communis vel pronomen demonstrativum cum termino communi sive nomen proprium, non valet consequentia ab una ad aliam; sicut non sequitur `hoc album potest esse nigrum, igitur haec est possibilis: hoc album est nigrum'.

Nec sequitur `haec est possibilis: hoc album est Sortes, igitur hoc album potest esse

Sortes', propter falsam implicationem in consequente. Multo magis si praedicatum esset terminus communis vel sumptus cum termino communi, non valeret consequentia.

Si autem stet pro eo quod potest esse, ab illa in sensu divisionis ad aliam in sensu compositionis non valet consequentia; sicut non sequitur `album potest esse nigrum, igitur haec est possibilis: album est nigrum'.

Sed e converso, ex indefinita sequitur indefinita et ex singulari sequitur singularis, sed ex universali non sequitur universalis; bene enim sequitur `haec est possibilis: album est dulce, ergo aliquid quod potest esse album, potest esse dulce'.

Ista consequentia patet; nam sequitur `haec est possibilis: album est dulce', ergo duae propositiones sunt possibiles in quibus de pronomine demonstrante idem praedicantur ista duo `album' et `dulce'; et ultra: igitur duae de possibili habentes idem subiectum, scilicet idem pronomen demonstrans idem pro subiecto, sumpto in sensu divisionis, sunt verae, puta tales duae `hoc potest esse dulce', `hoc potest esse album'.

Quia sicut dictum est, illa de possibili habens pro subiecto pronomen demonstrativum praecise, sumpta in sensu compositionis, infert illam de possibili in sensu divisionis; igitur istae duae `haec est possibilis: hoc est dulce', `haec est possibilis: hoc est album' inferunt istas duas `hoc potest esse dulce', `hoc potest esse album'.

Nunc autem sequitur `hoc potest esse dulce, hoc potest esse album, igitur album potest esse dulce', sumpto subiecto pro eo quod potest esse; igitur a primo ad ultimum sequitur `haec est possibilis: album est dulce, igitur album potest esse dulce'.

Sed universalis non infert universalem; non enim sequitur `haec est possibilis: omne album est homo, ergo omne quod potest esse album potest esse homo'. Nec potest talis consequentia probari, sicut praecedens, eo quod per syllogismum expositorium quamvis inferatur indefinita particularis vel singularis, non tamen universalis.

Circa propositiones de contingenti sciendum est quod illa de contingenti sumpta in sensu compositionis et illa sumpta in sensu divisionis convertuntur si subiectum sit pronomen demonstrativum vel nomen proprium; sicut istae convertuntur `hoc contingit esse album' et `haec est contingens: hoc est album'.

Sed si subiectum sit terminus communis vel includens terminum communem vel participium, non oportet; non enim sequitur `haec est contingens: hic creans est Deus; igitur hunc creantem contingit esse Deum'.

Nec sequitur e converso `hoc album contingit esse nigrum, igitur haec est contingens: hoc album est nigrum'. Ex quo patet quod differentia est inter illas de contingenti et illas de possibili quantum ad consequentias inter eas.

Nam illa de possibili habens pro subiecto terminum communem vel includens terminum communem vel participium, sumpta in sensu compositionis, infert illam de possibili in sensu divisionis.

Sed sic non contingit in illis de contingenti.

Non enim sequitur `haec est contingens: Deus est creans; igitur quod contingit esse Deum contingit esse creantem'; nec etiam sequitur `ergo quod est Deus, contingit esse creans'. Circa illas de impossibili est sciendum quod quando subiectum est pronomen demonstrativum vel nomen proprium, illa in sensu compositionis et <illa> in sensu divisionis aequipollent; sicut istae aequipollent `haec est impossibilis: hoc est album' et `hoc non potest esse album'.

Sed si subiectum sit terminus communis vel includens terminum communem vel participium, non aequipollent; unde non sequitur `haec est impossibilis: album est nigrum, ergo album non potest esse nigrum'.

Nec sequitur `album non potest esse homo, igitur haec est impossibilis: album est homo'. Tamen sciendum quod quando accipitur aliqua de impossibili in qua negatur modus possibilitatis, sicut hic `album non potest esse nigrum', si sumatur in sensu divisionis, si subiectum suum non sit pronomen demonstrativum tantum nec proprium nomen, illa propositio est distinguenda, eo quod subiectum potest accipi pro eo quod est vel pro eo quod potest esse. Si primo modo, sic nec universalis infert universalem nec particularis particularem nec singularis singularem; si secundo modo, particularis non infert particularem, sed universalis infert universalem. Unde non sequitur `aliquid, quod potest esse album, non potest esse homo, igitur haec est impossibilis: album est homo; sed bene sequitur `omne, quod potest esse album, non potest esse homo, igitur haec est impossibilis: omne album est homo'.

Circa alias modales est sciendum quod quando subiectum est pronomen demonstrativum vel nomen proprium, illa in sensu compositionis et illa in sensu divisionis convertuntur; sicut istae convertuntur `hoc est per se animal' et `haec est per se: hoc est animal'; et istae `hoc scitur esse album' et `haec est scita: hoc est album'; et istae `hoc creditur esse asinus' et `haec est credita: hoc est asinus'.

Sed si subiectum sit terminus communis vel includens terminum communem tamquam partem vel participium, non convertuntur. Unde istae non convertuntur `album scitur esse homo' et `haec est scita: album est homo'; nec istae `album per se aedificat' et `haec est per se: album aedificat'; nec istae `album creditur esse homo vel Sortes' et `haec est credita: album est homo vel Sortes'.

Similiter istae non convertuntur `creans scitur esse Deus' et `haec est scita: creans est Deus', nam semper de istis una est vera et altera falsa.

Et ratio omnium istorum dicta est prius, videlicet quod per propositionem de modo sumptam in sensu divisionis et per sibi aequivalentem non denotatur quod ille modus verificetur de sua praeiacente, sed quod verificetur de alia propositione in qua praedicatum praedicatur et pronomen demonstrativum vel nomen proprium subicitur et hoc verbum `est' sit tertio adiacens. Sicut per istam `creans de necessitate est Deus', — sumpta in sensu divisionis —, non denotatur quod sua praeiacens, scilicet ista `creans est Deus', sit necessaria, sed denotatur quod haec sit necessaria `hoc est Deus', denotando illud pro quo `creans' supponit in ista `creans

de necessitate est Deus'. Et similiter per istam `album per se aedificat' non denotatur quod sua de inesse, scilicet ista `album aedificat' sit per se, sed quod aliqua talis sit per se `hoc aedificat', denotando aliquid pro quo `album' supponit in ista `album per se aedificat'. Ex istis et praedictis patet quod tales sunt concedendae, secundum principia Aristotelis, `homo de necessitate est Deus', `album per se aedificat', `creans scitur esse Deus' et huiusmodi, si tales sint verae `Filius Dei de necessitate est Deus', `aedificator per se aedificat', `Deus scitur esse Deus'; et hoc quia subiecta istarum et illarum supponunt pro eisdem, et ideo dum supponunt pro eisdem, si istae sunt verae, illae erunt verae et e converso. Et hoc quia de tota propositione in qua praedicatur praedicatum unius et alterius de pronomine demonstrante illud pro quo subiectum supponit, verificatur talis modus, quia eadem est illa propositio, quamvis aliae sint diversae. Dicunt tamen aliqui quod ista est falsa `homo de necessitate est Deus', quia per talem de necessario implicatur quod aliquid sit necessario homo; et hoc est falsum, et ideo ista est falsa: Similiter per istam `album scitur esse homo' implicatur quod aliquid scitur esse album: Sed illud non est bene dictum, quia tales modi, eo quod sequuntur subiecta, non implicant subiecta dici de aliquo cum tali modo, sicut nec iste modus `contingenter' nec iste modus `per accidens', et sic de aliis. Et ideo sicut per istam `Deus contingenter creat' non implicatur quod aliquid sit contingenter Deus et quod illud creat, nec per istam `Deus per accidens creat' implicatur quod aliquid sit per accidens Deus et quod ille per accidens creat, sed praecise ponitur quod aliquid sit Deus et ille contingenter vel per accidens creat; ita per istam `homo de necessitate est Deus' non denotatur nisi quod aliquis sit homo et quod ille de necessitate est Deus. Et hoc verum est. Similiter per istam `album scitur esse homo' non denotatur nisi quod aliquid sit album et quod illud sciatur esse homo, quod poterit esse verum, quamvis nesciatur illud esse album. Et sub isto sensu concessum est prius quod tales sunt verae `tres personae sciuntur esse Deus', quia scilicet aliquid, puta Deus, est tres personae, et illud scitur esse Deus, quamvis nesciatur illud esse `tres personae'. Eodem modo est de ista `Pater scitur esse immortalis', quia scilicet hoc est Pater, demonstrando Deum, et hoc scitur esse immortale.

3–3. 11. DE REGULIS PER QUAS TENENT CONSEQUENTIAE EX UNA DE INESSE ET ALIA DE MODO

Circa consequentias ex una de inesse et alia de modo est primo sciendum quod illa de necessario, sive sumatur in sensu compositionis sive in sensu divisionis, semper infert illam de inesse; sed non e converso, nisi forte aliquando gratia materiae.

Circa illas de possibili est primo sciendum quod illa de possibili, sive sumatur in sensu divisionis sive in sensu compositionis, non infert suam de inesse. Non enim sequitur `haec est possibilis: homo est albus, igitur homo est albus'; nec sequitur `homo potest esse albus, igitur homo est albus'.

Sed illa de inesse semper infert suam de possibili, quia sequitur `Sortes est albus, igitur haec est possibilis: Sortes est albus'; et similiter `igitur Sortes potest esse

albus'. Et hoc est verum, sive subiectum consequentis sumatur pro eo quod est sive pro eo quod potest esse.

Circa propositiones de contingenti est sciendum quod si illa de contingenti sumatur in sensu compositionis vel aliqua aequivalens ei, non infert suam de inesse nec e converso. Non enim sequitur `haec est contingens: Sortes est albus, ergo Sortes est albus'; nec sequitur `Deus est immortalis, ergo haec est contingens: Deus est immortalis'.

Similiter si sumatur in sensu divisionis, non infert suam de inesse nec e converso.

Non enim sequitur `contingit Sortem esse album, igitur Sortes est albus'; nec sequitur `Deus est immortalis, igitur contingit Deum esse immortalem'. Circa illas de impossibili est sciendum quod illa de impossibili in sensu compositionis non infert suam de inesse sed semper contradictoriam suae de inesse; sicut non sequitur `omnem hominem esse asinum est impossibile, igitur omnis homo est asinus', sed sequitur `ergo aliquis homo non est asinus'.

Illa autem de inesse non infert illam de impossibili. Similiter illa de impossibili, si sumatur in sensu divisionis et modus possibilitatis sit negatus, infert suam de inesse et non e converso; sicut sequitur `homo non potest esse asinus, ergo homo non est asinus', sed non e converso. Si autem ponatur ibi `impossibile' vel eius adverbium, non infert suam de inesse sed contradictoriam ipsius. Sicut non sequitur `Sortem esse asinum est impossibile, igitur Sortes est asinus', nec sequitur `Sortes impossibiliter est asinus, igitur Sortes est asinus', sed magis sequitur `ergo Sortes non est asinus'. E converso autem non sequitur, sicut manifeste patet. Circa alias modales sciendum quod raro vel numquam illae de inesse inferunt illas de modo; sicut non sequitur `homo est albus, ergo homo per se est albus'; `homo est albus, ergo homo scitur esse albus'; `homo est animal, igitur homo per accidens est animal'. Tamen frequenter illae de modo inferunt illas de inesse; sicut sequitur `homo per se est animal, igitur homo est animal'; `album scitur esse homo, igitur album est homo'.

Et sic de multis aliis. Aliquae tamen non inferunt suas de inesse; sicut non sequitur `Sortes creditur esse albus, igitur Sortes est albus'; nec sequitur `Sortes opinatur hominem esse album, igitur homo est albus'. Ad sciendum autem quando talis consequentia est bona et quando non, utendum est ista regula: quia si sit talis modus qui non potest competere nisi propositioni verae, consequentia est bona ab illa de modo ad suam de inesse. Si autem sit talis modus qui possit competere propositioni falsae, consequentia ab illa de modo ad suam de inesse non valet.

Huiusmodi sunt tales: creditum, opinatum, concessum, dubitatum et huiusmodi.

3—3. 12. DE REGULIS PER QUAS TENENT CONSEQUENTIAE FACTAE EX PROPOSITIONIBUS DIVERSORUM MODORUM

Post haec videndum est de consequentiis ex propositionibus diversorum modorum. Unde sciendum est primo quod illa de necessario semper infert illam de possibili, ita scilicet quod ambae sumantur in sensu compositionis vel ambae in sensu divisionis vel aequivalentes talibus.

Unde bene sequitur `omnem hominem esse animal est necessarium, ergo omnem hominem esse animal est possibile'. Similiter bene sequitur `omnis homo de necessitate est animal, igitur omnis homo potest esse animal'; sed e converso non sequitur, sicut non sequitur `omnis homo potest esse albus, igitur omnis homo de necessitate est albus'.

Secundo sciendum quod illa de necessario non infert illam de contingenti, modo contingentiae remanente affirmato, nec e converso, sed infert contradictoriam illius de contingenti; sicut bene sequitur `omnis homo de necessitate est animal, igitur non contingit omnem hominem esse animal'.

Similiter bene sequitur `omnem hominem esse animal est necessarium, igitur omnem hominem esse animal non est contingens'. Sed non sequitur e converso; non enim sequitur `omnem hominem esse asinum non est contingens, igitur omnem hominem esse asinum est necessarium'; nec sequitur `non contingit Deum esse albedinem, igitur Deus de necessitate est albedo'.

Tertio sciendum quod illa de necessario infert contradictoriam illius de impossibili; sicut sequitur `omnis homo de necessitate est animal, igitur omnis homo non impossibiliter est animal'.

Similiter bene sequitur `omnem hominem esse animal est necessarium, ergo non est impossibile omnem hominem esse animal'; sed e converso non sequitur. Quarto sciendum quod multae propositiones de aliis modis inferunt illas de necessario et non e converso; sicut sequitur `omnem hominem esse risibilem est demonstrabile, igitur omnem hominem esse risibilem est necessarium'.

Aliquae autem inferuntur ex illis de necessario et non e converso; sicut sequitur `omnem hominem esse animal est necessarium, igitur omnem hominem esse animal est scibile', large accipiendo `scibile'.

Aliquae autem non inferuntur ex illis de necessario nec inferunt eas; sicut non sequitur omnem hominem esse animal est necessarium, igitur omnem hominem esse animal est evidenter notum a te', nec etiam sequitur e converso, ut patet.

Circa propositiones de possibili est notandum quod illa de possibili non infert illam de contingenti sed e converso. Bene enim sequitur `contingit Sortem esse album, igitur Sortes potest esse albus', et non e converso, quia non sequitur `possibile est Deum esse, igitur contingit Deum esse'.

Et non solum illa de contingenti infert unam de possibili sed etiam duas, scilicet affirmativam et negativam. Sed e converso non sequitur: non enim sequitur `homo potest esse Deus, igitur contingit hominem esse Deum'.

Secundo notandum quod illa de possibili infert oppositum illius de impossibili; sicut sequitur `hominem currere est possibile, igitur hominem currere non est impossibile'; et e converso etiam sequitur `hominem currere non est impossibile, igitur hominem currere est possibile'.

Tertio notandum quod omnis propositio in qua ponitur aliquis modus qui non potest competere nisi propositioni verae, infert illam de possibili; sicut sequitur `omnem hominem esse animal est scitum, igitur omnem hominem esse animal est possibile'.

Sed e converso non sequitur, nisi aliquando gratia materiae.

Si autem talis modus possit competere propositioni falsae, tunc non infert illam de possibili, quamvis aliquando sequatur e converso. Unde non sequitur `intellectum non esse animam intellectivam est opinabile, igitur intellectum non esse animam intellectivam est possibile'; sed e converso bene sequitur, quia omne possibile est opinabile. Ad videndum autem quando tales consequentiae sunt bonae et quando non, videndum est quo modo tales modi se habent ad invicem secundum praedicationem: utrum videlicet tales propositiones sint verae vel falsae `omne necessarium est possibile'; `omnis propositio scita est propositio possibilis'; `omnis propositio demonstrata est propositio possibilis'; `omnis propositio credita est propositio possibilis'; `nulla propositio impossibilis est propositio possibilis'; `nulla propositio per se nota est propositio demonstrabilis'; `nulla propositio per se est propositio per accidens'; et sic de consimilibus.

Unde regulariter a propositione de uno modo ad propositionem de alio est semper bona consequentia quando modus consequentis praedicatur de modo antecedentis universaliter sumpto.

Similiter, numquam talis consequentia valet quando modus consequentis non praedicatur universaliter de modo antecedentis. Similiter, semper a propositione de uno modo ad propositionem de alio modo negato est bona consequentia quando modus consequentis universaliter removetur a modo antecedentis.

Unde ista consequentia est bona `omnem hominem currere est necessarium, igitur omnem hominem currere non est contingens', quia ista propositio est vera `nulla propositio necessaria est propositio contingens'.

Hic tamen advertendum est quod semper oportet quod ambae propositiones ex talibus propositionibus modalibus sint sumptae in sensu compositionis vel eis aequivalentes, vel quod ambae sumantur in sensu divisionis vel eis aequivalentes.

Et ex istis potest elici quid dicendum est de consequentiis ex talibus propositionibus modalibus. Notandum quod omnes regulae supra positae de modalibus intelligendae sunt quando omnes termini supponunt personaliter et significative, quia si acciperentur materialiter vel simpliciter non tenerent praedictae regulae.

Ut autem habeatur completus tractatus de istis modalibus, dicendum est aliquid de aequipollentiis earum.

3–3. 13. DE COMPARATIONE MODORUM AD INVICEM

Quia circa propositionum modalium aequipollentias et repugnantias sunt variae difficultates, ideo ad istius negotii completionem est de eis breviter tractandum.

Oportet autem scire quod modorum quidam sunt repugnantes, quidam sunt secundum superius et inferius se habentes, quidam sunt disparati. Repugnantes sunt sicut necessarium et impossibile, possibile et impossibile, necessarium et contingens ad utrumlibet, contingens ad utrumlibet et impossibile, necessarium et inopinabile, demonstrabile et indemonstrabile, et tales multi.

Secundum superius et inferius se habentes sunt sicut necessarium et possibile; nam omne necessarium est possibile, et non e converso. Similiter contingens et possibile; nam omne contingens est possibile, et non e converso. Similiter se habent necessarium et scibile, et necessarium et demonstrabile.

Disparati sunt sicut possibile et dubitabile et huiusmodi. Secundo notandum est quod modorum repugnantium quidam sunt immediati, ita quod de qualibet propositione verificatur alter eorum; sicut se habent possibile et impossibile, quia omnis propositio est possibilis vel impossibilis.

Quidam sunt mediati, sicut necessarium et impossibile; nam impossibile est quod aliqua propositio, saltem non multiplex, simul et semel sit necessaria et impossibilis, et tamen aliqua propositio nec est necessaria nec impossibilis.

Tertio oportet scire quod quandoque unus modus repugnat pluribus modis; sicut contingens repugnat tam necessario quam impossibili, quia propositio contingens ad utrumlibet nec est necessaria nec impossibilis.

Similiter necessarium repugnat tam contingenti quam impossibili.

Quarto oportet scire quod modorum quidam sunt simpliciter affirmativi, sicut necessarium, possibile, scibile, demonstrabile et huiusmodi. Quidam sunt simpliciter negativi, sicut impossibile, quia impossibile idem est quod non possibile.

Similiter est de inopinabili et indemonstrabili et huiusmodi. Quidam nec sunt simpliciter affirmativi nec simpliciter negativi, sed quasi aequivalenter sunt affirmativi

et negativi, pro quanto simpliciter negant unum modum affirmativum et alium simpliciter inferunt; sicut est de contingenti, nam contingens repugnat necessario et absolute infert possibile. Unde `contingens' aequivalet isti `propositio possibilis non necessaria'. Quinto sciendum est quod in modalibus quaedam sunt propositiones simpliciter primae, quarum aequipollentiae non sunt quaerendae; et sunt omnes propositiones in quibus ponuntur modi simpliciter affirmativi vel non simpliciter affirmativi, tamen non negativi, et de quarum praeiacentibus non est quaerenda aequipollentia.

Cuiusmodi sunt tales `possibile est omnem hominem currere'; `possibile est nullum hominem currere': `possibile est aliquem hominem currere'; `possibile est aliquem hominem non currere'.

'Necesse est omne ens esse in actu'; `necesse est nullum ens esse in actu'; `necesse est aliquod ens esse in actu'; `necesse est aliquod ens non esse in actu'. `Non contingit omnem hominem currere'; `contingit nullum hominem currere'; `contingit aliquem', `contingit aliquem non', et sic de aliis.

De aliis autem propositionibus modalibus quaerendae sunt earum aequipollentiae.

Unde de omni propositione in qua ponitur iste modus `impossibile' quaerendum est cui aequipollet. Sexto oportet scire quod in propositione cuius quaeritur aequipollentia quandoque modus affirmatur et quandoque negatur; sicut patet in istis `necesse est nullum hominem non currere'; `non necesse est nullum hominem currere'.

3—3. 14. DE AEQUIPOLLENTIIS PROPOSITIONUM IN QUIBUS PONITUR ISTE MODUS `NECESSARIUM'

Istis praemissis, tamquam quibusdam praeambulis, videndum est de aequipollentiis istarum propositionum. Et causa brevitatis tantum dicendum est de modalibus famosis, quia ex istis potest studiosus conicere quid de aliis est dicendum.

Primo autem videndum est de propositione in qua ponitur iste modus `necessarium'. De qua dicendum est quod negatio aut non negat modum aut negat modum.

Si primo modo, semper talis propositio aequivalet alicui primae de necessario, quia in tali casu, retento eodem modo, dicendum est consimiliter de aequipollentia illius et de aequipollentia suae de inesse.

Unde sicut ista `non omne animal est homo' aequipollet isti `aliquod animal non est homo', ita ista `necesse est non omne animal esse hominem' aequivalet isti `necesse est aliquod animal non esse hominem'.

Et ita est generaliter de omnibus talibus. Si autem modus necessitatis negetur et etiam signum, si habeat signum, tunc modus negatus mutandus est in modum quem infert, scilicet in possibile affirmatum et residuum in contradictorium; sicut ista `non necesse est omne animal esse hominem' aequipollet isti `possibile est aliquod animal non esse hominem'. Si autem modus negetur et non signum, solum modus mutabitur in possibile affirmatum; unde ista `nullus homo de necessitate est animal' aequipollet isti `omnis homo potest non esse animal'. Et ideo non est quaerendum cui aequipollet ista `omnis homo de necessitate non est animal', sed cui aequipollet ista `nullus homo de necessitate est animal'.

Et est dicendum sicut nunc dictum est. Et hoc, quia istae aequipollent `omnis homo de necessitate non est animal' et `necesse est nullum hominem esse animal'; ista autem `non omnis homo de necessitate est animal' aequivalet isti `aliquis homo potest non esse animal'. Et ita est de aliis. Et sicut dictum est de propositionibus de necessario respectu propositionum de possibili, ita est dicendum, proportionaliter, de propositionibus de possibili respectu propositionum de necessario. Nam quando modus possibilitatis remanet affirmatus, non est mutandus modus, sed quantum ad residuum accipienda est proportionaliter aequipollentia sicut in illis de inesse.

Unde ista `possibile est non omnem hominem esse animal' aequipollet isti `possibile est aliquem hominem non esse animal'. Quando autem tam signum quam modus negatur, tunc modus possibilitatis mutandus est in modum necessitatis et reliquum in contradictorium, sicut sua de inesse.

Unde ista `non est possibile omne animal esse hominem' aequivalet isti `necesse est aliquod animal non esse hominem'. Quando autem signum non negatur sed tantum modus possibilitatis, tunc praecise mutandus est modus possibilitatis in modum necessitatis et non signum universale in signum particulare, nec e converso.

Sicut ista `nullus homo potest esse animal' aequipollet isti `omnis homo de necessitate non est animal'. Et tunc, quamvis modus universalis non mutetur in modum particularem nec e converso, tamen modus universalis negativus mutandus est in modum universalem affirmativum, non negatum sed affirmatum, sicut patet in exemplo proposito.

Ex istis faciliter patere possunt aequipollentiae propositionum in quibus ponuntur isti modi

'necessarium', `possibile'. Ex quibus etiam faciliter patere potest quae propositiones repugnant, scito quae propositiones primae repugnant et quae non.

Unde sciendum est quod istae propositiones `omnis homo de necessitate est animal', `omnis homo de necessitate non est animal' repugnant contrarie, sicut istae `necesse est omnem hominem esse animal', `necesse est nullum hominem esse animal'.

Istae etiam sunt repugnantes `omnis homo de necessitate est animal', `aliquis homo de necessitate non est animal'; non tamen proprie contrarie, eo quod non utraque est universalis.

Nec sunt contradictoriae, quia possunt simul esse falsae; et ita plus conveniunt cum contrariis, eo quod possunt simul esse falsae, sed non possunt simul esse verae. Eodem modo dicendum est de istis `omnis homo de necessitate non est animal', `aliquis homo de necessitate est animal'.

Istae autem propositiones `omnis homo de necessitate est animal', `aliquis homo potest non esse animal' sunt contradictoriae. Et similiter istae `omnis homo de necessitate non est animal', `aliquis homo potest esse animal'.

Istae autem propositiones `omnis homo potest esse animal' `omnis homo potest non esse animal' non repugnant. Nec istae `omnis homo potest non esse animal', `aliquis homo potest esse animal'.

Nec istae `omnis homo potest esse animal', `aliquis homo potest non esse animal'. Sed istae contradicunt `omnis homo potest esse animal', `aliquis homo de necessitate non est animal'; et similiter `omnis homo potest non esse animal' et `aliquis homo de necessitate est animal'.

3—3. 15. DE OPPOSITIONE ET CONTINGENTIA PROPOSITIONUM DE CONTINGENTI

Circa propositiones de contingenti oportet primo scire quod istarum propositionum `contingit omnem hominem esse animal', `contingit omnem hominem non esse animal', `contingit aliquem hominem esse animal', `contingit aliquem hominem non esse animal' non est quaerenda aequipollentia, eo quod sunt primae.

Possunt tamen tales propositiones exponi, quia quaelibet illarum aequivalet uni copulativae ex duabus propositionibus de possibili; sicut ista `contingit omnem hominem esse animal' aequivalet isti `possibile est omnem hominem esse animal et possibile est nullum hominem esse animal'.

Et ita est de aliis. Et ideo semper negativa et affirmativa de contingenti, modo contingentiae remanente affirmato, convertuntur; sicut istae duae `contingit omnem hominem esse animal', `contingit nullum hominem esse animal' convertuntur. Et sic de aliis. Et ex istis faciliter potest sciri aequipollentia propositionum de contingenti. Sicut enim ipsa aequivalet uni copulativae, ita sua repugnans aequivalet uni disiunctivae compositae ex repugnantibus partibus illius copulativae. Et ideo inquirendo aequipollentiam propositionis de contingenti, resolvenda est illa in unam copulativam ex duabus de possibili; quo facto videndum est cui aequipollet una pars et alia, et ex illis formanda est una disiunctiva cui aequipollebit illa de contingenti. Hoc tamen non est faciendum nisi quando modus contingentiae est negatus. Verbi gratia si accipiatur ista `non contingit omne animal esse hominem', ista affirmativa

'contingit omne animal esse hominem' resolvenda est in istam copulativam cui aequivalet `omne animal potest esse homo et omne animal potest non esse homo' et utrique illarum praeponenda est negatio sub disiunctione, sic `non omne animal potest esse homo vel non omne animal potest non esse homo'.

Et accipienda est aequipollens isti disiunctivae per regulam datam in praecedenti capitulo, scilicet ista `necesse est aliquod animal non esse hominem vel necesse est aliquod animal esse hominem'.

Et ista ultima disiunctiva aequipollebit isti `non contingit omne animal esse hominem'. Eodem modo ista, per easdem regulas, `nullus homo contingenter est animal' aequipollebit isti de disiuncto praedicato `omnis homo de necessitate est animal vel de necessitate non est animal'.

Non enim in isto casu potest aequipollere disiunctivae, sicut patet de ista `nulla persona divina contingenter est Pater'; sed aequipollebit uni universali de disiuncto praedicato, ita tamen quod in utraque parte disiuncti addatur modus necessitatis.

Quando autem dictum propositionis de contingenti vel aequivalens ei mutatur in contradictorium, tunc particularis aequipollebit uni disiunctivae; et hoc, quia propositio particularis et indefinita disiunctiva et de disiuncto praedicato convertuntur.

Oportet autem scire quod quando modus contingentiae est affirmatus, accipienda est aequipollentia servato eodem modo ex parte residui, et eodem modo proportionaliter sicut dictum est de praecedentibus.

Unde ista `contingit non omnem hominem currere' aequipollet isti `contingit aliquem hominem currere', et sic de aliis.

3—3. 16. DE AEQUIPOLLENTIA PROPOSITIONUM DE IMPOSSIBILI

Circa propositiones de impossibili est primo sciendum quod nulla earum est prima, quia quaelibet illarum aequipollet opposito alicuius propositionis de possibili, et ideo de qualibet quaerendum est cui aequipolleat.

Et cum dictum sit quod `impossibile' aequivalet isti `non possibile', faciliter potest sciri per praedicta cui aequipollet propositio de impossibili, ponendo `non possibile' loco istius modi `impossibile'.

Est igitur sciendum quod quandoque iste modus est affirmatus, ita scilicet quod negatio non negat eum; sicut hic `impossibile est omne animal esse hominem', `impossibile est aliquod animal esse hominem'.

Quandoque autem est negatus per aliam negationem, sicut hic `non impossibile est omne animal esse hominem', `non impossibile est omnem hominem currere'. In

primo casu, quando scilicet nulla negatio negat modum impossibilitatis, tunc illa de impossibili aequipollet uni de necessario, sicut illa de possibili, in qua modus negatur, aequipollet uni de necessario.

Unde ista `impossibile est omne animal esse hominem' aequipollet isti `necesse est aliquod animal non esse hominem'; et ista `impossibile est nullum animal esse hominem' aequipollet isti `necesse est aliquod animal esse hominem'; et ista `impossibile est aliquod animal esse hominem' aequipollet isti `necesse est nullum animal esse hominem'; et ista `impossibile est aliquod animal non esse hominem' aequipollet isti `necesse est omne animal esse hominem'.

Si autem modus impossibilitatis sit negatus, tunc mutabitur modus impossibilitatis in modum possibilitatis; sicut ista `non impossibile est omne animal esse hominem' aequipollet isti `possibile est aliquod animal esse hominem'.

Ex quo enim modus possibilitatis, quando negatur, debet mutari in modum necessitatis, et modus necessitatis, quando negatur, debet mutari in modum possibilitatis affirmatum, necesse est quod impossibile, quando negatur, mutetur in modum possibilitatis.

Per praedicta, et per illam regulam de aequipollentiis propositionum de inesse prae contradic, post contra; prae—post que subalter potest faciliter aequipollentia propositionum modalium sciri.

Et ideo ista de aequipollentis earum sufficiant.

3—3. 17. DE REGULIS DESERVIENTIBUS CONSEQUENTIIS IN QUIBUS ALIQUIS TERMINUS SUPPONIT SIMPLICITER VEL MATERIALITER. ET PRIMO DE REGULIS QUIBUS CONSTRUITUR VEL DESTRUITUR PROBLEMA DE ACCIDENTE

Postquam visum est de aliquibus regulis deservientibus consequentiis ex propositionibus in quibus omnes termini supponunt personaliter et significative, nunc videndum est de consequentiis compositis ex propositionibus in quibus aliquis terminus supponit simpliciter vel materialiter. Et sunt consequentiae inferentes tales conclusiones `album est accidens Sortis', `homo est species talis generis', `risibile est passio hominis', `substantia animata sensibilis est definitio animalis', `canis est aequivocum' et huiusmodi. Primo autem dicendum est de regulis quibus construitur vel destruitur problema de accidente.

Et quia fere tota ista materia patere potest ex praedictis, ideo est brevius transeundum. Est igitur regula generalis talis: illud verificatur contingenter de aliquo, igitur est accidens illius; sicut sequitur `album contingenter verificatur de homine, igitur album est accidens hominis'. Intelligendum est quod ista regula tenet quando talis propositio potest esse vera et falsa, stante propositione vera in qua enuntiatur esse de eodem subiecto. Oportet etiam scire quod hic non accipitur accidens pro illo

quod realiter inhaeret alteri et informat ipsum, sed accipitur pro praedicabili de aliquo, cui tamen non inhaeret nec informat ipsum. Et sic accipiendo accidens, potest concedi quod `creans' est accidens Dei; sicut consimile concedit Anselmus, Monologion, 25. Et similiter `ridens' est accidens hominis. Alia regula est: hoc verificatur de hoc, et non est proprium ipsius, nec genus, nec differentia, nec species, nec definitio, nec aliquid commune omnibus, igitur est accidens eius. Alia quae necessaria sunt sciri de accidente, elici possunt ex prioribus et praecipue ex illis quae dicta sunt in primo tractatu de accidente, ideo ista ad praesens sufficiant.

3—3. 18. DE REGULIS QUIBUS CONSTRUITUR VEL DESTRUITUR PROBLEMA DE GENERE

Post haec videndum est quomodo construitur vel destruitur problema de genere. Et quia Aristoteles istam materiam diffuse tractavit, ideo per suas regulas est discurrendum.

Est igitur prima regula talis: si praedicatum non praedicatur de subiecto universaliter Sumpto, illud praedicatum non est genus illius subiecti; sicut si haec non sit vera `omnis homo est lapis', lapis non est genus hominis.

Notandum est quod de virtute sermonis loquendo, aliquando idem est genus alicuius et aliquando non est genus ipsius. Sicut animal, quando haec est vera `omnis homo est animal', est genus hominis, quando autem haec est falsa `omnis homo est animal', tunc animal non est genus hominis, quia ad hoc quod animal sit genus hominis, oportet quod animal praedicetur de homine universaliter sumpto.

Alia regula est: quod non praedicatur de aliquo in quid, non est genus ipsius; sicut quia hic non est praedicatio in quid `omnis homo est coloratus', quamvis haec sit vera `omnis homo est coloratus', ideo `coloratum' non est genus hominis.

Notandum quod tunc praedicatur aliquid de aliquo in quid, quando omnia quae significant, omnino eodem modo significant; ita scilicet quod in definitione exprimente quid nominis utriusque vel omnia ponuntur in recto vel aliqua in obliquo et aliqua in recto, ita scilicet quod solum differunt in hoc quod unum significat plura et aliud non omnia illa sed aliqua de illis.

Vel si utrumque significet aliqua et similiter connotet aliqua, oportet quod unum significet multa et aliud non omnia illa multa sed aliqua, vel quod illud praedicatum connotet multa et aliud non connotet omnia illa sed aliqua tantum.

Propter hoc nulla talis praedicatio est in quid `omnis homo est albus', quia `album' vel significat vel connotat omnes albedines, et praecise albedines, sed homo non significat nec connotat omnes albedines.

Similiter, ista praedicatio non est in quid `homo est rationalis', quia `rationale' significat in obliquo animam intellectivam, ita quod abstractum per se significans

animam intellectivam debet poni in obliquo in definitione exprimente quid nominis ipsius rationalis, sed non sic ponitur in definitione exprimente quid nominis ipsius hominis, quamvis unum sequatur ex alio.

Et propter ista nulla talis praedicatio est in quid ` omne ens est unum', `omnis homo est risibilis', et sic de aliis. Sed talis praedicatio est in quid `omnis homo est animal', quia homo et animal differunt in hoc quod animal significat omnia animalia, homo autem non significat omnia animalia sed aliqua tantum.

Similiter ista est in quid `album est coloratum', quia coloratum significat omnia subiecta potentia habere colorem, album autem significat omnia subiecta potentia habere albedinem; coloratum autem vel connotat vel significat principaliter omnes colores, sed album non significat omnes colores sed aliquos tantum.

Advertendum est tamen quod non semper requiritur quod illud quod praedicatur in quid de aliquo actualiter significet plura, quia tunc si nullum animal esset nisi homo, hic non esset praedicatio in quid `homo est animal', quod falsum est; sed sufficit quod possit significare plura per solam productionem novarum rerum.

Tertia regula est: illud quod contingit alicui inesse et non inesse, non est genus ipsius.

Unde quia homo est aliquando albus et aliquando non est albus, ideo album non est genus hominis. Notandum est hic quod per `inesse' intelligitur `praedicari'. Unde regula est ista: quando aliquid praedicatur de aliquo contingenter, ita quod aliquando praedicatur et aliquando non praedicatur, ipso tamen quod importatur per subiectum manente actualiter, tunc non est genus ipsius. Unde quia homine exsistente potest haec esse vera `nullus homo est albus', ideo album non est genus hominis.

Quod tamen aliquando aliquid praedicetur de aliquo et aliquando non, propter destructionem omnium rerum importatarum per subiectum, non impedit illud praedicatum esse genus illius; sicut quamvis haec possit esse vera `homo non est animal', quando scilicet nullus homo est, tamen cum hoc stat quod animal sit genus hominis.

Quarta regula est: si aliqua non sint in eadem coordinatione, illa non se habent sicut genus et species, quia in quocumque praedicamento est genus, in eodem est species et e converso.

Notandum quod quamvis de eodem possint praedicari diversa genera diversarum coordinationum et etiam diversa praedicamenta, sicut eadem res est substantia et quantitas, tamen idem non potest esse per se species diversorum generum diversarum coordinationum, hoc est diversorum praedicamentorum, et hoc, quia diversa praedicamenta numquam praedicantur de eodem in quid.

Unde quamvis istae sint verae `homo est substantia', `homo est quantus vel quantitas', tamen una praedicatio est in quid et alia non est in quid, et ideo homo non est species quantitatis, sed est species substantiae.

Et ideo quod dicit Philosophus in Praedicamentis, quod nihil prohibet idem esse in diversis praedicamentis; et in diversis locis dicit quod species non est ad aliquid sed genus, debet intelligi quod nihil prohibet diversa praedicamenta praedicari de eodem et aliquando genus est ad aliquid et species non; non quidem per se species illius generis sed alterius generis, de qua tamen specie illud genus, quod est ad aliquid, praedicatur, et tamen illa species de qua praedicatur non est ad aliquid.

Et per istum modum debent solvi omnes auctoritates quae videntur contrariari. Alia regula est: si aliquid participat aliud et rationem ipsius, illud participans non est genus illius quod participat; sicut quia homo participat animal et definitionem animalis, ideo homo non est genus animalis.

Notandum quod aliquid participare aliud non est aliud nisi quod semper dum esse verificatur de illo, aliud praedicatur universaliter de illo; sicut homo participat rationem animalis, quia necessario dum homo est, haec est vera `omnis homo est animal'.

Et ita `participare' non accipitur hic pro capere partem vel includere illud essentialiter vel tamquam partem essentiae, sed pro vere subici cum signo universali respectu alterius, secundum modum praeexpositum.

Ex praedictis patet quod quamvis haec possit esse vera `omne animal est homo' et ista similiter `omne animal est animal rationale', quia tamen utraque istarum poterit esse falsa dum haec est vera `animal est', ideo animal non participat hominem nec rationem, hoc est definitionem, hominis, et ideo poterit hoc non obstante animal esse genus hominis.

Sexta regula est: quando species assignata praedicatur de aliquo, sive sicut de suo contento sive non, de quo non praedicatur genus assignatum, tunc illud non est genus illius; sicut `opinabile' praedicatur de non—ente et nec ens nec scibile praedicatur de nonente, ideo nec ens nec scibile est genus opinabilis, quia de quocumque praedicatur species de eodem praedicatur genus.

Quod est intelligendum quando in praedicatione exercita omnes termini supponunt personaliter et significative. Septima regula est: si species assignata non participat aliquam specierum assignatarum contentarum sub genere assignato, illud non est genus ipsius; sicut si voluptas nec est generatio nec corruptio, et sic de aliis speciebus motus, motus non est genus voluptatis.

Notandum quod ista regula habet intelligi quando species assignata non immediate continetur sub genere. Unde homo non participat aliquam speciem

animalis, et tamen animal est genus hominis; et hoc, quia homo immediate continetur sub animali.

Notandum quod `participare' accipitur hic, sicut prius, pro subici cum signo universali respectu illius et non e converso, secundum modum ibi dictum. Octava regula est: si aliquid praedicetur de pluribus quam aliud, illud aliud non est genus illius; sicut quia opinabile praedicatur de pluribus quam ens, ideo ens non est genus opinabilis, quia semper genus praedicatur de pluribus quam sua species.

Sciendum est quod non semper actualiter genus praedicatur de pluribus quam sua species, quia si nullum animal esset nisi homo, animal non praedicaretur actualiter de pluribus quam homo pro tunc.

Et ideo debet auctoritas Aristotelis intelligi, quod semper genus praedicatur de pluribus quam sua species, nisi omnia individua alicuius speciei vel specierum sint destructa vel nonexsistentia.

Nona regula est: si genus et species praedicantur de aequalibus, non se habent sicut genus et species. Ista regula debet intelligi sicut prior; nam semper quando cuiuslibet speciei alicuius generis est aliquod individuum, genus praedicatur de pluribus quam quaecumque sua species.

Et ideo quia semper ens et unum praedicantur de pluribus, ita quod ens non potest praedicari de pluribus quam unum nec e converso, ideo neutrum est genus respectu alterius.

Similiter est de principio et primo: nam principium non potest praedicari de pluribus quam primum nec e converso, et ideo nec principium est genus primi nec e converso. Decima regula est: quod non est genus alicuius individui, non est genus aliquorum individuorum indifferentium specie; et quod est genus unius individui, est genus omnium individuorum eiusdem speciei cum illo, et ita idem est genus omnium quae non differunt specie vel nullius.

Undecima regula est: nihil continetur sub diversis generibus nisi unum illorum contineatur sub altero; sicut homo non posset esse per se species animalis et corporis nisi animal contineretur sub corpore vel e converso.

Sed contra istam regulam instat Philosophus, IV Topicorum, quia prudentia continetur tam sub scientia quam sub virtute. Ideo istam regulam corrigit Philosophus, ibidem, per hoc quod oportet quod illa genera, sub quibus idem continetur, sint subalterna vel quod contineantur sub eodem genere; sicut scientia et virtus, quamvis non sint subalterna, tamen ambo ista genera continentur sub eodem genere, puta sub habitu.

Unde dicit Philosophus, ibidem, sic: ``Si neque subalterna genera sint neque sub eodem ambo, non erit quod assignatum est genus. *Sed contra hoc videtur esse*

Philosophus in libro Praedicamentorum, ubi dicit quod ``diversorum generum et non subalternatim positorum diversae sunt species et differentiae.

Et si hoc, igitur idem non potest esse species talium generum diversorum et non subalternatim positorum: Praeterea, omne genus dividitur per differentias oppositas, quarum una removetur universaliter ab alia, igitur idem non potest contineri sub diversis generibus non subalternatis: Praeterea, ista regula videtur esse contra praedicta, quia dictum est prius quod diversa praedicamenta praedicantur de eodem, et tamen ista praedicamenta non continentur sub eodem genere nec sunt subalterna: Ad primum istorum dicendum est quod semper diversorum generum non subalternatim positorum diversae sunt species et differentiae, si sint genera habentia differentias; non tamen oportet quod omnes species talium generum sint diversae, et ita stat quod aliqua sit eadem species eorum.

Et si dicatur quod aliquae sunt species sic diversae diversorum generum subalternatorum, sicut multae sunt species corporis quae non sunt species animalis, igitur in hoc non differunt genera subalterna et non subalterna, dicendum quod quamvis unum genus subalternum habeat aliquam speciem quae non sit species alterius, tamen e converso est impossibile.

Sed quando sunt genera non subalterna, utrumque illorum habet aliquam speciem quae non est species alterius. Et hoc sufficit ad intentionem Aristotelis.

Ad secundum dicendum quod non omne genus dividitur per differentias oppositas. Quando tamen genus habet differentias, potest dividi per differentias oppositas, et tamen una illarum removetur universaliter ab alia, sed non oportet quod removeatur universaliter ab omni alia differentia.

Verbi gratia animal dividitur per rationale et irrationale, et una illarum removetur universaliter ab alia; postea est aliquod genus quod est praecise commune equo et asino. Sit ita quod forte habent aliquam convenientiam inter se, qualem neutrum illorum habet cum quocumque alio animali, et ideo ab eis potest abstrahi unum genus praecise commune illis, et vocetur illud genus a.

Similiter, forte bos et equus habent aliquam specialem convenientiam, qualem neutrum illorum habet cum quocumque alio animali; et tunc poterit ab eis abstrahi unum genus praecise commune illis, et vocetur b.

Tunc, quamvis differentiae a removeantur a se invicem et similiter b, tamen una differentia a est eadem cum differentia b, et ita eadem poterit esse species diversorum generum talium non subalternorum.

Ad tertium dictum est prius quod nulla species per se continetur sub diversis praedicamentis, quia numquam diversa praedicamenta praedicantur in quid de eadem specie.

Et ideo numquam est idem per se species diversorum generum nisi illa genera sint subalterna vel ambo contineantur sub eodem, sicut dicit Philosophus hic. Non tamen huic obstat quin de eadem specie possint praedicari diversa praedicamenta non in quid sed aliter.

Duodecima regula est quod quando non omnia genera ad genus assignatum praedicantur in quid de assignata specie, non est genus ipsius; sicut si corpus non praedicatur in quid de albo, animal non est genus albi.

Alia regula est: si assignatum genus, vel genus aliquod ipsius, participat speciem, non est genus ipsius. Sciendum quod `participare' accipitur hic, sicut prius, non quia capiat partem realem ipsius, nec quia est pars ipsius, nec quia importat partem ipsius, sed quia ipsum participans subicitur universaliter respectu alterius et aliud universaliter sumptum non subicitur respectu illius sed tantum particulariter sumptum.

Sicut homo participat animal, quia homo universaliter sumptus subicitur respectu animalis, sic dicendo `omnis homo est animal' et animal universaliter sumptum non subicitur respectu hominis, sic dicendo `omne animal est homo', sed particulariter tantum, sic dicendo `aliquod animal est homo'; quamvis aliquando haec possit esse vera `omne animal est homo', non tamen oportet quod sit vera, quamvis animal sit.

Et sub ista significatione accipit Philosophus semper `participare' in logica. Decima quarta regula est: quando aliquid vere praedicatur de aliqua specie, si aliquid superius ad ipsum praedicatur in quid de illa specie, ipsum praedicabitur in quid de eadem specie et erit genus eius; quia omnia quae ordinantur secundum superius et inferius quorum unum praedicatur de altero in quid, vel omnia praedicantur de illo, de quo praedicantur, in quid vel nullum. Sed si dubitetur illud assignatum praedicari de specie, non sufficit ostendere quod aliquod genus eius praedicatur in quid de illa specie, sed simul cum hoc oportet probare quod nullum aliud contentum sub illo praedicatur in quid de illa specie. Alia regula est: si species praedicatur de aliquo in quid, de quo genus non praedicatur in quid, illud non est genus illius speciei; sicut si corpus animatum praedicatur in quid de aliquo de quo non praedicatur in quid animal, manifestum est quod animal non est genus corporis.

Si autem corpus praedicatur in quid de omnibus de quibus praedicatur animal, et de pluribus, corpus erit genus animalis. Decima sexta regula est: illud non est genus alicuius, de quo definitio generis non vere praedicatur; sicut quia haec est falsa `planta est substantia animata sensibilis', ideo animal non est genus plantae.

Decima septima regula est: quod est differentia alicuius, non est genus ipsius nec e converso; sicut quia `congregativum' est differentia coloris, ideo non est genus ipsius nec e converso.

Decima octava regula est: differentia nullius est genus; sicut `immortale', quia est differentia animalis, ideo nullius est genus.

Sciendum quod ista exempla non ponuntur ut ita sint, sed ut sentiant qui addiscunt. Decima nona regula est: quod est species alicuius, non est genus ipsius; sicut quia continuitas est species contiguitatis, ideo non est genus contiguitatis.

Vigesima regula est quod differentia convertibilis cum specie, non est genus ipsius; sicut

'rationale', quia est differentia hominis, non est genus hominis. Notandum quod differentia alicuius non est aliquid intrinsecum speciei, sed est unum praedicabile in quale de specie.

Praedicatur autem in quale, quia semper differentia essentialis connotat aliquid vel significat quod non connotatur nec significatur per speciem, nec species aliquid illo modo significat, differentia autem accidentalis semper connotat aliquid extrinsecum.

Vigesima prima regula est quod genus non continetur sub differentia nec e converso. Et hoc est verum de differentia constitutiva. Aliquando autem genus continetur sub differentia, sic quod de paucioribus praedicatur; non tamen per se continetur sub ea, nec e converso. Vigesima secunda regula est quod cuius generis nulla differentia praedicatur de specie, illud non est genus illius speciei; sicut si nulla differentia animalis praedicatur de lapide, animal non est genus lapidis. Ista regula habet veritatem quando genus habet differentias, et ideo quia aliquod genus non habet differentias essentiales, sicut alibi probatum est, ideo poterit aliquid esse genus alicuius speciei, quamvis nulla differentia essentialis praedicetur de illa specie; et hoc, quia illud genus nullam differentiam essentialem habet.

Vigesima tertia regula est quod species, quae est prior natura aliquo et ad cuius interemptionem sequitur interemptio illius, non est species illius generis; sicut quia animal est prius natura homine et interempto animali interimitur homo, ideo animal non est species hominis.

Notandum est quod `prius natura' non vocatur hic illud quod potest esse sine alio et non e converso, quia isto modo genus non est prius natura quam species.

Ita enim potest species esse sine genere sicut e converso. Nec plus dependet species a genere quam e converso, quia species et genus non sunt nisi quaedam intentiones in anima, distinctae totaliter, quarum utraque potest esse in mente sine altera.

Sed `prius natura' vocatur hic quando esse exsistere potest vere praedicari de aliquo supponente pro re, quamvis non praedicetur vere, immo falso, de altero supponente pro re, sed non e converso.

Et isto modo genus est prius natura quam species, nam esse exsistere potest vere praedicari de genere supponente pro re, quamvis falso praedicetur de specie supponente pro re; sicut haec poterit esse vera `animal est', quamvis haec esset falsa `homo est', sed e converso est impossibile.

Impossibile enim est quod haec sit vera `homo est', hac exsistente falsa `animal est'. Et propter hoc genus dicitur esse prius natura quam species. Similiter notandum quod interemptio speciei non interimit realiter genus nec e converso, quia posset genus exsistere modo convenienti, specie non exsistente.

Hoc enim est verum, nam ista intentio animae quae est genus, posset esse in anima etsi nulla intentio quae est species esset ibi. Sed sic interemptio speciei non interimit genus sed e converso, quia ad negationem generis supponentis pro re sequitur negatio speciei supponentis pro re; sicut ista consequentia est bona `a non est animal, igitur a non est homo', sed e converso non valet.

Et sic debent intelligi omnes auctoritates Philosophi et aliorum, qui dicunt quod genus est prius natura quam species et quod interempto genere interimitur species et non e converso et huiusmodi.

Vigesima quarta regula est quod illud quod potest amitti a specie non est genus vel differentia illius; sicut quia `moveri' potest amitti ab anima, ideo ` moveri ` non est genus animae nec differentia.

Similiter, quia veritas et falsitas possunt amitti ab opinione, ideo neutrum est genus vel differentia opinionis. Intelligendum est quod non vocatur hic `amitti' pro illo quod realiter perditur a re, sed vocatur hic `amitti' quando aliquid non vere praedicatur de aliquo, sicut prius.

Sicut materia, quando de non—formata fit formata dicitur amittere potentiam, non quia aliquam rem amittat realiter, — nam nullam rem amittit, sed aliquid adquirit —, sed dicitur amittere potentiam, quia non amplius est haec vera `materia est in potentia ad formam', quae tamen prius fuit vera.

Et hoc non est propter amissionem realem alicuius rei, sed propter realem adquisitionem alicuius rei, puta formae.

Similiter intelligenda est regula `re importata per subiectum non destructa'. Vigesima quinta regula est: si aliquid participat vel participare potest contrarium generis, non est species illius; sicut quia homo potest participare album, ideo nigrum non est genus hominis.

Notandum quod `participare' accipitur hic pro `recipere praedicationem alterius', quo modo dicitur quod semper subiectum participat praedicatum, quod non est aliud quam subiectum vere subici respectu praedicati.

Vigesima sexta regula est: quando aliquid potest competere speciei quod non potest competere alicui contento sub genere, non est species ipsius; sicut quia anima potest vivere et nullus numerus potest vivere, ideo numerus non est genus animae.

Vigesima septima regula est quod si assignatum sit aequivocum, non est genus, quia tam species quam genus debet esse univocum. Notandum quod aliquando accipit Philosophus genus et speciem non tantum pro intentione animae sed etiam pro ipsa voce.

Unde haec vox `animal' vocatur genus. Sed hoc non est nisi ex voluntaria institutione, quia scilicet sponte instituitur ad significandum omnia illa quae intentio animae, quae est genus, aliquando significat.

Alia regula est: si assignatum non potest habere plures species, non est genus, quia semper omne genus vel praedicatur vel praedicari potest in quid de pluribus speciebus. Alia regula est: illud quod non praedicatur de aliquo proprie sed translative, non est genus ipsius; sicut quia consonantia non praedicatur proprie sed translative de temperantia, ideo non est genus temperantiae.

Notandum quod nulla potest esse translativa praedicatio nisi ex actu voluntatis et per institutionem, et ideo talis praedicatio translativa non potest esse nisi in vocibus vel scriptis vel aliis signis ad placitum institutis.

Et propter hoc vox aliquando genus vocatur, quando scilicet non translative sed proprie et in quid praedicatur de specie. Trigesima regula est: quando species habet contrarium et genus non habet contrarium, si contrarium speciei non sit in illo genere, nec ipsa species erit species illius generis.

Sicut quia albedo habet contrarium, scilicet nigredinem, et sonus non habet contrarium, ideo si nigredo non sit species soni, nec albedo est species soni. Trigesima prima regula est: quando tam genus quam species habent contrarium, si contrarium speciei sit sub contrario generis, ipsa species erit species illius generis.

Intelligendum est quod ista regula habet veritatem quando alterum contrariorum immediate continetur sub genere contrario et quando neutra contrarietas habet medium. Unde si una contrarietas habet medium et altera non, regula non habet locum; et ideo non sequitur `prodigalitas est species vitii, igitur illiberalitas est species virtutis', et hoc, quia virtus et vitium non habent medium; vel si habeant, saltem prodigalitas et illiberalitas <non> habent medium.

Notandum etiam quod nullae species tales habent contrarietatem, stricte accipiendo contrarietatem, quando scilicet alterum contrariorum expellit reliquum et non compatitur ipsum, nam tales species non sunt nisi quaedam intentiones animae, quae ita compatiuntur se in anima sicut quaecumque aliae intentiones.

Sed tales species et similiter genera dicuntur contraria, quia sunt genera et species contrariorum. Unde intentio quae est species omnium albedinum et intentio quae est species omnium nigredinum non dicuntur contrariae nisi quia sunt signa et intentiones importantes qualitates singulares contrarias.

Et ita istud vocabulum `contrarium' aequivoce accipitur in diversis locis librorum Philosophorum et Sanctorum. Trigesima secunda regula est: si unum contrariorum non est species sed genus, reliquum non erit species sed genus; sicut quia bonum non est species sed genus, ideo malum non est species sed genus.

Sciendum quod istud de bono non dicitur nisi gratia exempli, et ideo non oportet curare sive `bonum' sit genus sive non. Trigesima tertia regula: si generum contrariorum sit aliquod medium, et specierum contrariarum erit aliquod medium et e converso.

Ista regula habet instantiam, sicut patet, quando plures species continentur sub uno genere quam sub alio, et ideo intelligenda est quando utrumque genus habet species aequales.

Similiter intelligenda est quando species unius generis non est medium inter duas species alterius generis. Trigesima quarta regula est: quando tam genus quam species sunt contraria, si habent medium debent habere medium eodem modo, ut scilicet quod si inter species sit medium positivum, inter genera debet esse medium positivum et e converso; et si inter species sit medium per abnegationem, inter genera debet esse medium per abnegationem et e converso.

Trigesima quinta regula est: si extrema contraria sint in aliquo genere non habente contrarium, medium inter illa extrema erit in eodem genere. Trigesima sexta regula est: si genus habet contrarium, species habet contrarium.

Sciendum quod istae tres ultimae regulae intelligendae sunt sicut quarta praecedens. Trigesima septima regula: si species habens contrarium sit in aliquo genere non habente contrarium, species opposita erit in eodem genere.

Trigesima octava regula est: si medium inter extrema sit in aliquo genere non habente contrarium, extrema contraria sunt in eodem genere. Trigesima nona regula est: si species contraria est in contrario genere, et species opposita est in opposito genere; sicut si iustitia est species virtutis, iniustitia est species vitii.

Istae tres regulae intelligendae sunt sicut praecedentes. Quadragesima regula est: si principale sit species principalis, et coniugatum erit species coniugati, et casus casus; sicut si iustitia sit species disciplinae, iustus erit species disciplinati et iuste species disciplinate. Sciendum est quod hic accipitur `species' large pro omni illo quod est per se superius sive secundum praedicationem sive secundum consequentiam. Et isto modo `virtuose' est superius et genus ad `iuste', quia quamvis haec non sit vera 'iuste est disciplinate', tamen ista consequentia est bona

`iste iuste agit, igitur virtuose agit' et non e converso; et pro tanto dicitur `disciplinate' esse superius ad `iuste'. Et ideo regulae prius datae de praedicatione generis de specie et consimiles, intelligendae sunt quando genus natum est praedicari, quia videlicet est nomen, sive in conceptu sive in voce; quando autem non est nomen, non sunt regulae intelligendae de tali genere.

Quadragesima prima regula est: demonstratis quatuor, et primo se habente ad secundum sicut tertium se habet ad quartum, si secundum sit genus primi, quartum erit genus tertii; sicut si homo se habet ad animal sicut albedo ad colorem, si animal sit genus hominis, color erit genus albedinis.

Ista regula est intelligenda quando similiter se habent secundum praedicationem et ordinem consequentiae, vel quando illa similitudo est causa quare unum illorum est genus alterius.

Quadragesima secunda regula est quod in nominibus et verbis corruptivis et generativis, et aliis similitudinem aliquam secundum derivationem vel inflexionem seu declinationem habentibus, si unum est genus unius, et reliquum erit genus alterius; sicut ista habent similitudinem secundum derivationem `dissolvi', `dissolutio' et similiter ista `corrumpi', `corruptio', et ideo si `dissolvi' est species `corrumpi', `dissolutio' est species `corruptionis'.

Similiter, sicut se habent secundum talem similitudinem `aedificare' et `aedificatum esse', ita se habent `operari' et `operatum esse'; et ideo si `aedificare' sit species `operari', `aedificatum esse' erit species `operati esse'.

Et sicut est de istis, ita est de aliis talem similitudinem habentibus. Ex istis omnibus patet quod talis ordo ita potest reperiri in nominibus sicut in verbis. Quadragesima tertia regula est quod privatio et habitus non sunt in eodem genere proximo. Quadragesima quarta regula est quod si habente tam genere quam specie privative oppositum, si oppositum non est in opposito nec propositum in proposito. Quadragesima quinta regula est: si oppositum in opposito et propositum in proposito. Notandum quod `genus' quadrupliciter accipitur, scilicet strictissime pro aliquo communi praedicabili in quid de multis rebus vel de pronominibus demonstrantibus plures res, quarum nulla nata est esse forma vel materia essentialis alterius rei specie differentis. Et isto modo non invenitur aliquod genus secundum intentionem Aristotelis, quidquid sit de veritate, nisi in praedicamento substantiae et qualitatis; quia secundum intentionem Aristotelis nullum aliud genus praedicatur in quid de pronomine demonstrante quamcumque rem per se exsistentem in genere.

Secundo modo accipitur genus strictius pro praedicabili in quid de pluribus rebus quae non sunt eiusdem rationis, sive aliqua illarum rerum sit nata esse pars essentialis alicuius alterius rei sive non.

Et isto modo hoc commune `forma' est genus omnium formarum et hoc commune `anima' est genus ad animam vegetativam, sensitivam et intellectivam.

Tertio modo accipitur genus stricte pro aliquo positivo praedicabili in quid de pluribus positivis; et sic quantitas, relatio et huiusmodi sunt genera.

Quarto accipitur large pro omni praedicabili in quid de pluribus praedicabilibus, sive sit positivum sive negativum.

Et sic accipit Philosophus hic genus. Illud autem dicitur praedicari in quid per quod contingit respondere ad quaestionem factam per quid.

Nunc autem si quaeratur, quid est caecitas, potest responderi quod est privatio, et ita, large, aliquod privativum est genus. Alia regula est: si affirmatio est genus affirmationis, et negatio speciei erit genus negationis generis; sicut si animal sit genus hominis, non—homo erit genus non—animalis.

Alia regula est: si negatio est genus negationis, affirmatio opposita negationi, quae est species, erit genus alterius; sicut si non—suave sit genus non—boni, bonum erit genus suavis. Sciendum est quod hic accipitur genus largissime, sicut prius.

Alia regula est: si species est ad aliquid, et genus est ad aliquid et e converso. Sciendum quod hoc est verum quando genus praedicatur in quid de specie; quando autem genus praedicatur de specie et non in quid, non oportet quod si species sit ad aliquid, quod genus sit ad aliquid, nec e converso.

Et sic solvendae sunt instantiae quas ponit Aristoteles circa istam regulam.

Alia regula est: si tam genere quam specie exsistente ad aliquid species non dicitur ad idem secundum se et secundum idem genus, non est species illius generis. Alia regula est: si non dicitur ad idem secundum se et secundum genus et secundum omnia superiora ad illud genus, non est species ipsius. Istae regulae intelligendae sunt quando genus praedicatur in quid de specie. Alia regula est quod species et genus, quando sunt ad aliquid, dicuntur ad tertium secundum eundem casum, scilicet vel secundum casum genitivum vel dativum et huiusmodi.

Aliquando tamen est instantia, sicut patet de `contrario' quod est species `diversi'. Alia regula est: si tam species quam genus est ad aliquid et dicuntur secundum eosdem casus, si similiter non convertuntur secundum eosdem casus, tunc non est unum genus alterius.

Alia regula est quod si species dicitur ad suum correlativum secundum plures casus quam genus vel e converso, non est species ipsius.

Ista regula non est generaliter vera, sicut nec priores. Alia regula est: si oppositum correlative non est genus oppositi correlative, nec propositum propositi.

Alia regula est: si quibusdam relativis necessario exsistentibus in illis ad quae dicuntur, quibusdam non necessario exsistentibus in illis, possunt tamen in illis

exsistere, et quibusdam nullo modo valentibus exsistere in illis ad quae dicuntur, si species contineatur sub uno istorum membrorum et genus sub reliquo, non est species ipsius.

Alia regula est quod si species est actus, genus non est habitus; et similiter e converso: si genus est habitus, species non est actus.

Alia regula, quod posterius non est genus prioris. Notandum quod frequenter loco nominum primae intentionis ponuntur nomina secundae intentionis et e converso; similiter loco nominum primae impositionis ponuntur nomina secundae impositionis et e converso.

Et ideo quod dicitur hic quod `si species est actus, genus non est habitus', et similiter de alia regula, debet sic intelligi quod illud nomen vel illa intentio quae est praecise communis actibus non est genus illius nominis vel intentionis quae est praecise communis habitibus, nec e converso.

Et sic de regula sequente. Alia est regula quod species et genus sunt in eodem, sicut albedo et color. Notandum quod hic ponuntur nomina secundae intentionis pro nominibus primae intentionis; vel hic ponitur actus exercitus loco actus signati.

Unde debet sic intelligi quod de specie et de genere vere praedicatur esse in eodem, non tamen pro se sed pro re importata. Et ideo actus exerciti correspondentes sunt isti `albedo et color sunt in eodem'; `scientia et musica sunt in eodem' et huiusmodi. Sciendum quod Philosophus, IV Topicorum, exemplificat de verecundia et timore, amicitia et voluptate et huiusmodi, quae non se habent sicut genus et species, quia non sunt in eodem.

Sed hoc non ponit ut ita sit, sed ut sentiant qui addiscunt, vel secundum opinionem aliorum, sicut frequenter facit in libris suis. Alia regula est quod illud quod primo competit alicui secundum partem ipsius, non est genus illius; sicut quia homo vel animal non est visibile nisi quia corpus suum est visibile, ideo `visibile' non est genus animalis.

Alia regula est: illud quod praedicatur de parte solum, non est genus totius; sicut si corpus praedicetur praecise de parte animalis, non est genus animalis. Ex istis patet quod genus non importat partem praecise nec est pars speciei; quia si esset pars speciei, non posset vere praedicari de specie, cum pars non praedicetur de toto, secundum Philosophum, IV Topicorum.

Alia regula est quod nulla potentia est genus vituperabilium vel fugiendorum, quia potestas est eligenda. Intelligendum quod nullum nomen importans praecise rem quae potest male agere, est genus alicuius vituperabilis, quia res quae potest male agere, non est mala; sicut secundum opinionem aliquorum Deus potest male agere, et tamen non est malus.

Alia regula est quod nihil praecise commune eligibilibus propter se est genus alicuius potentiae vel effectivi boni, quia unumquodque tale est eligendum propter aliud.

Alia regula est quod illud quod importat plura genera non est in uno genere collocandum. Alia regula est quod passio alicuius non est genus ipsius; sicut immortalitas non est genus vitae.

Alia regula est quod illud quod importat accidens primo, non est genus illius cui accidens importat; sicut album non est genus nivis. Alia regula est: quod dicitur de omnibus, non est genus; et propter hoc ens non est genus, et propter idem non est differentia.

Alia regula est quod quando tam genus quam species habent contrarium, melior species est in meliori genere.

Notandum quod ista regula habet veritatem de specie optima et non de alia. Unde bene contingit quod uno genere exsistente meliori alio genere, aliqua species peioris generis est melior aliqua specie melioris generis, sed nulla est melior optima specie melioris generis.

Sicut si scientia speculativa et practica sint duo genera scientiarum et scientia speculativa sit melius genus quam scientia practica, non est possibile quod optima species scientiae practicae sit melior optima specie scientiae speculativae.

Tamen possibile est quod aliqua species scientiae practicae sit melior aliqua specie scientiae speculativae; sicut scientia practica de Deo est melior quam speculativa de triangulo.

Sciendum quod unum genus non est proprie melius alio, sed dicitur melius, quia est genus nobilioris subiecti.

Alia regula est: aliqua specie aequaliter se habente ad duo genera, si collocetur sub genere peiori, male assignatur. Notandum quod quando aliquid aequaliter se habet ad duo genera, vel sub utroque est vel sub neutro; et si sit sub neutro, plus erratur collocando eam sub peiori quam sub meliori.

Et hoc est verum de specie nobili. Alia regula est quod si genus suscipit magis et minus, et species suscipit magis et minus. Alia regula est: si illud quod magis videtur esse genus alicuius speciei non est genus ipsius, nec illud quod minus videtur esse genus erit genus illius. Sciendum quod ista regula valet ad arguendum et opponendum et disputandum contra respondentem, non autem multum valet ad rem, quia aliquando illud quod minus videtur multis esse genus, est genus, et tamen illud quod magis videtur esse genus eiusdem, non est genus. Et similiter de specie est dicendum, quod si illud quod magis videtur esse species alicuius non est species illius, nec illud quod minus videtur erit species.

3—3. 19. DE REGULIS PER QUAS INFERTUR ALIQUID ESSE PROPRIUM ALTERIUS

Post haec dicendum est de regulis deservientibus consequentiis per quas infertur aliquid esse proprium alterius.

Et primo videndum est de quibusdam distinctionibus proprii, quia aequivoce accipitur hoc nomen `proprium' in diversis locis. Est autem una distinctio talis quod proprium quoddam est per se et quoddam ad aliud. Proprium per se dicitur quod non est respectivum, sicut `immortale', `susceptibile disciplinae' est proprium; proprium ad aliud est aliquid respectivum, sicut `imperativum' est proprium animae respectu corporis. Alia divisio est quod proprium quoddam est quod semper praedicatur, quoddam quod non semper praedicatur sed quandoque.

Alia divisio quod quoddam proprium est per se et semper, quoddam quod non est per se et semper. Proprium per se et semper est quod inest omni contento sub illo cuius est proprium et semper.

Quod est intelligendum quando de subiecto verificatur esse exsistere. Alia divisio est quod quoddam proprium est quod soli competit et semper, aliud est proprium per quod evidenter illud cuius est proprium separatur ab omni alio, hoc est per quod tamquam per notius potest inferri distinctio illius ab omni alio. Primum est sicut `risibile'; secundum est sicut `animal rationale susceptibile disciplinae'. Ponatur hoc esse proprium hominis. Alia divisio est quod proprium idem est quod `convertibile', et sic potest vocari definitio proprium.

Aliud est proprium quod praedicatur secundo modo dicendi per se de subiecto, et vocatur propria passio subiecti. Aliae distinctiones possent poni, sed ad praesens istae sufficiant. Est autem primo sciendum quod proprium non est aliqua res realiter inhaerens subiecto, sed est quoddam praedicabile de subiecto; et ista est distincta animae intentio vel terminus distinctus a subiecto. Secundo sciendum quod Philosophus in IV Topicorum non accipit proprium pro illo quod distinguitur a definitione, sed in multis locis accipit proprium pro illo per quod evidenter, tamquam per notius, potest inferri illud cuius est proprium distingui ab omni alio, sive tale proprium sit definitio explicans quid nominis sive quid rei, sive sit aliqua oratio includens definitionem et proprias passiones, sive quodcumque aliud.

Et de tali proprio loquuntur multae considerationes Philosophi. Sciendum tamen quod aliquando proprium accipitur magis stricte, pro oratione scilicet composita ex genere et differentiis accidentalibus, per quam evidenter et sufficienter potest inferri differentia illius cuius est proprium ab omni alio. Et de tali proprio intelliguntur multae considerationes Philosophi in V Topicorum, sicut patebit in prosequendo.

3—3. 20. DE REGULIS PER QUAS INFERTUR ALIQUID ESSE VEL NON ESSE PROPRIUM ALICUIUS

Istis visis ponendae sunt aliquae regulae quibus potest probari aliquid esse proprium vel non esse proprium alicuius. Et primo ad probandum proprium de aliquo, accipiendo proprium pro illo quod convenit omni et soli et semper et distinguitur ab omni genere, differentia et definitione et accidente et composito ex his; secundo circa proprium quod componitur ex genere et differentia etc..

Est igitur una regula ad probandum aliquid non esse proprium alicuius, talis: quod non est convertibile cum aliquo, non est proprium illius; sicut sequitur `posse movere se non est convertibile cum homine, igitur posse movere se non est proprium hominis'.

Sciendum quod in isto consequente `posse movere se non est proprium hominis' subiectum non supponit personaliter, sed supponit pro uno praedicabili, sive illud sit intentio animae sive vox vel aliud signum ad placitum institutum, ideo vel supponit simpliciter vel materialiter.

Potest tamen inferri ex antecedente in quo omnes termini supponunt personaliter et significative, sic `aliud ab homine potest movere se, igitur posse movere se non est proprium hominis'; et sic `non omnis homo potest movere se, igitur posse movere se non est proprium hominis'.

Et etiam potest inferri ex antecedente in quo idem supponit simpliciter vel materialiter, sicut dictum est, <sic> `posse movere se non est convertibile cum homine, igitur posse movere se non est proprium hominis'.

Et tenet quaelibet praedictarum consequentiarum per istam regulam `quod non est convertibile cum aliquo, non est proprium ipsius'. Et sicut est de ista regula, ita est de omnibus aliis circa proprium, quod quaelibet potest deservire uni consequentiae in qua omnes termini antecedentis supponunt personaliter et significative, et alteri in qua idem termini supponunt simpliciter vel materialiter in consequente sicut in antecedente.

Alia regula est: illud quod significat vel consignificat vel connotat pauciora non est proprium illius quod significat vel connotat plura; sicut sequitur `homo connotat vel significat pauciora quam risibile, igitur homo non est proprium risibilis'.

Ratio istius regulae est quod semper proprium magis natum est praedicari de illo cuius est proprium quam e converso et est magis propria praedicatio illa quam e converso. Nunc autem illud quod pauciora significat, — accipiendo `significare' communiter, scilicet pro significare principaliter vel connotare vel consignificare —, magis natum est subici quam illud quod plura significat.

Et ideo illud quod pauciora significat numquam est proprium illius quod plura significat; et propter hoc `creativum' est proprium Dei, `creabile' est proprium creaturae, et sic de aliis. Alia quae sunt necessaria in scientiis specialibus circa naturam proprii sciri possunt per illas regulas quae dictae sunt, ubi dictum est de

regulis deservientibus consequentiis in quibus omnes termini supponunt personaliter et significative.

Ideo ista ad praesens de proprio, isto modo dicto, sufficiant ad probandum aliquid non esse proprium alicuius. Sed ad probandum aliquid esse proprium sufficit probare quod propositio in qua praedicatur de subiecto sit necessaria, et quod non sit per se primo modo dicendi per se, et quod sit convertibile cum subiecto, et quod praedicatum importet plura quam subiectum.

Ut sic ista possit esse descriptio proprii: proprium est praedicabile necessario de subiecto per se secundo modo, plura importans quam subiectum convertibile cum eodem. Per primam particulam excluditur accidens, quod vocatur contingenter praedicabile; per secundam excluditur tam genus quam differentia; per tertiam excluditur quodlibet subiectum respectu proprii; per quartam excluditur proprium communioris.

Et est notandum quod proprium hic definitum et propria passio convertuntur, et tamen proprium alicuius et passio eiusdem non convertuntur. Unde aliquid est passio hominis, et tamen non est proprium hominis; sicut propria passio animalis est etiam passio hominis, et tamen non est proprium hominis.

Et si dicatur quod tunc divisio universalium non est sufficiens in genus, differentiam, speciem, proprium et accidens, quia aliquid est praedicabile de homine quod neque est accidens homini, neque proprium, neque genus, neque species, neque differentia ipsius: Dicendum quod ista divisio bene intellecta est sufficiens.

Unde omne praedicabile de homine, commune omnibus hominibus, est genus vel differentia vel species vel proprium vel accidens; non tamen ex hoc sequitur quod omne tale sit genus hominis vel species hominis vel differentia hominis vel proprium hominis vel accidens hominis, quia proprium animalis praedicatur de homine, et est proprium, quamvis non sit proprium hominis, est tamen passio hominis.

Et ita proprium et passio convertuntur, et tamen proprium hominis et passio hominis non convertuntur. Aliter potest dici quod ibi accipitur proprium large pro passione praedicabili per se secundo modo.

Ex praedictis potest patere quod omnia talia sunt propria Dei `creativum', `gubernativum',

'redemptivum', `beatificativum' et huiusmodi. Similiter omnia talia `posse peccare', `posse mereri', `posse recipere beatitudinem', `posse damnari' et huiusmodi sunt propria creaturae rationalis.

Est autem notandum quod ista non dicuntur propria rerum extra, sed sunt propria intentionum seu conceptuum animae vel vocum seu aliorum signorum ad placitum institutorum, quia cum talibus terminis convertuntur et de eis convertibiliter praedicantur, et de quocumque dicitur unum et reliquum.

Et hoc est verum quando omnes termini istarum propositionum supponunt personaliter et significative. Ultimo sciendum quod proprium incomplexum aliquando sumitur large, et tunc non requiritur quod necessario praedicetur de suo subiecto, sed sufficit quod non sit possibile simul esse exsistere verificari de suo subiecto et ipsum negari a suo subiecto.

Et sic `creari' potest dici proprium entis ut ens est praecise commune creaturis, quia quamvis haec non sit necessaria `ens creatur', tamen ista non stant simul `ens est' — accipiendo ens praecise pro creaturis sive aliis a Deo — et `ens non est creatura'.

Sic etiam `maius sua parte' potest dici proprium `totius', quia quamvis haec non sit necessaria `omne totum est maius sua parte', quia si nullum totum esset, — quod est possibile per potentiam divinam —, nullum totum esset maius sua parte; tamen ista non stant simul `aliquod totum est' et `totum non est maius sua parte'.

Similiter, `habere tres angulos aequales duobus rectis' dicitur esse passio trianguli, et tamen haec non est necessaria `triangulus habet tres' etc.. Unde breviter dicendo: frequenter per tales propositiones quae ponuntur necessariae intelliguntur propositiones condicionales vel propositiones de possibili vel aequivalentes eis, quae necessariae sunt.

Aliquando autem accipitur proprium stricte, et sic definitur prius, quod est `necessario praedicabile' etc.. Et si quaeratur an proprium sive passio possit esse sine suo subiecto, dicendum est quod de virtute sermonis debet concedi quod subiectum potest esse naturaliter sine sua propria passione et similiter propria passio potest esse sine suo subiecto, quia passio non est nisi intentio sive conceptus animae vel signum ad placitum institutum.

Et similiter est de subiecto.

Et manifestum est quod haec intentio potest esse sine illa et e converso et similiter hoc signum ad placitum institutum potest esse sine illo et e converso. Sed quod auctores dicunt quod subiectum non potest esse sine sua propria passione nec e converso, debet sic intelligi, quod scilicet propositio non potest esse falsa in qua praedicatur proprium vel passio de suo subiecto, omnibus terminis supponentibus personaliter et significative, si sit passio primo modo dicta.

Si autem sit passio secundo modo dicta, tunc non poterit talis propositio esse falsa si esse exsistere verificetur de suo subiecto supponente personaliter. Sicut quamvis haec intentio `rudibilis' possit esse in anima nullo asino exsistente et etiam

hac intentione `asinus' non existente in anima et e converso, tamen impossibile est quod haec sit falsa `omnis asinus est rudibilis' dum haec est vera `asinus est'.

Et isto modo debent glossari omnes auctoritates quae dicunt quod subiectum non potest esse sine proprio vel sine sua propria passione et e converso.

3—3. 21. DE PROPRIO QUOD COMPONITUR EX GENERE ET DIFFERENTIIS ACCIDENTALIBUS

Circa proprium quod componitur ex genere et differentiis accidentalibus, de quo principaliter tractat Philosophus V Topicorum, est sciendum quod tale proprium destruitur si non detur per notiora.

Secundo, destruitur si non detur per notiora inesse suo subiecto.

Et ratio istius est quia tale proprium datur causa innotescendi, quod non potest fieri nisi per notius et per illud quod est magis notum inesse suo subiecto. Item, destruitur si subiectum vel tota oratio vel aliquod nomen in oratione sit multiplex, quia quocumque istorum dato, non est proprium illius.

Item, destruitur si habeat aliquam superfluitatem.

Item, destruitur si in proprio ponatur aliquid quod est commune omnibus, quia nihil debet poni in proprio nisi quod separat suum subiectum ab aliquo. Item, destruitur si eiusdem ponantur plura propria. Istud est intelligendum de descriptione quae indicat sufficienter omnes proprietates incomplexas de suo subiecto, quia de propriis complexis non est verum quin eiusdem possint esse plura propria etiam non ordinata, quamvis frequenter propria eiusdem habeant aliquem ordinem et diversa diversum ordinem, sicut proprietates creaturae rationalis sunt `posse mereri' et `posse demereri'.

Et ista habent ordinem aliquo modo in perfectione, pro tanto quia `posse mereri' importat aliquem actum qui est perfectior quam sit ille actus qui importatur per `posse demereri'. Similiter `esse susceptibile disciplinae' et `esse susceptibile actus liberi' habent ordinem, quia unum importat rem priorem naturaliter re importata per aliud.

Item, destruitur proprium si aliquod contentum sub subiecto ponitur in proprio.

Item, destruitur si oppositum ipsius subiecti vel aliquid simul natura cum illo sive posterius eo ponitur in proprio. Item, destruitur si definitio ponitur in proprio. Item, si genus non ponatur in proprio. Item, si differentia essentialis ponitur in proprio. Item, si subiectum sumatur cum suo accidente. Item, si non determinetur qualiter sit proprium illius, utrum scilicet competat ei primo vel non primo. Item, si idem ponatur proprium sui ipsius. Item, in homogeneis, si non competat tam toti quam parti et e converso. Item, si contrarium non est proprium contrarii. Item, si e

diverso divisum non habet aliquod proprium e diverso divisum. Item, si casus non est proprium casus vel coniugatum non est proprium coniugati. Ista et multa alia possunt elici ex V Topicorum, quae ideo breviter et sine exemplis pertransivi, quia ista non sunt in scientiis specialibus multum usitata; et quae de ipsis theologiae et aliis scientiis speculabilibus sunt necessaria, per dicta prius et dicenda patere possunt.

3—3. 22. DE DEFINITIONE: QUID SIT?

Ad sciendum de aliquo an sit definitio alicuius vel non, oportet primo videre quid sit definitio et quot modis dicatur. Secundo videndum est de principali proposito.

Circa primam sciendum est quod omnis definitio vel est conceptus mentis vel oratio ad placitum significativa; ita scilicet quod omnis definitio vel est oratio in mente, hoc est unum compositum ex multis naturaliter significativis, vel est oratio ad placitum instituta.

Hoc patet per Aristotelem in diversis locis, scilicet in I Topicorum et in VII, et in VIII Metaphysicae, et in II Posteriorum, qui ubique, definiens definitionem, dicit quod est oratio indicans quidditatem rei.

Ex isto sequitur quod definitio non est idem realiter cum definito, quia sicut vox, quae est oratio ad placitum instituta, non est realiter unum nomen, sicut haec oratio `animal rationale mortale' non est hoc nomen `homo', ita unum compositum in mente ex multis conceptibus sive intentionibus quarum una est communis omnibus illis quibus definitum est commune et pluribus, non est realiter illa intentio quae est praecise communis omnibus illis quibus est tota definitio communis.

Tamen non obstante quod definitio et definitum non sint idem realiter, tamen significant idem realiter. Similiter, de definitione et definito, supponentibus personaliter et significative, vere praedicatur `esse idem realiter'.

Unde quamvis haec definitio `animal rationale' et hoc definitum `homo' non sint idem realiter, tamen haec est vera `homo et animal rationale sunt idem realiter'; sed per istam `homo et animal rationale sunt idem realiter' non denotatur quod haec definitio et hoc definitum sint idem realiter, sed denotatur quod eadem res importatur per istam definitionem et per illud definitum.

Et sic intelligendae sunt omnes auctoritates quae dicunt quod definitio et definitum sunt idem realiter; quia semper per talem propositionem, quae secundum proprietatem sermonis est actus exercitus, intelligunt unum actum signatum, scilicet quod de definitione et de definito vere praedicatur esse idem realiter; quae non debet sic exerceri `definitio et definitum sunt idem realiter', sed debet sic exerceri `homo et animal rationale sunt idem realiter' et `animal et substantia animata sensibilis sunt idem realiter', et sic de aliis.

Sic igitur patet quod definitio est oratio.

Et sicut triplex est oratio, scilicet concepta tantum, sive exsistens in mente tantum, et prolata et scripta, sic triplex est definitio: una exsistens in mente tantum, quae praecise componitur ex intentionibus sive conceptibus mentis; alia prolata, scilicet composita ex vocibus; tertia scripta, composita ex scriptis.

Sed differentia est inter istas definitiones, quia definitio exsistens in mente tantum est naturaliter definitio, sicut naturaliter importat quidditatem rei; aliae definitiones non sunt definitiones nisi ad placitum, sicut nec significant quidditatem rei nisi ad placitum.

Aliud est sciendum: quod definitio, quamvis sit oratio, tamen non est propositio vel enuntiatio. Est etiam sciendum quod cum dicitur `definitio est oratio indicans quidditatem rei', li definitio non supponit pro se, scilicet pro uno communi omnibus definitionibus, sed supponit pro ipsis definitionibus, quarum nulla est hoc commune `definitio', sicut nullus homo est hoc commune `homo'.

3—3. 23. QUOT MODIS DICITUR DEFINITIO

Viso in generali quid est definitio, videndum est quot modis dicatur, ponendo scilicet aliquas distinctiones de definitione. Est autem una distinctio talis, quod definitionum quaedam exprimit quid rei et quaedam quid nominis.

Definitio exprimens quid rei non potest competere nisi definito quod importat veras res, cuiusmodi sunt definitiones hominis et asini et sic de aliis. Definitio exprimens quid nominis est quando exprimitur significatum vocabuli, quid scilicet debemus per vocabulum intelligere.

Et talis definitio potest competere definitis de quibus nihil vere praedicatur; et isto modo `vacuum', `infinitum', `chimaera' et huiusmodi definiuntur. Et non solum talia, sed etiam illa quae aliquid significant et aliquid connotant, cuiusmodi sunt `motus', `tempus', `pater', `album', `populus', `exercitus' et huiusmodi. Alia divisio definitionum est quod quaedam est proprie dicta, illa scilicet quae datur per genus et differentiam essentialem, sive illa quae datur per talia quorum nullum importat vel connotat aliquid extrinsecum illi quod importatur per definitum. Alia est definitio data per additamentum, quae scilicet habet aliquam partem importantem aliquid extrinsecum illi quod importatur per definitum; sicut definitur anima, quod est `actus corporis' etc.. Patet enim quod corpus importat aliquid extrinsecum animae.

Ita etiam est de ista definitione albedinis `albedo est color disgregativus visus'. Alia divisio est quod definitionum non indicantium aliquid extrinsecum rei quaedam datur per genus et differentias essentiales, quaedam per genus et nomina exprimentia partes essentiales, quaedam per genus et nomina exprimentia partes integrales.

Exemplum primi `animal rationale' est definitio hominis; exemplum secundi `substantia composita ex corpore et anima intellectiva' est definitio hominis; exemplum tertii `figura tribus lineis contenta' est definitio trianguli.

Alia divisio, quod definitionum quaedam data est per aliqua quorum unum est magis commune et aliud minus commune; ita tamen quod unum illorum sit convertibile cum definito, sicut hic `animal rationale'.

Quaedam est definitio data per aliqua quorum quodlibet est in plus quam illud definitum, et nullum est superius ad reliquum, et aliqua illorum sunt talia quod nullum eorum est sub reliquo et tamen totum est convertibile cum definito.

Sicut si homo definiatur sic `homo est animal intelligibile', ut videlicet `intelligibile' sit commune homini et angelo, nam hoc totum `animal intelligibile' est convertibile cum homine et tamen nec `animal' nec `intelligibile' est convertibile cum homine.

Ex omnibus praedictis patet quod quando aliquid concluditur esse definitio vel non esse definitio alicuius, subiectum talis propositionis non supponit personaliter et significative sed simpliciter vel materialiter.

Sicut si probetur quod `substantia animata sensibilis' non est definitio hominis, hoc subiectum `substantia animata sensibilis' non supponit pro re sed pro intentione animae vel pro signo ad placitum instituto.

Similiter si probetur ista propositio `animal rationale est definitio hominis', subiectum non supponit personaliter sed simpliciter vel materialiter, et hoc si consequentia sit bona. Tamen de virtute sermonis quaelibet propositio talis est distinguenda penes tertium modum aequivocationis.

3–3. 24. DE REGULIS DESERVIENTIBUS CONSEQUENTIIS QUIBUS INFERTUR ALIQUID ESSE DEFINITIONEM ALICUIUS

His visis ponendae sunt quaedam regulae deservientes consequentiis quibus infertur aliquid esse definitionem alicuius vel non esse.

Et primo, quibus infertur aliquid esse definitionem alicuius indicantem quid rei, datam per genus et differentias essentiales, vel non esse. Est igitur una regula talis: si definitum sit commune alicui rei simplici per carentiam compositionis ex materia et forma, non definitur tali definitione.

Unde sequitur: angelus est simplex, `igitur animal rationale' non est talis definitio angeli. Et hoc est, quia nullum simplex habet differentiam essentialem, cum semper differentia essentialis indicet partem essentialem illius cuius est.

Ex isto sequitur quod nullum accidens definitur tali definitione, sicut probat Philosophus, VII Metaphysicae, et ideo sola species communis praecise substantiis compositis ex materia et forma definitur tali definitione.

Alia regula est: illud in quo ponitur pro genere aliquid commune omnibus, vel etiam pro differentia aliquid commune omnibus eiusdem generis, non est definitio. Et ideo sequitur `ens ponitur in ista oratione: ens sensibile rationale; igitur ens sensibile rationale non est definitio hominis', eo quod ens est commune omnibus et ponitur loco generis.

Similiter sequitur `unum ponitur in ista oratione: animal unum rationale; igitur animal unum rationale non est definitio hominis', quia unum, quod est commune omnibus substantiis, ponitur loco differentiae.

Ratio primae partis istius regulae est, quia omne positum in definitione tali debet separare definitum ab aliquo; hoc est, debet esse medium concludendi negationem alicuius de definito, tale autem non potest esse aliquid commune omnibus.

Ratio secundae partis est, quia nihil commune omnibus eiusdem generis potest esse differentia essentialis alicuius, quia nullum genus praedicamentale est in quo omnia sint composita ex materia et forma.

Tertia regula est ista: oratio cuius pars indicat totam essentiam rei, non est definitio ipsius, quia in tali ponitur aliquid superfluum quod non debet poni in definitione. Sciendum quod quaedam definitio data per genus et differentiam indicat explicite et complete essentiam rei; ita scilicet quod nihil est pars essentialis rei quin distincte exprimatur per aliquam partem, scilicet per aliquam differentiam positam in definitione.

Et talis definitio debet componi ex genere et tot differentiis essentialibus quot sunt partes essentiales rei; ita scilicet quod si sint duae partes essentiales, puta materia et forma, debent poni duae differentiae cum genere; si sint plures formae et materiae, debent poni tot differentiae quot sunt formae cum una differentia exprimente materiam, et ista est completissima definitio.

Et quando est aliqua oratio cuius aliqua pars sic indicat essentiam rei, non est illa oratio definitio. Et talis definitio hominis, si in homine sit materia et duae formae substantiales, scilicet sensitiva et intellectiva, est ista `substantia materialis, sensibilis, rationalis'.

'Substantia' enim est genus, `materiale' exprimit materiam, `sensibile' autem exprimit animam sensitivam et `rationale' animam intellectivam. Alia est definitio quae non distincte et explicite indicat essentiam rei sed imperfecte, qualis est ista definitio hominis `corpus rationale'; et similiter ista `animal rationale'.

Nam per neutram istarum habetur explicite an in homine sint plures formae vel non. Et quando est aliqua oratio cuius aliqua pars isto secundo modo accipiendo `indicare essentiam rei' indicat essentiam rei, bene poterit esse definitio.

Et ideo primo modo accipit Philosophus `in dicare essentiam rei' et non secundo modo.

Aliqua autem dicta Aristotelis, quae videntur esse contra ista VII Metaphysicae, solventur ibidem. Quarta regula est quod convertibile, non indicans essentiam rei, non est definitio ipsius, isto modo accepta definitione.

Quinta regula est quod illa oratio in qua ponitur aliquid importans aliquid extrinsecum rei, non est definitio ipsius, isto modo accepta definitione. Sexta regula est quod si differentia praeponatur generi, non est definitio ipsius. Septima regula est: si definitio non convertitur cum definito, non est definitio ipsius, poterit tamen esse definitio alicuius inferioris vel superioris.

Notandum quod secunda regula et tertia et quinta et septima valent ad destruendum quamcumque definitionem, quocumque modo accipiatur. Ex praedictis potest elici descriptio definitionis isto modo dictae, quia definitio isto modo dicta est `oratio composita ex genere diviso per differentiam indicantem materiam cum differentia vel differentiis indicante vel indicantibus formam vel formas'. Aliae autem definitiones quae componuntur ex genere proximo et differentia ultima, non sunt ita completae definitiones.

Praeter istam definitionem est alia definitio, non importans aliquid extrinsecum rei, quae non differt ab ista definitione nisi in hoc quod in definitione, de qua dictum est, ponuntur differentiae in concreto, quae in recto sunt de definito praedicabiles.

In alia autem definitione ponuntur abstracta in obliquo, correspondentia differentiis essentialibus.

Et talis est definitio ista `substantia composita ex materia et anima sensitiva et intellectiva'. Ista enim est definitio hominis, in qua ponuntur abstracta correspondentia istis concretis `materiale', `sensibile', `rationale'.

Sciendum est tamen quod ista abstracta non correspondent secundum vocem illis concretis, nec hoc requiritur, sed sic correspondent quod sunt synonyma cum abstractis eorum, vel essent synonyma si abstracta secundum vocem correspondentia illis concretis essent imposita.

Et utrumque istorum sufficit ad definitionem illo modo dictam.

Ex isto sequitur quod ex praedictis patere potest quid sentiendum est de definitione isto modo dicta per ea quae dicta sunt de prima definitione. Est autem notandum quod quamvis per differentias essentiales exprimantur omnes partes rei

quoad primam definitionem, et per abstracta in obliquo exprimantur etiam omnes partes rei quoad secundam definitionem, tamen praeter differentias et praeter talia abstracta oportet ponere genus, quia de ratione definitionis est quod per eam convenienter respondeatur ad quaestionem factam per quid de definito; hoc autem non potest fieri convenienter sine genere, cum nulla differentia, nec aliquod tale abstractum, praedicetur in quid de aliquo tali definito.

Notandum etiam quod eiusdem possunt esse plures definitiones tales, quando scilicet omnino idem significant, quamvis diverso modo, quia scilicet una pars unius definitionis significat aliquid in recto et alia pars alterius definitionis significat idem in obliquo.

Similiter, quod eiusdem sunt plures definitiones, quarum una sit completissima et alia non completissima, non est inconveniens; sed quod eiusdem sint plures definitiones completissimae, habentes partes quae habent eundem modum significandi, puta quod omnes partes utriusque definitionis sumantur in recto vel utriusque aliquae in recto, aliquae in obliquo, est inconveniens.

Et isto modo et non alio negat Philosophus eiusdem rei esse plures definitiones.

Praeter istas definitiones est alia definitio quae componitur ex nominibus exprimentibus partes integrales. Et definitio isto modo dicta datur communiter in mathematica. Et est sciendum quod numquam talis definitio datur nisi quando nomen convenit toti et non cuilibet parti, cuiusmodi est hoc nomen `triangulus'; nam tres lineae sunt partes integrales trianguli, et tamen totum vocatur triangulus et nulla pars, scilicet nulla linea, est triangulus.

Et propter istam rationem ista definitio magis indicat quid nominis quam quid rei; nam definitio quae proprie indicat quid rei non potest competere alicui nisi conveniat omnibus quae sunt eiusdem speciei specialissimae, dictae in quid de eis; talis autem definitio non sic competit omnibus eiusdem speciei specialissimae, dictae in quid de eis.

Verbi gratia si definiatur mare sic `mare est congregatio aquarum', ista definitio non competit omnibus eiusdem speciei specialissimae cum illa re quae est mare; nam `aqua', quae est species specialissima, dicitur in quid de illa re quae est mare, et similiter de qualibet sui parte, et tamen `mare' non competit illis omnibus.

Et propter hoc ista definitio non ita proprie indicat quid rei sicut praedictae definitiones.

3—3. 25. DE DEFINITIONE DATA PER ADDITAMENTUM

Sequitur videre de definitione data per additamentum. Et est sciendum quod semper in tali definitione debet poni genus definiti cum aliqua differentia accidentali.

Aliquando tamen aliqua differentia accidentalis in ea posita est propria sibi et aliquando nulla differentia accidentalis est propria sibi. Exemplum primi: si albedo definiatur sic `albedo est color disgregativus visus', nam `disgregativum visus' est differentia accidentalis propria albedini et se cum convertibilis.

Exemplum secundi: si ternarius definiatur sic `ternarius est numerus impar utrobique primus'; nam `impar' non convertitur cum ternario; nec `utrobique primus', quia convenit binario.

De tali definitione dantur aliquae regulae.

Una est quod non debet dari talis definitio per ignotiora, quia talis definitio datur causa innotescendi, nihil autem notificatur per ignotius. Ex isto autem sequuntur aliquae regulae. Una est quod unum contrariorum non definitur per reliquum; quod est verum de contrariis positivis. Et ratio est, nam licet unum contrariorum aliquando sit perfectius alio, et ita aliquo modo notius secundum naturam, non est tamen tale notius quoad nos; quod tamen requiritur ad definitionem, ex quo definitio datur ut nobis innotescat definitum. Alia regula sequitur, scilicet quod habitus non definitur per privationem, quia semper privatio praesupponit notitiam habitus; et ita privatio non est notior habitu, et per consequens non definit ipsum. Alia regula sequitur, quod permanens non definitur per successivum, quia semper successivum praesupponit notitiam permanentis.

Alia regula sequitur, quod oppositum non definitur per oppositum.

Quod est verum de oppositis contrarie et de omnibus oppositis absolutis, sed de oppositis privative non est verum, nam semper privatio per habitum definitur. Aliae regulae multa ponuntur V Topicorum circa istam materiam, de quibus ad praesens supersedeo.

3—3. 26. DE DEFINITIONE EXPRIMENTE QUID NOMINIS

Sequitur videre aliqua pauca de definitione exprimente quid nominis. Et est primo sciendum, sicut tactum est, quod omnia quae ponuntur in alio praedicamento quam in praedicamento substantiae vel qualitatis, solum talem habent definitionem secundum principia Aristotelis.

Et ideo quantitas, relatio et cetera praedicamenta, ac etiam per se contenta in eis, non habent nisi definitionem exprimentem quid nominis. Nomina etiam connotativa non habent aliam definitionem; et ideo talia `album', `nigrum', et universaliter omnes passiones praedicabiles secundo modo dicendi per se de suis subiectis, talem definitionem habent.

Omnes etiam privationes et negationes habent tales definitiones et non alias. Nomina etiam quae non significant aliquid per se unum, habent tales definitiones. Et

similiter nomina de quibus impossibiliter praedicatur esse; cuiusmodi sunt talia `vacuum',

'infinitum', `chimaera' et huiusmodi. Hoc supposito videndum est de diversis definitis in speciali, et primo de relativis. Et est sciendum quod relativum potest definiri vel complete vel incomplete. Incomplete potest definiri sine suo correlativo; sicut si definiatur pater incomplete, debet sic definiri `pater est substantia sensibilis quae aliam substantiam genuit', vel aliquid huiusmodi. Sed complete non potest definiri sine suo correlativo; ut definiatur sic `pater est substantia sensibilis habens filium' vel `est animal habens filium'.

Et tali definitione relativa mutuo se definiunt.

Nec est hoc inconveniens, quia sicut relativa sunt simul in intellectu, ita simul imponuntur, et propter hoc non est inconveniens si mutuo definiant se. Unde sciendum est quod ista definitio non est per notiora, sed sufficit quod sit per aeque nota. Et ideo loquendo de definitione quae est per notiora, — quae est magis proprie definitio, quamvis non sit semper ita completa —, numquam relativum definitur per suum correlativum, sed definitur per suum subiectum in recto et per subiectum sui correlativi sumptum in obliquo; sicut simile debet sic definiri `simile est quale, correspondens alteri quali, habenti qualitatem eiusdem speciei specialissimae'. Et ideo si esset aliquod nomen relativum speciale impositum albo, ita quod non praedicaretur de aliquo nisi de albo, sicut de nullo praedicatur simile nisi de quali, illud deberet sic definiri `album simul exsistens cum alio albo'. Et sic definitur causa, quia `causa est res ad cuius esse sequitur aliud ens'.

Et sic de aliis. Et ista definitio, et quaelibet talis, est magis proprie definitio, quamvis non sit ita completa sicut illa quae datur per sua correlativa.

Connotativa definiuntur per sua subiecta sumpta in recto et per nomina connotatorum sumpta in obliquo, vel per verba; sicut quantitas definitur sic `quantitas est res habens partes'.

Continua quantitas et permanens potest sic definiri `quantitas permanens continua est res una habens partem extra partem'. Album autem definitur sic `album est corpus habens albedinem'.

Et sic de aliis. Privationes et negationes definiuntur per positiva eis opposita; sicut caecitas definitur per visum, non—homo per hominem, sic `res quae non est homo'.

Et ista ad praesens de definitione sufficiant.

3—3. 27. DE REGULIS PER QUAS POTEST PROBARI ALIQUID ESSE SPECIES ALICUIUS

Post regulas per quas probari potest aliquid esse genus vel definitio vel proprium alicuius, videndum est de regulis per quas potest probari aliquid esse species alicuius. Et est una regula talis: quod non praedicatur in quid de aliquo, non est species illius. Et ideo sequitur `album non praedicatur in quid de homine, igitur album non est species hominis'. Notandum est quod multae sunt species quae non praedicantur in quid de quibuscumque nominibus propriis rerum quarumcumque, nec de pronominibus demonstrantibus res quascumque; sicut quantitas non praedicatur in quid de quibuscumque nominibus, nec de pronomine demonstrante quamcumque rem. Unde quacumque re demonstrata haec non est in quid `haec est quantitas'. Et ita est de multis, quia de omnibus speciebus connotativis et relativis.

Alia regula est: quod praedicatur de omnibus, non est species alicuius. Et ideo ens et unum et huiusmodi non sunt species alicuius. Alia regula est: illud de quo non praedicatur in quid aliquod praedicamentum, non est species alicuius. Intelligendum est quod sicut genus multipliciter dicitur, ita et species multipliciter accipitur. Et ideo ista regula non est intelligenda de omni specie, sed de illa quae non est per se communis partibus essentialibus aliarum rerum; sicut unum commune omnibus formis ignis non recipit praedicationem in quid alicuius praedicamenti, et tamen potest vocari species, eo quod est praedicabile in quid respectu omnium formarum particularium.

Species igitur, ad praesens, accipitur dupliciter: uno modo pro omni praedicabili in quid de pluribus differentibus numero, et hoc sive significata per ista differentia numero sint nata esse Partes essentiales alicuius sive non.

Et isto modo materia est species et similiter anima intellectiva, et ita de multis aliis.

Alio modo accipitur pro illo quod est praedicabile de pluribus talibus in quid, et importata non sunt nata esse partes essentiales alicuius. Et ita anima intellectiva non est species.

3—3. 28. DE REGULIS PER QUAS PROBARI POTEST ALIQUID ESSE DIFFERENTIA ALICUIUS

Circa differentiam dantur aliquae regulae. Una est talis: quod praedicatur in quid de aliquo, non est differentia illius. Et ideo sequitur `anima intellectiva praedicatur in quid de animabus intellectivis, ergo anima intellectiva non est differentia'. Intelligendum est quod ista regula est intelligenda de illo quod praedicatur in quid de aliquo pronomine denotante rem unam; sicut haec est in quid `haec est anima intellectiva'; et haec similiter `haec est forma', denotando formam. Sed non est intelligenda regula de illo quod praedicatur in quid de pronomine sumpto cum eodem communi; unde haec est praedicatio in quid `hoc rationale est rationale', sicut haec est in quid `hoc quantum est quantum'. Alia regula est: illud quod non importat partem rei essentialem, videlicet materiam vel formam, non est differentia alicuius.

Et ideo sequitur `disgregativum visus non importat partem rei talem, igitur non est differentia'. Intelligendum quod ista regula est intelligenda de differentia essentiali et non de differentia accidentali, nam aliquid poterit esse differentia accidentalis, quamvis non importet partem essentialem rei, sed sufficit quod importet accidens vel causam vel effectum vel aliquid huiusmodi.

Alia regula est quod illud quod non dividit aliquod genus, non est differentia alicuius, nam omnis differentia est alicuius generis divisiva.

Et hoc est verum tam de differentia essentiali quam de differentia accidentali. Et ideo sequitur `creativum non dividit aliquod genus, ergo creativum non est differentia Dei'.

Ex isto sequitur quod aliquae passiones sunt differentiae accidentales suorum subiectorum et aliquae non. Illae enim passiones quae sunt propriae aliquibus speciebus contentis sub genere, sunt differentiae accidentales earum, sicut `disgregativum visus' est tam passio quam differentia accidentalis albedinis.

Aliae autem, cuiusmodi sunt passiones Dei et entis et huiusmodi, non sunt differentiae sed passiones tantum; et si aliquando in auctoribus vocentur passiones differentiae, multum extensive loquuntur de differentia.

Alia regula est quod illud quod non habet differentiam condividentem, non est differentia, et ideo sequitur `unum non habet differentiam condividentem, ergo unum non est differentia entis'.

Notandum quod ista regula non est intelligenda de differentia essentiali. Aliquando enim contingit quod differentia essentialis non habet differentiam essentialem condividentem; sicut `materiale' est differentia essentialis corporis, et tamen non habet differentiam essentialem condividentem, quia species opposita, pro eo quod est communis rebus simplicibus carentibus compositione ex materia et forma, non habet differentiam essentialem. Et ideo intelligenda est regula sic, quod illud quod non habet differentiam condividentem, nec essentialem nec accidentalem, non est differentia. Alia regula est quod negatio non est differentia alicuius. Ista regula intelligenda est de differentia essentiali, quia nulla negatio nec aliquid negativum est differentia alicuius essentialis.

Poterit tamen esse differentia accidentalis alicuius. Alia regula est: illud quod contingenter praedicatur de aliquo, non est differentia ipsius; et ideo sequitur `ridere contingenter praedicatur de homine, igitur ridere non est differentia hominis'. Notandum quod illud quod contingenter praedicatur de aliquo, ipso exsistente, hoc est dum esse exsistere verificatur de illo, non est differentia ipsius; sicut dum haec est vera `homo est' haec poterit esse vera `homo non ridet', et ideo ridere non est differentia hominis.

Verumtamen illud quod contingenter praedicatur de aliquo, quia scilicet potest ab eo negari vere dum de illo negatur esse exsistere, bene poterit esse differentia illius; sicut `rationale' est differentia hominis, et tamen contingenter praedicatur de homine.

Haec enim est contingens `homo est rationalis', nam quando haec est falsa `homo est', haec etiam est falsa `homo est rationalis'.

Sed impossibile est quod haec sit falsa `homo est rationalis' dum haec est vera `homo est'. Alia regula est quod illud quod non constituit speciem aliquam, non est differentia alicuius; sicut album non constituit speciem hominis, ideo album non est differentia hominis.

Intelligendum est quod differentia, proprie loquendo, non constituit speciem aliquam, quia differentia non est pars nec de essentia alicuius speciei, sed quando dicitur `differentia constituit speciem' accipitur `constituere' improprie pro illo quod definit speciem.

Et sic verum est quod illud quod non constituit speciem, hoc est quod non definit speciem, non est differentia illius. Et istud est verum tam de differentia essentiali quam de differentia accidentali, sed diversimode.

Nam illud quod non constituit speciem, id est non definit speciem definitione proprie dicta, non est differentia essentialis, sicut illud quod non constituit speciem, hoc est non definit speciem definitione data per additamentum, non est differentia accidentalis.

3—3. 29. DE EODEM ET DIVERSO

Aristoteles, VII Topicorum, tractat de `eodem' et `diverso', tamquam de annexis problemati de definitione, ideo post definitionem, genus, speciem et differentiam sunt de istis aliqua pauca dicenda. Sed primo videndum est quo modo in proposito accipitur `idem', ex quo patebit quo modo accipitur `diversum'. Et est sciendum quod non accipitur in proposito `idem' pro non—distincto, sed `esse idem' in proposito est idem quod habere eandem definitionem.

Unde aliqua in rei veritate sunt plura, et tamen quia habent eandem definitionem dicuntur `idem'; sicut nomina synonyma in rei veritate sunt multa et non unum, nec indistincta, immo in rei veritate sunt distincta, et tamen dicuntur `idem', quia habent eandem definitionem et quia significant idem, vel quia unum est definitio alterius, et ita hoc nomen `idem' verificatur de illis, sive supponant pro se ipsis sive pro suis significatis.

Sed aequivoce accipitur `idem' in illis propositionibus; nam in ista propositione `tunica et vestis sunt idem', si termini supponant personaliter et pro re, tunc

importatur quod illa res quae significatur per tunicam et illa quae significatur per vestem sunt una res et non plures.

Si autem termini supponant materialiter vel simpliciter, tunc importatur quod termini sunt idem; non quidem quod sint unum et non plura, quia in rei veritate sunt plures termini, sed denotatur quod habent eandem definitionem.

Et ita patet quod `idem' aequivoce accipitur in diversis locis a Philosopho. Est tamen advertendum quod ex hoc ipso quod de aliquibus verificatur `idem', accipiendo sicut accipitur in proposito et VII Topicorum, sequitur quod de illis verificatur `esse idem' accipiendo `idem' aliter, quando scilicet ista supponunt personaliter. Sed e converso non sequitur. Non enim sequitur `homo et album sunt idem numero, hoc est, sunt unum numero et non multa, ergo isti termini habent eandem definitionem'. Et ideo non sequitur `homo et album sunt idem, sumptis terminis significative, igitur homo et album sunt idem si homo et album non supponunt personaliter sed materialiter vel simpliciter', qualitercumque accipiatur `idem'. E converso autem bene sequitur; nam sequitur: isti termini `tunica' et `vestis' habent eandem definitionem, igitur tunica et vestis sunt idem numero. Quod autem haec sit intentio Aristotelis patet, nam accipiendo `idem' pro `eodem numero', manifestum est quod terminare problema de accidente, est terminare problema de eodem et diverso. Nam sequitur convertibiliter `homo est albus, igitur homo et album sunt idem numero', et e converso.

Et sequitur `homo non est albus, igitur homo et album non sunt idem numero', et e converso. Et ita eaedem regulae quae deserviunt uni propositioni, et alteri. Accipiendo autem `idem' pro `eadem specie', regulae deservientes speciei deserviunt 'eodem' taliter accepto. Et manifestum est quod de isto non loquitur Philosophus in VII Topicorum, nam secundum eum, ibidem, quando unum potest esse sine altero, non sunt idem; et tamen manifestum est quod talia sunt idem specie.

Similiter, accipiendo `idem' pro `eodem genere', manifestum est quod regulae deservientes generi deserviunt `eidem' sic accepto. Et ideo remanet quod `esse idem' in proposito est `habere eandem definitionem', ut regulae deservientes definitioni deserviant huic termino `idem', quamvis non omnes.

Propter quod Philosophus, I Topicorum, problema de `eodem et diverso' reducit ad definitionem, et vult quod ostenso quod aliquid est definitio, ostenditur quoniam est `idem', sed non e converso.

Et tamen definitio non est eadem res cum definito; igitur praedicto modo accipitur ibi 'idem'. Et iste est unus modus `eiusdem numero', quia scilicet de talibus, supponentibus significative, praedicatur `idem numero'.

3—3. 30. DE REGULIS DESERVIENTIBUS CONSEQUENTIIS QUAE SUNT DE EODEM ET DIVERSO

Istis visis ponendae sunt aliquae regulae Aristotelis de `eodem'. Et est una talis: si principale est idem principali, et coniugatum est idem coniugato, et casus casui.

Ista regula tenet e converso sicut sic, quamvis ista regula non sit ita generalis sicut `si coniugatum de coniugato et principale de principali'. Nam non sequitur `album est dulce, igitur albedo est dulcedo', sed bene sequitur `album et dulce sunt idem, hoc est, habent eandem definitionem vel unum est definitio alterius; igitur albedo et dulcedo sunt idem, hoc est, habent eandem definitionem'.

Sciendum est tamen quod ista regula non valet nisi quando coniugatum non mutat significationem principalem.

Alia regula est: si oppositum est idem opposito, et propositum est idem proposito. Alia regula est: si sint eaedem generationes et corruptiones, effectiva et corruptiva sunt eadem, hoc est, nomina eis correspondentia habent eandem definitionem.

Alia regula est: si aliquid dicitur de duobus per superabundantiam, oportet illa esse idem numero vel oportet unum contineri sub altero.

Sciendum quod aliter accipit hic Philosophus `idem numero' et in I Topicorum. Accipit enim `idem numero' hic pro synonymis, ibi autem accipit `unum numero' pro uno quod non est multa.

Pro quo est intelligendum quod aliqua esse idem, hoc est, aliqua habere eandem definitionem, contingit dupliciter: vel quod habeant eandem definitionem convertibilem cum utroque, et illa dicuntur esse `unum numero' in proposito, et sunt synonyma.

Vel possunt aliqua habere eandem definitionem, ita tamen quod est convertibilis cum uno et non cum reliquo; sicut `homo' et `animal' habent eandem definitionem, ita tamen quod est convertibilis cum uno et non cum reliquo, et talia sunt ordinata secundum superius et inferius.

Alia regula est: quae non sunt eadem eidem, non sunt eadem inter se.

Alia regula est: quando illa quibus aliqua accidunt non sunt idem vel e converso, ipsa non sunt eadem inter se. Alia regula est: quae non sunt in eodem praedicamento, ipsa non sunt eadem; sicut `homo' et `albedo' non sunt idem, quia non sunt in eodem praedicamento. Notandum est hic quod quamvis illa quae sunt in diversis praedicamentis de se mutuo praedicentur, sicut tales sunt verae `homo est pater', `animal est quantitas', `Sortes et Plato sunt duo', et sic de aliis, tamen numquam talia sunt idem, hoc est, numquam habent eandem definitionem. Quamvis enim homo sit pater et similiter paternitas, si paternitas supponat pro aliqua una re, tamen alia est definitio hominis et patris sive paternitatis. Et ita ista regula est generalis, quod numquam illa quae sunt in diversis praedicamentis sunt

idem, non obstante quod unum talium vere praedicetur de reliquo et universaliter sumpto. Ex quo sequitur quod ex ista regula non potest argui quod unum praedicamentum non praedicetur de reliquo. Unde sicut homo et album non sunt idem, loquendo de `eodem' sicut accipitur in proposito, et tamen hoc non obstante homo vere est albus, nec album est alia res ab homine, ita non obstante quod substantia et quantitas non sunt idem accipiendo `idem' sicut hic accipitur, quia scilicet non habent eandem definitionem, tamen substantia vere et realiter est quantitas, secundum principia Aristotelis. Ita est etiam de linea, superficie et corpore quod non sunt idem, et tamen vere linea est corpus et superficies et e converso. Notandum est etiam quod ista regula intelligenda est de illis quae sunt in praedicamento. Si enim aliqua non sunt in praedicamento, tunc non sequitur `non sunt in eodem praedicamento, igitur non sunt idem'. Alia regula est: illa quae non habent idem genus proximum, non sunt idem.

Et debet ista regula intelligi sicut prior. Alia regula est: illa quae non habent eandem differentiam, non sunt idem. Et intelligitur sicut duae praecedentes. Alia regula est: illa quorum unum suscipit magis et minus et reliquum non suscipit magis et minus, non sunt idem. Notandum quod ista regula intelligenda est sicut praecedentes, videlicet quando unum suscipit magis et minus et non reliquum non sunt idem, hoc est, non habent eandem definitionem. Hoc tamen non obstante unum poterit vere praedicari de reliquo. Nam album suscipit magis et minus et homo non suscipit magis et minus, et tamen homo vere est albus. Similiter ignis non suscipit magis et minus et calidum suscipit magis et minus, et tamen omnis ignis est calidus; sed ignis et calidum non sunt idem, hoc est, non habent eandem definitionem. Per istud patet quod talia argumenta non valent `homo non est magis et minus substantia et est magis et minus quantus, igitur homo est alia res a quanto'; sed sequitur `igitur homo et quantum non sunt idem, hoc est, non habent eandem definitionem'. Alia regula est: quando aliqua suscipiunt magis et minus sed non simul, non sunt idem; sicut album et simile suscipiunt magis et minus sed tamen non simul, quia aliquando ex hoc quod aliquid fit albius, fit minus simile minus albo, ideo album et simile non sunt idem.

Et est ista regula intelligenda sicut priores, scilicet quod non habent eandem definitionem; tamen cum hoc stat quod unum vere praedicetur de reliquo et quod nulla res importetur per unum quin importetur per reliquum.

Sed in tali casu requiritur quod aliquid significetur vel consignificetur per unum quod non eodem modo importetur per reliquum; sicut se habent `album' et `simile' sive `quale' et `simile'.

Nam nihil importatur per `quale' quin importetur per `simile' et e converso. Non tamen eodem modo; nam `quale' importat omne subiectum qualitatis praecise in recto, `simile' importat subiectum tam in recto quam in obliquo, et hoc saltem aequivalenter. Quod patet per definitionem `similis'. Nam `simile' definitur sic, vel est definitio aequivalens suae definitioni: simile est quale coexsistens, hoc est simul tempore exsistens, cum alio habente qualitatem eiusdem speciei specialissimae. Hoc

patet, quod in ista definitione ponitur unum nomen in recto, significans subiectum qualitatis, et aliud in obliquo, similiter significans subiectum qualitatis.

Ex isto patet quod per istam regulam non potest probari quod `simile' importet aliam rem a re importata per `quale', et ita non potest probari per istam regulam quod relatio est alia res ab absoluto.

Per idem etiam patet quomodo linea, superficies et corpus sunt idem realiter, hoc est, quod realiter linea est superficies et corpus et e converso. Et tamen aliquando eadem linea est maior et superficies minor et corpus minus, sine additione omnis novae rei inhaerentis vel facientis unum cum priori, et e converso contingit similiter.

Unde si aliqua res, puta corpus, trahatur in longum et non in latum, linea est modo maior quam prius et superficies non est maior, sed poterit esse minor, et tamen eadem res est linea et superficies.

Nec aliqua res est addita, nec aliqua res quae fuit pars est deperdita, sed solum dicitur ista linea maior quia illud corpus modo coexsistit corpori longiori, vel coexsisteret si aliud corpus illud ambiret.

Dicitur autem superficies minor, quia coexsistit corpori minus lato; nam quamvis sequatur `latitudo a est minor latitudine b, igitur latitudo a non est latitudo b', non tamen sequitur `latitudo a fuit minor latitudine b, igitur latitudo a non fuit latitudo b', quia eadem latitudo aliquando fuit maior, aliquando minor.

Et ita patet quod idem aliquando est latius, aliquando brevius et quandoque longius, et tamen longitudo non est alia res a latitudine; sed non habent eandem definitionem, et ad hoc sufficit diversitas connotatorum.

Et ideo notandum est quod Aristoteles et alii philosophi et etiam Sancti frequenter quando dicunt aliqua non esse idem vel distingui vel esse distincta, non intendunt unum removere ab alio, ita quod unum non praedicetur vere de reliquo, sed intendunt dicere quod habent diversam definitionem et quod frequenter vere poterit unum removeri a reliquo.

Quod potest frequenter contingere sine mutatione ipsius de quo praedicatur, propter mutationem alicuius alterius. Et etiam potest hoc aliquando contingere propter solum motum localem, per quem nihil adquiritur inhaerens, quamvis frequenter locus ambiens adquiratur.

Et sic dicit Philosophus quod motus et tempus non sunt idem, nec punctus et linea, nec homo et album, nec Deus et creare sunt isto modo idem; et ita est de multis aliis auctoritatibus, quae praedicto modo glossari debent.

Alia regula est: illa non sunt idem quae non faciunt idem ex hoc quod apponuntur eidem. Alia regula est: illa non sunt idem quando remanent idem quocumque istorum ablato.

Alia regula est: si ex quacumque positione sequatur interemptio unius et non alterius, illa non sunt idem realiter. Verbi gratia posito quod nihil esset albedo, sequeretur quod albedo non esset, et tamen non sequeretur ex hoc quod homo non esset, et ideo homo et albedo non sunt idem.

Et est ista regula intelligenda sicut priores. Nam ex hoc quod aliqua positione facta sequitur quod esse negatur ab uno et non ab alio, non sequitur quod unum vere negetur a reliquo, sed sequitur quod non sunt idem definitione. Verbi gratia per hoc quod aliqua positione facta sequitur quod quantitas non sit, et tamen ex eadem positione non sequitur quod substantia non sit, et tamen ex hoc non potest inferri quod substantia non sit quantitas, sed potest inferri quod substantia et quantitas non habent eandem definitionem.

Et si hoc sequatur ex positione possibili, potest inferri quod haec sit possibilis `substantia non est quantitas', cum quo tamen stat quod substantia vere et realiter sit quantitas, sicut ex aliqua positione sequitur quod creans non sit, et tamen ex tali positione non sequitur quod Deus non sit.

Et propter hoc potest inferri quod alia est definitio Dei et creantis, sed ex hoc non potest concludi quod Deus sit alia res a creante. Sed quia hoc potest inferri ex positione possibili, puta ponendo quod nulla creatura sit, ideo bene contingit inferre quod haec est possibilis `Deus non est creans' et e converso.

Similiter ex hoc quod aliqua positione facta sequitur formaliter quod Deus non est iustus, et tamen ex eadem positione non sequitur ita formaliter quod Deus non est intelligens, non potest inferri quod iustitia Dei non est intelligentia Dei; nec etiam potest inferri quod iustitia Dei non sit formaliter intelligentia Dei sive sapientia Dei, sed bene potest inferri quod iustitia et sapientia non sunt idem, hoc est, quod isti termini non habent eandem definitionem.

Quod verum est.

Et tamen iustitia et sapientia Dei, sumptis terminis personaliter et significative, sunt idem omnibus modis. Alia regula est: si unum praedicetur de aliquo et non aliud, vel e converso, illa non sunt idem.

Alia regula est quod illa non sunt idem quorum unum potest esse sine altero sive altero non exsistente. Sciendum quod ista regula valet semper ad probandum aliqua non esse idem, hoc est non habere eandem definitionem, sed non valet semper ad probandum unum vere negari ab alio, ipsis terminis personaliter et significative acceptis.

Pro quo sciendum quod quamvis talis modus arguendi valeat `omne a est; b non est; igitur b non est a'; et similiter talis modus arguendi valet `hoc a est; hoc b non est; igitur hoc b non est hoc a', arguendo sic ex singularibus.

Tamen talis modus arguendi non valet `possibile est quod haec sit vera: hoc a est, dum haec est vera: hoc b non est; igitur hoc b non est hoc a'. Sicut non sequitur, posito quod Sortes sit albus, `possibile est quod haec sit vera: Sortes est, dum haec est vera: hoc album non est; igitur hoc album non est Sortes'.

Sed bene sequitur ista conclusio quod `haec est possibilis: hoc album non est Sortes'; quod est verum, quia posito quod Sortes non sit albus, tunc haec est vera `hoc album non est Sortes'; et bene sequitur etiam quod `hoc album' importat sive connotat aliquid quod non est eodem modo connotatum vel importatum per `Sortes' vel e converso.

Per ista patet quod talis modus arguendi non valet `possibile est quod album sive albedo sit, et tamen quod nulla similitudo sit, igitur similitudo est alia res ab albedine'. Immo etiam non sequitur ex hoc quod similitudo non sit albedo; sicut non sequitur `possibile est quod album sit et tamen quod simile non sit, igitur simile non est album'.

Eodem modo non sequitur `possibile est quod substantia exsistente quantitas vel figura triangularis non sit, igitur quantitas vel figura triangularis non est substantia'; sed bene sequitur quod `haec est possibilis: quantitas non est substantia'.

Et tamen in rei veritate quantitas est substantia, secundum principia Aristotelis. Sed numquid ista forma arguendi valet: quandocumque aliqua sic se habent quod unum illorum manet altero non exsistente, illa sunt distincta realiter; sed albedo potest manere similitudine non exsistente sive non manente; igitur album et similitudo distinguuntur realiter? Dicendum quod talis forma arguendi non valet generaliter. Unde non sequitur: quandocumque aliqua sic se habent etc.; sed Deus potest manere sive exsistere chimaera non exsistente; igitur chimaera et Deus distinguuntur realiter. Sed numquid ex talibus praemissis sequitur quod non sunt idem realiter? Dicendum quod non sequitur, quia non sequitur: quandocumque aliqua sic se habent etc.; sed Deus potest esse creante non existente; igitur Deus et creans non sunt idem realiter.

Sed numquid adhuc ex talibus praemissis sequitur quod possunt distingui vel non esse idem realiter? Dicendum quod nulla talis conclusio de inesse vel de possibili sumpta in sensu divisionis vel aliqua aequivalens ei sequitur ex talibus praemissis generaliter. Aliquando tamen sequitur tam conclusio de inesse quam conclusio de possibili, et ideo in tali modo arguendi aliquando est figura dictionis et aliquando non.

Pro quo sciendum quod quandocumque sub tali maiore accipiuntur sub in minore aliqua non connotativa, nec relativa, nec duo ordinata secundum superius et

inferius, semper sequitur conclusio de praesenti: quod non sunt idem realiter, et per consequens quod possunt non esse idem realiter.

Et ideo bene sequitur: illud absolutum quod est scientia illius conclusionis potest esse sine absoluto quod est scientia alterius conclusionis; igitur illud absolutum quod est scientia istius et illud absolutum quod est scientia alterius non sunt idem realiter.

Sed si sumantur sub connotativa vel relativa vel ordinata secundum superius et inferius, est frequenter fallacia figurae dictionis. Patet in exemplo de relativis; nam hic est fallacia figurae dictionis: quandocumque aliqua sic se habent quod unum potest esse alio non exsistente, illa sunt distincta realiter; sed Deus potest esse creante non exsistente, — istae enim duae possunt esse simul verae `Deus est' et `nullum creans est' —; igitur Deus et creans possunt non esse idem realiter.

Quia praemissae sunt verae conclusione exsistente falsa, sicut manifeste patet. De connotativis etiam patet exemplum, quia non sequitur: quandocumque aliqua sic se habent etc.; sed homo potest esse musico non exsistente; igitur homo et musicus possunt distingui realiter vel non sunt idem realiter. De aliis ordinatis secundum superius et inferius patet exemplum; nam posito quod nullum animal sit nisi homo, non sequitur: quandocumque aliqua sic se habent etc.; sed animal potest esse nullo homine exsistente; igitur homo et animal non sunt idem realiter vel possunt distingui realiter.

Sciendum est quod aliquando sequitur conclusio de possibili, sumpto subiecto pro eo quod potest esse, vel altero termino sumpto pro eo quod potest esse, et hoc respectu huius `non esse idem realiter' et aliquando respectu huius `distingui realiter'.

Sciendum quod ista propositio `quandocumque' etc. potest habere bonum intellectum et malum. Accipio tamen eam in proposito secundum bonum intellectum, sive ille intellectus sit de virtute sermonis sive non, non curo ad praesens.

Sciendum est etiam quod aliquando sumendo sub connotativa vel relativa, est fallacia figurae dictionis et aliquando non. Quando autem hoc sit et quo modo praedicta propositio debeat intelligi, et quando sequitur una conclusio et non alia, ostendetur quando tractabitur de fallacia figurae dictionis.

Hoc autem sufficiat scire ad praesens quod talis modus arguendi non valet: possibile est quod album sit et quod nulla similitudo sit, igitur album et similitudo distinguuntur realiter; possibile est quod substantia sit et quod nulla quantitas si, igitur quantitas et substantia distinguuntur realiter; possibile est quod absolutum sit et quod nulla relatio sit, igitur relatio et absolutum distinguuntur realiter; possibile est quod Deus sit dum haec est vera: creatio non est, igitur Deus et creatio non sunt idem realiter.

Sicut non sequitur, secundum omnes: possibile est quod album sit dum simile non est, hoc est dum haec est vera: simile non est, igitur simile non est album; et per consequens non sequitur: igitur simile et album distinguuntur realiter.

Verumtamen ista conclusio sequitur: haec est possibilis `album non est realiter simile' vel e converso quod `simile non est realiter album'.

Quod dico propter cavillationem quae posset fieri. Et eodem modo ex antecedentibus aliarum consequentiarum sequuntur istae conclusiones, videlicet quod: haec est possibilis `similitudo non est album' vel e converso; et quod haec est possibilis `quantitas non est substantia' vel e converso; et quod haec est possibilis `relatio non est absolutum' vel e converso; et quod haec est possibilis `creatio non est Deus' vel e converso, saltem si propositiones possunt esse talibus rebus non exsistentibus.

Et sicut ex isto antecedente `possibile est quod haec sit vera: album est, dum haec est vera: nullum simile est', sequitur quod `simile' aliquid connotat vel significat quod non eodem modo connotat vel significat `album' vel e converso, — nam `simile' connotat tam qualitatem quam subiectum et `album' non connotat eodem modo illud subiectum et illam qualitatem; quod potest patere ex definitionibus exprimentibus quid nominis ipsius `albi' et ipsius `similis' —, ita ex isto antecedente `possibile est quod substantia sit et quod nulla quantitas sit, hoc est, possibile est quod istae duae sint simul verae: substantia est, et: nulla quantitas est' sequitur quod iste terminus `quantitas' aliquid significat vel connotat vel consignificat quod non significat hoc nomen `substantia' vel non consignificat eodem modo.

Quod verum est; nam hoc nomen `quantitas' connotat partes, quod non connotat

'substantia' nec `qualitas'. Et propter hoc ista habent diversas definitiones; cum hoc tamen stat quod unum vere praedicatur de alio, sicut `homo' et `album' diversas habent definitiones et `album' aliquid connotat vel significat quod non connotat vel significat `homo'.

3—3. 31. DE SPECIE ARGUMENTI QUAE DICITUR INDUCTIO

Circa inductionem, quae ponitur una species argumenti sive consequentiae, est primo sciendum quid est inductio. Et est sciendum quod ``inductio est a singularibus ad universale progressio*. Ad hoc autem quod fiat inductio requiritur quod tam in singularibus quam in universalibus sit idem praedicatum et solum sit variatio a parte subiectorum. Potest autem tripliciter fieri variatio a parte subiectorum: uno modo, ponendo praecise pronomen demonstrativum in singularibus a parte subiecti, sic arguendo: iste currit et ille currit, et sic de singulis, igitur omnis homo currit. Aliter fit variatio, ponendo a parte subiecti pronomen demonstrativum cum subiecto propositionis universalis, sic arguendo: hoc album currit et illud album currit, et sic de singulis, igitur omne album currit. Aliter fit*

variatio, ponendo nomina propria in singularibus pro subiectis, si nomina sint imposita, sic arguendo: Sortes currit, Plato currit, et sic de singulis, igitur omnis homo currit.

3—3. 32. QUO MODO IN PROPOSITIONIBUS DE INESSE FIT INDUCTIO

His visis videndum est quomodo diversae propositiones universales inducuntur ex suis singularibus et quomodo universales inferunt singulares. Et primo de illis de praesenti et de inesse.

Et est sciendum quod quandoque talis universalis habet singulares et quandoque non habet singulares. Quando enim subiectum verificatur de aliquo, tunc habet singulares, quando autem non verificatur de aliquo, tunc non habet singulares.

Et ideo si nullus homo esset albus, ista `omnis homo albus est homo' non haberet aliquam singularem; quando autem aliquis homo est albus, tunc habet singularem.

Et ita est de aliis. Et ideo aliquando etiam eadem universalis potest inferri ex suis singularibus, quando scilicet habet singulares, et quandoque non potest induci ex suis singularibus, quando scilicet non habet singulares.

Sunt autem istae regulae.

Una est quod quaelibet universalis vera, affirmativa, de praesenti, non aequivalens propositioni de futuro, et de inesse habet aliquam singularem veram. Si autem sit falsa, non oportet quod habeat aliquam singularem falsam, sed sufficit quod nullam singularem habeat, et tamen quod denotetur habere; sicut per istam `omnis chimaera est' denotatur quod habeat aliquam singularem veram, et nullam habet, ideo est falsa.

Alia regula est: si omnes singulares alicuius propositionis universalis sint verae, universalis est vera.

Et ista regula est generalis tam de affirmativa quam de negativa. Alia regula est: si universalis negativa sit falsa, oportet quod aliqua singularis sit falsa; sicut si haec sit falsa `nullum animal est asinus', oportet quod aliqua eius singularis sit falsa.

Sed ad veritatem universalis negativae non oportet quod aliqua singularis sit vera, quia non oportet quod habeat aliquam singularem; sicut si nihil sit album, haec est vera `nullum album est coloratum', et tamen nulla singularis eius est vera.

Si dicatur quod hoc posito haec est vera `hoc album non est coloratum', demonstrato quocumque, dicendum quod quamvis talis sit vera `hoc album non est coloratum', demonstrato quocumque, ista tamen non est singularis huius universalis `nullum album est coloratum'.

Nam ad hoc quod aliqua singularis sit singularis alicuius universalis, requiritur quod subiectum universalis vere praedicetur de subiecto singularis. Sic autem non est in proposito; haec enim non est vera, illo posito, `hoc album est album', demonstrato quocumque.

Et si dicatur quod quaelibet singularis est singularis alicuius universalis, dicendum quod hoc non est verum. Unde ista `iste homo est animal', demonstrando asinum, non est singularis alicuius universalis.

Sed quaelibet singularis, in qua non demonstratur aliquid de quo falsificatur terminus communis sibi additus, est singularis alicuius universalis. Non sic autem est hic: hoc album non est coloratum.

Circa universalem de praeterito intelligendae sunt regulae sicut de universali de praesenti. Sed circa inductionem propositionis universalis de futuro est primo sciendum quod dicendum est eodem modo de inductione propositionis universalis de futuro necessariae et impossibilis sicut de illis de praesenti et de praeterito.

Sed circa inductionem propositionis universalis de futuro in materia contingenti aliter dicendum est secundum veritatem et aliter secundum intentionem Aristotelis. Et oritur ista diversitas ex hoc quod aliter sentiendum est de veritate propositionis contingentis de futuro secundum veritatem et fidem et aliter secundum intentionem Aristotelis.

Nam Aristoteles ponit quod nulla propositio contingens talis de futuro est vera vel falsa, ita quod secundum intentionem Aristotelis una pars contradictionis in talibus non est magis vera quam alia.

Et propter hoc, secundum eum, una pars contradictionis non est magis scita a quocumque intellectu quam alia, quia quod non est magis verum, non est magis scibile. Et propter hoc Aristoteles non posuisset aliquod futurum contingens esse scitum a Deo, cum nullum tale, secundum eum, sit verum, et nihil est scitum nisi verum.

Sed veritas fidei ponit quod futura contingentia sunt scita a Deo, ita quod una pars contradictionis est scita a Deo et alia non est scita a Deo. Sicut Deus ab aeterno scivit istam `Beata Virgo est salvanda' et numquam scivit istam `Beata Virgo non est salvanda', sicut nec unquam scivit istam `Beata Virgo est damnanda'.

Et propter hoc una pars contradictionis est scita et non alia; ideo una pars est vera, puta illa quae est scita, et alia non est vera, quia non est scita a Deo. Secundum igitur intentionem Aristotelis universalis affirmativa de futuro poterit esse vera, quamvis nulla singularis sit vera.

Sicut ista universalis, secundum eum, est vera `omne futurum contingens erit'; immo, secundum eum, est necessaria. Et tamen, secundum eum nulla singularis eius

est vera, quia demonstra non est vera, secundum eum, `hoc futurum contingens erit', quia infert istam `hoc est futurum contingens', quae nec est vera nec falsa, secundum eum.

Similiter, secundum eum, universalis de futuro poterit esse falsa, quamvis non habeat aliquam singularem falsam. Sicut haec universalis est falsa `nullum futurum contingens erit'; et tamen non habet aliquam singularem falsam, quia quocumque demonstrato, haec non est eius singularis `hoc futurum contingens non erit', secundum eum, propter causam praedictam.

Et sicut aliquando talis universalis affirmativa est vera, et tamen nulla singularis, ita aliquando particularis affirmativa est vera, et tamen nulla eius singularis est vera, secundum eum.

Et per hoc solveret talia argumenta: probatur enim quod haec est vera `Sortes erit cras', sic

'haec est vera: in aliquo instanti Sortes erit'. Et ista propositio debet concedi, secundum eum, si Sortes sit, quia ponit quod non est dare ultimum rei permanentis in esse.

Si igitur haec sit vera `in aliquo instanti Sortes erit', sit illud instans a. Tunc haec est vera `Sortes erit in a', et ultra `igitur erit in aliquo instanti post a'. Detur illud et sit b; et ultra arguetur, ut prius, `igitur erit in aliquo instanti post b', quia aliter b esset ultimum eius, quod non est possibile. Detur etiam illud et sit c. Et sic tandem devenietur ad diem crastinum: Diceret ad hoc Philosophus quod haec est vera `in aliquo instanti erit Sortes', sed nulla eius singularis est vera, et ideo non est dandum illud in stans in quo erit Sortes. Unde, secundum eum, ista est vera `in aliquo instanti erit Sortes', et tamen nulla istarum est vera `in a erit Sortes', `in b erit Sortes', et sic de singulis.

Et ideo nulla istarum est danda. Et eodem modo dicendum est, secundum eum, ad consimilia argumenta. Sed secundum veritatem fidei talis universalis affirmativa, si sit vera et scita a Deo, habet aliquam singularem veram, et hoc quia semper altera pars contradictionis est vera et scita a Deo. Tamen advertendum est quod aliquando aliter est universalis vel particularis vera et aliter singularis.

Aliquando enim, secundum unam opinionem, universalis est necessaria et tamen nulla singularis est necessaria, immo quaelibet singularis sic est vera quod quaelibet illarum potest esse falsa et potest numquam fuisse vera.

Haec enim est necessaria `quodlibet verum futurum contingens est verum', et tamen nulla singularis est ita vera quin potuit numquam fuisse vera. Similiter poterit esse quod particularis sit inevitabiliter vera et tamen quaelibet singularis sit evitabiliter vera.

Et in hoc est aliqualis similitudo inter opinionem Aristotelis et veritatem fidei.

Et sicut dictum est de propositionibus de futuro, ita dicendum est de propositionibus de praeterito et de praesenti, aequivalentibus propositionibus de futuro. Unde sicut ista est vera `iste salvabitur', et tamen possibile est quod numquam fuerit vera, quia sequitur `iste peccabit finaliter, igitur damnabitur'; et ultra `igitur iste non salvabitur'; et ultra `igitur ista numquam fuit vera: iste salvabitur'.

Et antecedens est possibile, manifestum est, igitur consequens est possibile. Ita ista est modo vera `iste fuit praedestinatus ab aeterno', et tamen possibile est quod numquam fuerit praedestinatus; et hoc est, quia ista `iste fuit praedestinatus ab aeterno' aequivalet isti de futuro `iste salvabitur', et ideo sicut una potest numquam fuisse vera, ita possibile est quod alia numquam fuerit vera.

Et ista est differentia inter veritatem propositionum de futuro et eis aequivalentium et veritatem propositionum de praeterito et de praesenti, quae non aequivalent illis de futuro: quia si aliqua propositio sit vera de praesenti, necessario semper postea erit verum dicere quod illa propositio fuit vera.

Sicut si haec sit modo vera `Sortes sedet', haec semper erit postea necessaria `haec fuit vera: Sortes sedet', ita quod impossibile est quod ista tota propositio `haec fuit vera: Sortes sedet' sit unquam postea falsa.

Et similiter est de propositione de praeterito: nam si haec sit modo vera `Sortes fuit albus', haec semper erit postea necessaria `haec fuit vera: Sortes fuit albus'. Sed secus est de propositione de futuro: nam quantumcumque haec sit modo vera `Ioannes salvabitur', tamen haec erit postea contingens `haec fuit vera: Ioannes salvabitur'.

Et per hoc potest patere quod praedestinatio vel reprobatio vel aliquid huiusmodi non potest esse relatio realis inhaerens creaturae praedestinatae vel reprobatae, sicut aliqui dicunt.

Nam si esset talis res, sequeretur quod iste qui est praedestinatus non posset damnari. Nam si praedestinatio sit talis res, tunc ista erit vera `iste est praedestinatus propter talem rem sibi inhaerentem'; sicut ista est vera `Sortes est albus propter albedinem sibi inhaerentem', et per consequens haec erit postea necessaria `ista fuit vera: iste est praedestinatus'. Et si hoc, sequitur quod ista sit modo necessaria `iste salvabitur'. Nam sequitur `ista fuit vera: iste est praedestinatus; igitur ista fuit vera: iste salvabitur'. Et antecedens est necessarium, igitur consequens est necessarium, et ex hoc sequitur quod ista est modo necessaria `iste salvabitur'.

Per ista etiam potest patere quod propositione aliqua contingente exsistente vera in aliquo instanti, nullo modo potest esse falsa in eodem instanti. Sicut si haec sit

modo vera `iste habet actum bonum', impossibile est quod in isto instanti sit haec falsa `iste habet actum bonum'.

Cuius ratio est quia propter positionem possibilis in esse numquam negandum est necessarium. Sed posito in esse quod iste peccet, negandum est hoc necessarium post illud instans `ista fuit vera: iste habet actum bonum in a'; et per consequens a exsistente, et illo habente bonum actum in a, haec est impossibilis `iste non habet bonum actum in a', et tamen ante fuit possibilis, sed ex quo positum est in actu non est amplius possibilis.

3—3. 33. DE INDUCTIONE PROPOSITIONUM UNIVERSALIUM DE MODO

Circa inductionem propositionum universalium de modo est primo sciendum quod si propositiones universales accipiuntur in sensu divisionis vel aequivalentes eis, eodem modo inducuntur sicut universales de inesse. Et ideo omnes tales inductiones sunt bonae: iste homo contingenter est animal, et ille homo contingenter est animal, et sic de singulis, igitur omnis homo contingenter est animal; iste homo non de necessitate est animal, ille homo non de necessitate est animal, et sic de singulis, ergo nullus homo de necessitate est animal.

Et est aliud intelligendum, quod sicut in illis de inesse, ita in talibus de modo ad veritatem inductionis non refert in singularibus ponere pro subiectis vel pronomina demonstrativa praecise, vel pronomina demonstrativa cum subiecto propositionis universalis, vel nomina propria significatorum illius termini communis.

Unde sicut omnes istae tres inductiones sunt bonae: iste homo currit et ille homo currit, et sic de singulis, igitur omnis homo currit; iste currit et ille currit, et sic de singulis, igitur omnis homo currit; Sortes currit, Plato currit, et sic de singulis, igitur omnis homo currit; — et eodem modo est de quacumque universali de inesse —; ita omnes tales inductiones sunt bonae: iste contingenter est animal, denotato aliquo homine, et ille contingenter est animal, et sic de singulis, igitur omnis homo contingenter est animal; iste homo contingenter est animal et ille homo contingenter est animal, et sic de singulis, igitur omnis homo contingenter est animal; Sortes contingenter est animal, Plato contingenter est animal, et sic de singulis, igitur omnis homo contingenter est animal.

Ex isto patet quod omnes tales inductiones sunt bonae: hoc per se est animal, demonstrato aliquo albo, et illud per se est animal, et sic de singulis, igitur omne album per se est animal.

Et ex isto et ista regula, quae vera est, `quando singulares sufficienter sumptae inferunt aliquam universalem, una singularis per se sumpta infert particularem vel indefinitam illius universalis' sequitur quod omnes tales consequentiae sunt bonae: iste per se aedificat, demonstrato aliquo qui in rei veritate est albus, igitur album per se aedificat; iste, demonstrato Deo, necessario est Deus, igitur creans de necessitate

est Deus, et hoc quando Deus est creans; iste, demonstrato Filio Dei, per se est Deus, igitur homo per se est Deus.

Immo, generaliter, ex tali singulari in qua subicitur pronomen demonstrativum vel pronomen demonstrativum sumptum cum quocumque termino communi, qui praedicatur de illo pronomine demonstrante illud quod prius, vel etiam in qua subicitur nomen proprium, ad talem particularem est bona consequentia.

Et ideo omnes tales consequentiae sunt bonae: haec res per se aedificat, demonstrato aliquo quod in rei veritate est album, igitur album per se aedificat; iste homo non est aggregatum per accidens, demonstrato aliquo homine qui in rei veritate est albus, igitur homo albus non est aggregatum per accidens; iste homo albus est aggregatum per accidens, ergo homo est aggregatum per accidens.

Et sic de multis aliis.

Hic tamen est advertendum quod tales consequentiae non sunt semper simplices, sed frequenter sunt ut nunc solum. Unde ista consequentia `Sortes per se est animal, igitur album per se est animal' non est consequentia simplex sed tantum ut nunc, quia numquam valet nisi dum Sortes est albus; quando enim Sortes non est albus, tunc non valet consequentia. Similiter ista consequentia `Filius Dei de necessitate est Deus, igitur homo de necessitate est Deus' est solum bona ut nunc, quia non valet nisi dum Filius Dei est homo.

Unde ante incarnationem consequentia non valuit; similiter, si Filius Dei deponeret naturam assumptam, non valeret.

Similiter talis consequentia est bona `haec res potest assumi a Verbo, denotando naturam humanam quae est Ioannes, igitur homo potest assumi, immo, igitur suppositum potest assumi', quia per istam `suppositum potest assumi' non plus denotatur nisi quod illa res, quae est modo suppositum, potest assumi.

Et hoc est verum, sicut est verum quod `album potest esse nigrum'. Et ideo sicut haec est vera `album potest esse nigrum', non obstante quod haec sit impossibilis `album est nigrum', sic haec est vera `suppositum potest assumi', non obstante quod haec sit impossibilis `suppositum assumitur'; ita si haec sit vera `aedificator per se aedificat', haec est vera `album per se aedificat', si idem sit aedificator et albus, non obstante quod haec esset per se `aedificator aedificat' et haec per accidens `album aedificat'. Aliud etiam est advertendum quod omnes praedictae consequentiae et consimiles sunt verae quando termini accipiuntur personaliter et significative; quia si aliquis terminus acciperetur simpliciter vel materialiter, possent deficere, sicut frequenter dictum est prius de aliis regulis.

Et ideo tales consequentiae non valent `iste homo albus significat aggregatum per accidens, igitur homo significat aggregatum per accidens', quia antecedens non est verum nisi sumpto subiecto antecedentis materialiter vel simpliciter.

Similiter non sequitur `de isto albo praedicatur per accidens aedificare, igitur de homine vel de aedificatore praedicatur per accidens aedificare'. Et ita est de multis aliis.

Et ista de inductione propositionum universalium de modo sumptarum in sensu divisionis et eis aequivalentium ad praesens sufficiant.

3–3. 34. QUOMODO SINGULARES DE MODO IN SENSU COMPOSITIONIS SE HABENT AD UNIVERSALES DE MODO IN SENSU COMPOSITIONIS

His visis videndum est quomodo singulares de modo sumptae in sensu compositionis et eis aequivalentes se habent ad universales de modo sumptas in sensu compositionis et eis aequivalentes.

Et quia aliter est de diversis, ideo dicendum est de eis separatim. Et primo circa illas de necessario. Et est sciendum quod non semper singulares de necessario tales inferunt tales universales de necessario, nisi in singularibus subiciantur pronomina demonstrativa sumpta cum subiecto propositionis universalis. Unde posito quod quaelibet persona divina assumpsisset naturam humanam et quod nullus alius homo esset exsistens, ista consequentia non valeret `istum esse Deum est necessarium, demonstrando Patrem, qui in rei veritate esset homo; et illum esse Deum est necessarium, demonstrando Filium; et illum esse Deum est necessarium, demonstrando Spiritum Sanctum; igitur omnem hominem esse Deum est necessarium', quia antecedens esset verum, illo casu posito, et consequens falsum.

Et tamen, illo posito, ista consequentia esset bona `istum hominem esse Deum est necessarium', denotando Patrem; `et illum hominem esse Deum est necessarium', denotando Filium; `et illum hominem esse Deum est necessarium', denotando Spiritum Sanctum; `igitur omnem hominem esse Deum est necessarium', ex inductione.

Et hoc, si non possent esse plures homines.

Quandocumque enim possunt plura contineri sub subiecto universalis quam continentur in inductione, non valet talis consequentia virtute talis inductionis. Sic igitur patet quod raro vel numquam singulares de necessario, habentes praecise pronomina demonstrativa pro subiectis, sumptae in sensu compositionis, inferunt universalem sumptam in sensu compositionis. Et hoc, quia ista regula non est generaliter vera `omnes singulares sunt necessariae, igitur universalis est necessaria'.

Similiter, talis universalis de necessario non infert tales singulares; et hoc, quia ista regula non est generalis `universalis est necessaria, igitur singulares sunt necessariae'. Unde ista universalis est necessaria `omne verum contingens est verum', et tamen nulla singularis est necessaria, immo quaelibet est contingens, quia quocumque vero contingenti demonstrato haec est contingens `hoc verum

contingens est verum', quia eo ipso quod est verum contingens, potest esse falsum, et per consequens potest non esse verum, et ita non est illa prima necessaria.

Similiter, secundum intentionem Philosophi, haec est necessaria `omne album est coloratum', et tamen quaelibet singularis est contingens; quocumque enim demonstrato haec est contingens `hoc album est coloratum', quia poterit esse falsa illo destructo.

Tamen sciendum est quod aliqualis diversitas est inter universalem affirmativam et negativam, nam ex hoc quod universalis affirmativa est necessaria non potest inferri quod singulares, sive de subiectis quae sunt pronomina demonstrativa sive aliae, sint necessariae.

Sed si universalis negativa sit necessaria, quamvis non oporteat quod illae singulares quae habent pro subiectis pronomina demonstrativa tantum vel nomina propria sint necessariae, tamen oportet quod illae singulares quae habent pro subiectis pronomina demonstrativa sumpta cum subiecto propositionis universalis sint necessariae.

Sicut haec est necessaria `nullum album est nigrum', et tamen nulla talis singularis est necessaria `hoc non est nigrum', denotato quocumque albo, nec aliqua talis `Sortes non est niger', `Plato non est niger'; sed quaelibet talis est necessaria `hoc album non est nigrum', `illud album non est nigrum', et sic de aliis.

3—3. 35. DE INDUCTIONE NIVERSALIUM DE POSSIBILI

Circa inductionem universalium de possibili est sciendum quod ex singularibus non sequitur universalis, quia ista regula non valet `omnes singulares sunt possibiles, igitur universalis est possibilis'. Sicut non sequitur `haec est possibilis: haec propositio contingens est vera; et haec est possibilis: ista propositio contingens est vera, et sic de singulis; igitur haec est possibilis: omnis propositio contingens est vera'.

Et ita frequenter universalis est impossibilis, et tamen quaelibet singularis est possibilis. Et ideo talis consequentia non valet `secundum illud signum continuum esse actu divisum est possibile, et secundum illud signum continuum esse actu divisum est possibile, et sic de singulis, igitur secundum omne signum continuum esse actu divisum est possibile'.

Et hoc, accipiendo omnes propositiones in sensu compositionis; nam si acciperentur in sensu divisionis, conclusio esset vera, quia ista est vera `secundum omne signum potest continuum dividi'.

Et si dicatur quod sicut ex possibili non sequitur impossibile, ita ex possibilibus non sequitur impossibile, dicendum est quod ex possibilibus et compossibilibus non

sequitur impossibile, tamen ex possibilibus et incompossibilibus bene sequitur impossibile.

Et ita est in proposito, quia singulares talium propositionum universalium impossibilium etsi sint possibiles sunt tamen simul cum hoc incompossibiles.

Est tamen hic notandum quod quandoque unius universalis sunt infinitae singulares. Et quando sic est, possibile est quod universalis sit impossibilis et quaelibet singularis possibilis, et tamen nullae duae singulares sunt incompossibiles, immo nullae singulares finitae sunt incompossibiles, sed quaelibet una accepta est incompossibilis omnibus aliis simul sumptis.

Quandoque autem unius universalis singulares sunt finitae; et tunc si universalis sit impossibilis, necesse est quod aliqua singularis sit impossibilis vel quod aliquae singulares in numero certo sint incompossibiles. Notandum est etiam quod ista regula non est vera `universalis est possibilis, igitur suae singulares sunt possibiles'; sicut si nullus homo sit albus et multi asini sint albi, haec universalis est possibilis `omne album est homo', et tamen nulla singularis est possibilis, quia quocumque albo demonstrato haec est impossibilis `hoc album est homo'. Tamen si universalis sit possibilis, oportet quod possit habere omnes singulares possibiles; sicut, illo posito, ista `omne album est homo' nullam habet singularem possibilem, et tamen potest habere, quia posito quod nihil esset album nisi homo, tunc istius `omne album est homo' omnes singulares essent possibiles.

3—3. 36. DE INDUCTIONE ILLARUM DE CONTINGENTI

Circa illas de contingenti est sciendum quod singulares de contingenti non inferunt universalem de contingenti, quia ista regula non valet `singulares sunt contingentes, igitur universalis est contingens'; quaelibet enim singularis istius universalis est contingens `omne verum contingens est verum', et tamen universalis est necessaria. Similiter ista est impossibilis `nullum verum contingens est verum', et tamen quaelibet singularis est contingens; et ita talis inductio non valet `hanc propositionem veram contingentem esse veram est contingens, et illam, et sic de singulis, igitur omnem propositionem veram contingentem esse veram est contingens'.

Similiter non sequitur e converso, quia haec regula falsa est `universalis est contingens, igitur quaelibet singularis', sicut prius dictum est. Per ista patet quod ambae istarum regularum sunt falsae `omnes singulares sunt impossibiles, igitur universalis est impossibilis'; `universalis est impossibilis, igitur omnes singulares sunt impossibiles', sicut patet per praedicta.

Et eodem modo raro aliae propositiones modales sumptae in sensu compositionis inferunt suas singulares sumptas in eodem sensu; sicut non sequitur `omnem hominem esse risibilem est primo verum, igitur hunc hominem esse risibilem est primo verum'.

Et tamen frequenter est bona inductio ex singularibus ad universalem; unde bene sequitur `hunc hominem esse animal est per se verum, et illum hominem, et sic de singulis, igitur omnem hominem esse animal est per se verum'.

Et ita est de multis aliis. Quando autem hoc sit et quando non, potest faciliter sciri per ea quae dicta sunt et sciendo quid requiritur ad hoc quod talis propositio modalis sit vera, et ideo ad praesens ista de inductione sufficiant.

3—3. 37. DE REGULIS PER QUAS POTEST PROBARI ALIQUID ESSE AEQUIVOCUM

Post haec videndum est de regulis quibus potest probari aliquid esse aequivocum. Et primo ponendae sunt regulae quas ponit Aristoteles I Topicorum. Est autem regula sua prima talis: quod contrariatur diversis, est aequivocum. Pro ista regula et aliis sequentibus est primo notandum in generali quod aequivocatio, cum non sit nisi nominis, — quod est vox ad placitum significativa, et per consequens non est aliqua aequivocatio nisi ad placitum —, non potest sciri quae vox est aequivoca et quae non, nisi coniciendo ex dictis auctorum an imposuerint vel utebantur una impositione nominis vel pluribus.

Hoc autem non potest sciri nisi per hoc quod in uno loco attribuebant aliquod praedicatum nomini et in alio loco attribuebant eidem aliquid aliud, repugnans primo.

Et per hoc potest haberi aequivocatio. Et ideo quando aliquid contrariatur pluribus, ita quod invenitur in aliquibus locis unum contrariari illi universaliter sumpto et in aliis reliquum contrariari eidem universaliter sumpto, tunc manifestum est illud aequivoce accipi.

Et ideo si aliquando inveniatur ista propositio `omni acuto contrariatur grave' et aliquando ista `omni acuto contrariatur obtusum', manifestum est quod taliter utentes hac voce `acutum' aequivoce utebantur, quia si `acutum' esset univocum, manifestum est quod utraque propositionum praedictarum esset falsa.

Si enim `acutum' esset univocum acuto in voce et acuto in magnitudine, haec esset falsa `omni acuto contrariatur grave' pro multis singularibus, sicut manifeste patet.

Et similiter patet manifeste quod alia esset falsa. Et ita ex hoc quod auctores tales universales concesserunt, oportuit eos vel mentiri vel uti aequivoce eadem voce.

Si autem posuissent tantum indefinitas, quae non inferunt universales praedictas, non posset concludi illam vocem esse aequivocam. Aliud est etiam notandum quod Philosophus vult hic quod illud quod est aequivocum, habet contrarium.

Ex quo patet quod cum sola vox sit aequivoca, ipsamet vox habet contrarium; et ex quo vox talis non contrariatur voci alteri tamquam sibi incompossibili in eodem subiecto, non plus quam alteri, oportet necessario quod Aristoteles aequivoce utatur hac voce `contrarium'.

Quod verum est.

Quomodo autem hoc nomen `contrarium' est aequivocum, dictum est alibi, scilicet in libro Praedicamentorum. Secunda regula est talis, et est regula Aristotelis: si nomini proposito sint plura contraria, quamvis contenta sub aliquo uno nomine, illud nomen erit aequivocum; sicut `album' est aequivocum, nam sibi contrariatur `nigrum', quod est aequivocum ad vocem et ad colorem.

Quod autem ista sint aequivoca patet, quia sensibus diversis apprehenduntur. Notandum quod non ex hoc praecise quod aliqua apprehenduntur a diversis sensibus contingit inferre quod nomen commune eis est aequivocum; tunc enim `qualitas' esset nomen aequivocum, quod falsum est.

Sed quando aliqua apprehenduntur a diversis sensibus, tunc nomen commune eis, cui aliquando universaliter sumpto attribuitur apprehendi ab uno illorum sensuum et aliquando eidem universaliter sumpto attribuitur apprehendi ab alio sensu, est aequivocum eis.

Ita est de exemplo Aristotelis. Nam aliquando auctores dicunt quod omne album est apprehensibile a visu, sicut naturales; aliquando autem dicunt quod omne nigrum est apprehensibile ab auditu, sicut musici. Et ita oportet quod aequivoce utantur hac voce `album' et hac voce `nigrum'. Non sic autem invenitur aliquando quod omnis qualitas apprehenditur a visu et aliquando quod omnis qualitas apprehenditur ab auditu vel alio sensu. Tertia regula est: si nomen propositum aliquando habeat contrarium et aliquando non, est aequivocum; sicut delectationi in potu est aliquid contrarium, delectationi secundum scientiam nihil est contrarium; similiter amare secundum animam est aliquid contrarium et amare secundum corpus nihil est contrarium; igitur tam `delectatio' quam `amare' est aequivocum. Notandum quod non ex hoc praecise quod unum contentum habet contrarium et non reliquum potest ostendi quod illud commune nomen est aequivocum; tunc enim `qualitas' esset nomen aequivocum; sed ex hoc quod aliqui attribuunt aliquando `habere contrarium' illi nomini universaliter sumpto et aliquando negant, sequitur quod aequivoce utantur hoc nomine.

Aliud notandum est quod illa quae dicit Aristoteles de delectatione et amare, dicit gratia exempli, et ideo non est multum curandum de eis. Quarta regula est: si aliqua contenta sub nomine communi habeant aliquod medium, et aliqua non habent medium, vel si habent medium non tamen idem medium, tunc illud nomen commune est aequivocum; sicut `album' et `nigrum' habent medium in colore, manifestum est, sed in voce vel non habent medium vel habent aliud medium, scilicet `raucum', ideo tam `album' quam `nigrum' est aequivocum.

Ista regula est intelligenda sicut praecedentes, quando scilicet talibus universaliter sumptis attribuitur aliquod medium habere et aliquando negatur ab eis medium vel attribuitur aliud medium.

Quinta regula est: si aliqua contenta habeant plura media et aliqua non, tunc nomen commune est aequivocum; sicut `album' et `nigrum' in colore habent plura media, in voce non, ideo `album' et `nigrum' sunt aequivoca.

Notandum quod quando Philosophus dicit album colorem non loquitur proprie sed improprie, ponendo concretum pro abstracto, hoc est album pro albedine, quae est color. Sexta regula est: si unum contrariorum dicitur multipliciter, reliquum dicitur multipliciter; sicut `non videre' est aequivocum, scilicet ad non habere potentiam visivam et ad non uti potentia visiva, ideo `videre' est aequivocum.

Sciendum est quod ista regula, sicut quaelibet talis, `si unum contrariorum est aequivocum, reliquum est aequivocum'; `si unum privative oppositorum est aequivocum, reliquum est aequivocum', est intelligenda quando sibi opponuntur tali genere oppositionis in utroque sensu; si autem non, tunc non oportet quod si unum oppositorum est aequivocum quod reliquum sit aequivocum.

Septima regula est una quae dicta est, scilicet: si unum privative oppositorum est aequivocum, reliquum est aequivocum; sicut si `sensibile' sit aequivocum, quia aliquid dicitur sensibile secundum animam, puta quod habet animam sensitivam, et aliquid dicitur sensibile secundum corpus, puta quod potest sentiri, oportet quod `insensibile' sit aequivocum.

Et qualiter ista regula intelligenda sit, dictum est prius.

Octava regula est: si casus est aequivocum, et coniugatum est aequivocum et e converso; sicut quia `iuste' dicitur aequivoce, etiam `iustum' dicitur aequivoce. Et similiter, si `sanativum' dicitur aequivoce, et `sanative' dicitur aequivoce. Qualiter autem debeat cognosci quod casus vel coniugatum dicitur aequivoce, non potest sciri nisi per auctores, quia aliquando attribuunt aliquid universaliter casui vel coniugato et aliquando dicunt contrarium. Nona regula est: quando aliqua contenta sunt in diversis praedicamentis, nomen commune eis est aequivocum.

Sed est sciendum quod ista regula, sicut praecedentes, debet intelligi quando aliquando illi nomini sumpto universaliter diversa praedicamenta non ordinata attribuuntur. Sicut delicati dicunt quod omnis cibus bonus est effectivus voluptatis, medici dicunt quod omnis cibus bonus est effectivus sanitatis; et ideo cum aliquid sit effectivum voluptatis quod non est effectivum sanitatis et e converso, manifestum est quod isti et illi aequivoce utuntur hoc nomine `bonus'.

Similiter morales dicunt quod ille est bonus quia est iustus, castus vel fortis. Et ita patet quomodo hoc nomine `bonus' diversi utuntur aequivoce. Ita est de hoc nomine `album', et de hoc nomine `acutum', et sic de aliis. Decima regula est: si

nomen propositum sit in diversis generibus non subalternis, erit aequivocum. Notandum quod istae duae regulae sunt intelligendae sicut praecedentes, et simul cum hoc sunt intelligendae quando illa genera non subalterna sic non subalternantur quod unum necessario removetur a reliquo universaliter sumpto. Si enim unum praedicetur de reliquo particulariter sumpto, non oportet. Et per hoc patet quod per istas regulas non potest probari quod idem non potest esse in diversis praedicamentis, cum aliquando unum praedicamentum praedicetur de reliquo. Nec potest probari quod idem non possit esse in diversis generibus non subalternis nisi unum removeatur universaliter a reliquo, et hoc necessario.

Undecima regula est: si unum contrariorum sit aequivocum, reliquum est aequivocum.

Duodecima regula est: quando aliquid attribuitur multis, definienda sunt composita ex illis multis et illo uno; et si illis multis ablatis non remanet idem nomen, illud erit aequivocum. Sicut `album' convenit et voci et corpori, et ista duo composita `album corpus' et `alba vox' sunt definienda, sic `album corpus est res informata tali colore', vox alba definitur sic `qualitas bene audibilis'; et manifestum est quod istae duae definitiones non sunt eaedem, et ideo `album' est aequivocum.

Aliter potest dici, et melius, quod illud commune est definiendum, ita tamen quod illa quibus convenit ponantur ibidem; et tunc, si illis ablatis quod remanet non est idem, illud nomen erit aequivocum.

Sicut naturalis si definiat album, dicet sic `album est corpus habens talem colorem', musicus definiet sic `album est vox bene audibilis'. Et manifestum est quod ablatis istis duobus `corpus' et `vox', quod remanet non est idem, ideo `album' est aequivocum.

Decima tertia regula est: si contenta non sunt comparabilia secundum magis et minus nec secundum aeque, nomen commune eis est aequivocum.

Et intelligenda est ista regula sicut praedictae. Decima quarta regula est: illud nomen quod est differentia diversorum generum non subalternatim positorum, est aequivocum; sicut `acutum' est differentia vocis, quia dividit vocem, et est differentia magnitudinis, ideo `acutum' est aequivocum.

Sciendum est quod quamvis de eadem differentia possint praedicari diversa genera non subalternatim posita, non tamen idem potest esse differentia divisiva diversorum generum, sicut dicit hic Aristoteles.

Decima quinta regula est: illud quod dividitur per differentias diversas in diversis locis, est aequivocum; sicut `color' aliter dividitur in naturali philosophia et in musica et in rhetorica, ideo `color' est aequivocum.

Intelligendum est quod non accipitur hic differentia praecise pro differentia essentiali, sed etiam pro differentia accidentali. Decima sexta regula est: si idem nomen aliquando ponitur species unius et aliquando differentia alterius, illud nomen est aequivocum.

Notandum est etiam quod, generaliter, quando aliquod nomen vel dictio quaecumque secundum usum recte loquentium et intelligentium attribuitur alicui universaliter sumpto, et alibi secundum usum recte loquentium et intelligentium, sive in illa scientia vel arte sive in alia, sive etiam in illo idiomate sive in alio, invenitur aliquid aliud secundum vocem sibi attribui, vel ipsum alteri, ex quo sequitur aliquid repugnans priori, illud est aequivocum vel saltem accipitur aequivoce.

Pro quo sciendum est quod aliud est `esse aequivocum' et aliud `sumi aequivoce'.

Nam illud est aequivocum quod significat plura aequivoce, sed illud accipitur aequivoce quod vel significat plura aequivoce vel stat pro pluribus aequivoce. Sed ista distinctio declarabitur inferius, cum tractabitur de fallacia aequivocationis.

3—3. 38. DE REGULIS GENERALIBUS ET COMMUNITER USITATIS

Regulae generales sunt multae. Una est quod ex vero numquam sequitur falsum; et ideo quandocumque antecedens est verum et consequens falsum, consequentia non valet.

Et haec est ratio sufficiens ad probandum consequentiam non valere. Sciendum est quod antecedens est totum quod praecedit conclusionem; et ideo aliquando antecedens est tantum una propositio et aliquando continet plures propositiones, sicut patet in syllogismo. Et tunc, quamvis una illarum propositionum sit vera, conclusio poterit esse falsa; sed si quaelibet illarum fuerit vera, non poterit conclusio esse falsa si sequatur ex eis. Alia regula est quod ex falsis potest sequi verum. Et ideo ista consequentia non valet `antecedens est falsum, igitur consequens est falsum'; sed ista consequentia est bona `consequens est falsum, igitur et antecedens', ita quod si consequens sit falsum, oportet quod totum antecedens sit falsum vel quod aliqua propositio quae est pars antecedentis sit falsa.

Sed non oportet quod quaelibet propositio quae est pars antecedentis sit falsa, quia aliquando ex una propositione vera et alia falsa sequitur conclusio falsa, sicut patet hic `omnis homo est animal; lapis est homo; igitur lapis est animal'.

Alia regula est: si aliqua consequentia sit bona, ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis. Notandum quod quando antecedens est una propositio, semper si sit consequentia bona, ex opposito consequentis sequitur oppositum totius antecedentis.

Sed quando antecedens continet plures propositiones, tunc non oportet quod ex opposito consequentis sequatur oppositum cuiuslibet propositionis quae est pars antecedentis, sed oportet quod ex opposito consequentis cum una propositionum sequatur oppositum alterius propositionis.

Sicut bene sequitur `omnis homo est albus; Sortes est homo; igitur Sortes est albus', et tamen non sequitur `Sortes non est albus, igitur Sortes non est homo', sed bene sequitur `omnis homo est albus; Sortes non est albus; igitur Sortes non est homo'.

Et ita ex opposito conclusionis et maiore sequitur oppositum minoris et non ex solo opposito conclusionis. Similiter bene sequitur `omnis homo est animal; asinus est homo; igitur asinus est animal', et tamen ex solo opposito conclusionis non sequitur oppositum maioris, nam non sequitur `nullus asinus est animal, igitur non omnis homo est animal'.

Sed ex opposito conclusionis et minore sequitur oppositum maioris; nam bene sequitur

'nullus asinus est animal; asinus est homo; igitur non omnis homo est animal'. Alia regula est: quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens; sicut si sequitur `omne animal currit, igitur omnis homo currit', quidquid sequitur ad istam `omnis homo currit' sequitur ad istam `omne animal currit'.

Ex ista regula sequitur alia, scilicet: quidquid antecedit ad antecedens, antecedit ad consequens; quia aliter aliquid sequeretur ad consequens quod non sequeretur ad antecedens.

Sed istae regulae falsae sunt: quidquid sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens; nam sequitur `omne animal currit, igitur omnis homo currit' et tamen non sequitur `omnis homo currit, igitur omnis asinus currit'.

Similiter ista regula est falsa `quidquid antecedit ad consequens, antecedit ad antecedens', propter idem.

Ex istis sequuntur aliae regulae. Una est: quidquid stat cum antecedente, stat cum consequente; sicut quidquid stat cum ista `omne animal currit' stat cum ista `omnis homo currit'.

Sed non quidquid stat cum consequente stat cum antecedente; nam cum isto consequente `omnis homo currit' stat ista `aliquis asinus non currit', sed tamen non stat cum ista `omne animal currit'.

Et hoc quando antecedens non sequitur ad consequens nec consequentia simplici nec consequentia ut nunc. Alia regula est: quidquid repugnat consequenti,

repugnat antecedenti; sicut quidquid repugnat isti `omnis homo currit' repugnat etiam isti `omne animal currit'.

Sed non e converso, quia aliquid repugnat antecedenti quod non repugnat consequenti; quia ista repugnant `tantum homo currit' et `aliud ab homine currit', sed ista non repugnant `homo currit' et `aliud ab homine currit'.

Et ideo tales consequentiae sunt bonae: oppositum consequentis stat cum antecedente, igitur consequentia non valet; oppositum consequentis non stat cum antecedente, ergo consequentia est bona.

Sed sciendum quod consequentia poterit esse bona ut nunc, quamvis oppositum consequentis possit stare cum antecedente; sed si oppositum consequentis stet vel possit stare cum antecedente, non poterit esse consequentia simplex.

Alia regula est quod ex necessario non sequitur contingens.

Alia regula est quod ex possibili non sequitur impossibile. Istae duae regulae intelligendae sunt de consequentia simplici, quia ex necessario non sequitur contingens consequentia simplici, nec ex possibili impossibile, tamen consequentia ut nunc bene poterit sequi; sicut bene sequitur `omne ens est, igitur omnis homo est', et tamen antecedens est necessarium et consequens contingens. Similiter bene sequitur `omne coloratum est homo, igitur omnis asinus est homo', et tamen antecedens est possibile et consequens impossibile, et consequentia solum est bona ut nunc. Et notandum est etiam quod quamvis ex possibili non sequatur impossibile consequentia simplici, tamen aliquando propter positionem possibilis concedendum est impossibile et negandum est necessarium; sed hoc numquam est faciendum nisi in arte obligatoria et durante tempore obligationis, de qua arte aliquid inferius dicetur.

Aliae regulae dantur, quod `ex impossibili sequitur quodlibet' et quod `necessarium sequitur ad quodlibet'; et ideo sequitur `tu es asinus, igitur tu es Deus', et sequitur `tu es albus, igitur Deus est trinus et unus'.

Sed tales consequentiae non sunt formales, et ideo istae regulae non sunt multum usitatae.

3—3. 39. DE REGULIS PERTINENTIBUS AD ARTEM OBLIGATORIAM. ET PRIMO DE INSTITUTIONE

Quoniam logici circa obligationes et insolubilia speciales faciunt difficultates, ideo ad istius

Summae completionem, quae de omni modo arguendi generalem tradit notitiam, sunt aliqua brevia perscrutanda.

Et primo disserendum est de obligationibus. Est autem primo sciendum quod obligatio sic definitur a multis: ``Obligatio est praefixio enuntiabilis secundum aliquem statum.

Quando enim aliquis ex consensu proprio obligatur ab opponente ad aliquid in disputatione ad quod prius non erat obligatus, tunc fit sibi obligatio. Obligationis autem multae species assignantur, scilicet institutio, petitio, positio, depositio, dubitatio et `sit verum'.

Institutio est nova alicuius vocabuli impositio pro tempore disputationis et non ultra duratura.

Et potest ex tali institutione accidere utilitas, quia per talem institutionem quandoque fit brevior disputatio et locutio; quandoque debet fieri disputatio de re innominata, et tunc utile est disputantibus pro tempore disputationis sibi certum nomen imponere; quandoque autem fit talis institutio a sophistis ad decipiendum respondentem.

Et ad obviandum eis, rationabiliter respondendo, de ista specie dantur aliquae regulae. Una est quod numquam pars potest significare totum cuius est pars. Sed ista regula capit instantiam, nam in ista propositione `omnis propositio est vera' subiectum significat totam propositionem. Similiter, idem potest significare se; igitur pars, eadem ratione, potest significare totum. Antecedens patet, nam hoc nomen `vox' significat omnem vocem, et per consequens se ipsam; similiter hoc nomen `nomen' significat omnia nomina, quia omni nomini competit definitio nominis, igitur significat se ipsum. Ideo dicendum est quod quamvis pars possit significare totum cuius est pars, tamen talis institutio non est semper admittenda.

Quando enim per unicam institutionem partis, habentis eandem suppositionem, totum significatum mutaretur a veritate in falsitatem et e converso, tunc non est talis institutio admittenda.

Et per hoc solvitur hoc sophisma: significet a praecise istud totum `a significat falsum'; et tunc quaeratur an a significet verum vel falsum. Si verum, igitur cum a non sit aequivocum, haec est falsa `a significat falsum'; et institutum est quod a significet hoc totum `a significat falsum'; ergo a significat falsum.

Si autem a significat falsum, ergo haec est vera `a significat falsum'; et a significat hoc; igitur a significat verum. Respondendum est quod ista institutio non est admittenda, pro eo quod haec oratio `a significat falsum', quae est falsa quando a nihil significat, mutaretur in veritatem si praecise imponeretur a ad significandum hoc totum et nihil aliud.

Et si dicatur quod hoc est possibile quod a significet hoc totum; sed omne possibile est ponibile; igitur potest poni. Ponatur igitur, et redit argumentum: Dicendum est quod differentia est inter institutionem et positionem.

Unde quia possibile est quod a significet hoc totum `a significat falsum', ideo est ponibile, et ipso posito in esse nullum accidit impossibile. Unde quando accipis `aut a significat verum aut falsum', respondendum est quod neque significat verum neque falsum.

Et potest responderi quod significat tam verum quam falsum, quia isto posito stante potest utrumque esse verum.

Nam isto posito stante poterit a significare praecise homines, et tunc dico quod a neque significat verum neque falsum, sed tunc a habebit suppositionem personalem et supponet praecise pro hominibus.

Poterit etiam a significare idem quod `propositio', et tunc dicendum est quod a significat tam verum quam falsum.

Quod non est inconveniens. Et si dicatur: omnia ista stant simul `a significat hoc totum: a significat falsum', et `a nihil aliud significat quam hoc totum'; et omnia compossibilia possunt simul esse vera; igitur possunt poni si possunt simul esse vera: Potest dici quod ista stant simul, et ideo possunt poni; sed ipsis positis negandum est omne repugnans eis.

Et ideo istis positis si arguatur `aut a significat verum aut falsum' respondendum est nec concedendo nec negando nec dubitando, sed respondendum est quod propositum nec est verum nec falsum.

Sicut aliquo posito, si proponatur `homo — asinus', et petatur responsio, respondendum est quod non est respondendum nec concedendo nec negando nec aliquo alio modo, proprie accipiendo responsionem.

Et si dicas quod istis positis haec est vera `a significat verum vel falsum', igitur ipsa propositio est concedenda, et per consequens altera pars est concedenda: Dicendum est quod ista `a significat verum vel falsum' nec est vera nec falsa, istis positis.

Unde in isto casu ad quamlibet talem orationem respondendum est ac si non esset propositio vel oratio significativa. Et per consimilem modum posset responderi ad multa alia sophismata quae difficilia sunt, nisi exercitatis multum in arte obligatoria; quae, quia non sunt multum usitata in theologia, pertranseo.

3—3. 40. DE SECUNDA SPECIE OBLIGATIONIS, QUAE DICITUR PETITIO

Alia species obligationis assignatur petitio, quae obligat ad aliquem actum pertinentem ad officium respondentis exercendum ab eodem. Sicut si opponens dicat `peto quod concedas primam propositionem proponendam a me esse veram'; quae petitio recipienda est, quia non obligat ad impossibile respondentem. Et potest

esse regula in ista specie obligationis quod nulla petitio est admittenda nisi cui respondens satisfacere potest durante petitione, et quaelibet talis est admittenda.

Unde in ista specie potest concedi falsum impossibile, etiam bene respondendo; sicut si petas quod concedam hominem esse bovem et proponas istam `homo est irrationalis', in tempore obligationis est concedenda, quia petita est, consequenter saltem.

Et hoc sufficiat de ista petitione, pro eo quod non habet magnum locum in scientiis particularibus.

3—3. 41. DE TERTIA SPECIE OBLIGATIONIS, QUAE DICITUR POSITIO. QUOMODO DIFFERT A CASU?

Tertia species obligationis vocatur positio. Circa quam est primo sciendum quod positio differt a casu, quia casus non obligat ad sustinendum aliquid tamquam verum.

Unde et quandoque casus et positio sunt respectu oppositorum. Sicut sit Sortes in rei veritate albus, et ponatur ista `Sortes est niger'. Tunc enim est casus quod Sortes est albus, et positum est quod Sortes est niger; et ita positio obligat ad sustinendum istam tamquam veram `Sortes est niger', et casus tunc non obligat ad sustinendum istam tamquam veram `Sortes est albus'. Item, casus semper debet esse de re, et de re particulari, positio autem potest esse unius propositionis indefinitae vel particularis.

Sicut si velim tibi ponere casum, non debeo dicere `ponatur quod homo currit', sed oportet certificare, puta quod iste homo currit vel ille, ita quod a currat. Sit a nomen proprium illius. Sed in positione possum tibi ponere istam `homo currit' vel istam `aliquis homo currit'.

Circa casum igitur sunt aliquae regulae. Una est quod casus numquam est recipiendus ad sustinendum nisi fiat certificatio de aliquo particulari.

Alia est quod numquam casus est recipiendus ad sustinendum nisi possibile.

Alia regula est quod numquam est casus recipiendus ad sustinendum qui repugnat actui responsionis. Unde si aliquis velit tibi ponere istum casum quod tu sis mortuus et velit quod tu sustineas istum casum, non debes eum recipere, quia repugnat actui responsionis.

Non enim stant simul quod tu sis mortuus et quod tu sibi respondeas, et ideo talis casus non est admittendus, tamen tale ponibile est admittendum. Positio igitur obligat ad sustinendum aliquam propositionem eo modo quo propositio vera debet sustineri a respondente. Et consistit ars ista in hoc quod in principio debet aliqua propositio poni, deinde debent propositiones proponi secundum quod placet

opponenti, ad quas debet respondens respondere concedendo vel negando vel dubitando vel distinguendo.

Quibus responsionibus datis debet opponens, quando sibi placet, dicere: cedat tempus. Hoc est, cesset tempus obligationis. Et tunc videndum est an respondens bene responderit vel non. Sicut pono tibi istam propositionem `animal currit', deinde propono `homo currit'; si eam concedas, dico: cedat tempus.

Et probo quod male respondisti, quia concessisti falsum et impertinens, — sit ita quod nullus homo currat —, ergo male respondisti. Sed iste modus opponendi et respondendi non servatur quando ponitur casus, propter quod differt casus a positione. Scito tamen quomodo respondendum est facta aliqua positione, potest leviter sciri quomodo respondendum est posito aliquo casu, et ideo sufficiat pro nunc de positione tractare. Circa quam sciendum est quod positio quaedam est possibilis et quaedam impossibilis. Positio possibilis est quando ponitur propositio falsa contingens vel propositio contingens dubia.

Et circa istam positionem dantur multae regulae. Una est quod omne positum in tempore positionis propositum, scitum esse tale, est concedendum absolute si ipso proposito non habeat plures sensus quam quando per se profertur. Et per hoc solvitur hoc sophisma: ponatur ista `alterum istorum est verum', demonstratis istis duobus `Ioannes est episcopus', `Ioannes sedet'. Deinde proponatur ista `unum istorum est verum'; haec est concedenda, quia sequens. Deinde proponatur ista copulativa `unum istorum est verum et alterum istorum est verum'. Si neges istam et concessisti istam partem `unum istorum est verum', igitur oportet te negare alteram partem, et ita negas positum. Si concedas, concedis tibi dubium. Dicendum est quod ista copulativa non est concedenda, sed est distinguenda, eo quod in secunda parte li alterum potest esse nomen infinitum, et tunc est copulativa vera et concedenda; vel potest esse relativum, et tunc est neganda. Et est hic tertius modus amphiboliae, quia oratio per se posita non est multiplex et posita cum alia est multiplex.

Alia regula est: omne sequens ad positum vel bene concessum vel bene concessa, vel oppositum vel opposita bene negatorum, scitum esse tale, est concedendum si proponatur. Verumtamen ista propositio `omne sequens ex posito est concedendum' non est semper concedenda; sicut si ponatur ista `nihil est tibi positum' et proponatur ista `omne sequens ex posito est concedendum', neganda est tamquam repugnans posito.

Alia regula est: omne repugnans posito vel bene concesso vel bene concessis, vel opposito bene negati vel bene negatorum, in tempore positionis propositum est negandum, si non sit multiplex quando proponitur.

Alia regula est: ad omnem propositionem impertinentem, hoc est quae nec est sequens nec repugnans posito vel alicui bene concesso vel bene negato, respondendum est secundum sui qualitatem.

Hoc est, si sit vera, concedenda est; si falsa, neganda; si dubia, respondendum est dubie; si sit multiplex, distinguenda est. Ex praedictis regulis sequitur quod idem uno loco propositum est concedendum et si alio loco proponeretur esset negandum; sicut posita ista propositione `Sortes currit', et proponatur ista `tantum ista propositio est tibi posita', haec est concedenda, quia vera est et impertinens.

Si autem primo proponeretur ista `aliqua propositio falsa est tibi posita', ista esset concedenda, quia vera est et impertinens. Et si postea proponeretur ista `tantum ista propositio est tibi posita', esset neganda, quia repugnat posito et bene concesso.

Et ita ordo propositionum propositarum in arte obligatoria est necessario attendendus.

Ex praedictis etiam patet quod concessa una indefinita, non oportet concedere aliquam singularem primo loco propositam. Sicut posita ista `homo currit', non oportet aliquam singularem concedere primo loco propositam; immo omnes ordinate propositae negari possunt praeter unam, scilicet praeter ultimam, quia illa concedenda est, eo quod sequitur ex posito et oppositis bene negatorum. Sic etiam disiunctiva est concedenda, et tamen neutra pars eius primo loco proposita est concedenda.

Alia regula est quod posito possibili numquam est necessarium negandum nec impossibile concedendum. Quae intelligenda est de necessario quod semper fuit necessarium ante tempus obligationis et de impossibili quod fuit impossibile ante tempus obligationis et non de illo quod devenit necessarium vel impossibile infra tempus obligationis, quia tale necessarium potest negari et impossibile concedi, eo quod durante tempore obligationis est uniformiter respondendum ad eandem propositionem postquam semel est responsum ad eam.

3—3. 42. QUID EST POSITIO IMPOSSIBILIS?

Positio impossibilis est quando ponitur aliqua propositio impossibilis. Et sciendum est quod multum refert ponere unam propositionem impossibilem et accipere unam consequentiam in qua unum impossibile infertur ex alio impossibili.

Sicut multum refert ponere istam propositionem `homo est rudibilis' et inferre istam consequentiam `si homo est asinus, homo est rudibilis'. Similiter multum refert ponere istam propositionem `Deus non est Deus' et inferre istam consequentiam `si Deus non est, Deus non est Deus'; propter quod ista condicionalis sive consequentia concedenda est et positio non est recipienda, et quandoque positio est recipienda tamquam impossibilis et sustinenda est in positione impossibili.

Et tamen consequentia seu condicionalis bona est; sicut ista consequentia bona est `Deus non est tres personae, igitur Deus non est Deus'; et tamen antecedens potest recipi in positione impossibili et debet negari consequens.

Similiter ista consequentia est bona `Spiritus Sanctus non procedit a Filio, igitur Spiritus Sanctus non distinguitur a Filio', et tamen in positione impossibili debet recipi antecedens et negari consequens.

Ex quo patet quod multae consequentiae seu condicionales verae sunt et tam antecedens quam consequens est impossibile, et tamen antecedens potest recipi et sustineri et consequens negari.

Unde circa istam positionem impossibilem est sciendum quod non quaelibet propositio impossibilis est admittenda, quia illa propositio impossibilis quae manifeste apud omnem intellectum infert contradictoria non est admittenda.

Unde illa sola propositio impossibilis ex qua per regulas et propositiones per se notas, de quibus nullus intellectus dubitare potest, non possunt inferri contradictoria, est recipienda in positione impossibili.

Unde tales propositiones `Deus non est Deus', `Deus non est sapiens'; `homo non est risibilis' et huiusmodi possunt recipi in positione impossibili. Ex isto patet quod regulae datae de positione possibili, scilicet quod omne sequens est concedendum et omne repugnans est negandum, non sunt generaliter servandae in positione impossibili, sed sunt magis restringendae.

Unde ista regula potest dari: omne sequens ex posito consequentia naturali et simplici, tenente virtute propositionis vel regulae per se notae, est concedendum. Ex quo sequitur quod in positione impossibili quod sequitur ex positis vel bene concessis syllogistice, est concedendum.

Similiter quod sequitur virtute talium regularum debite circumstantionatarum `ab universali ad exclusivam de terminis transpositis est bona consequentia', `ab affirmativa de praedicato infinito ad negativam de praedicato finito est bona consequentia' et huiusmodi, est concedendum.

Si enim tales consequentiae negarentur, nulla posset esse disputatio.

Illud autem quod sequitur consequentia ut nunc vel consequentia materiali vel alia consequentia quam tali, potest negari, quantumcumque veraciter sequeretur ex posito. Et similiter, proportionaliter, dicendum est de negatione repugnantis. Ex isto patet, sicut tactum est prius, quod quandoque aliqua consequentia vel condicionalis est concedenda et tamen potest antecedens sustineri sine consequente, etiam quando antecedens includit contradictionem. Unde si quaeratur sic `utrum Spiritus Sanctus non distingueretur a Filio si non procederet ab eo', respondendum est quod sic, quia per istam quaestionem non quaeritur nisi de veritate istius condicionalis `si

Spiritus Sanctus non procedit a Filio, Spiritus Sanctus non distinguitur a Filio', quae vera est, quamvis non sit evidenter vera.

Unde multae consequentiae bonae sunt et multae condicionales verae, quamvis non sint evidentes nobis. Similiter, si quaeratur `an si Deus sit, Deus sit trinus et unus', respondendum est quod sic, quamvis infidelis errans aliter responderet, quia illa condicionalis vera est, quamvis non sit evidens.

Si autem quaeratur, an posito tamquam impossibili quod Spiritus Sanctus non procedat a Filio, concedendum sit tamquam sequens quod Spiritus Sanctus non distinguitur a Filio, dicendum est quod non.

Quia enim ista condicionalis non est evidens nec potest evidenter sciri `si Spiritus Sanctus non procedat a Filio, non distinguitur a Filio', ideo quamvis ista ponatur tamquam impossibilis `Spiritus Sanctus non procedit a Filio', non est ista concedenda `Spiritus Sanctus non distinguitur a Filio'.

Ex istis patet quod multae propositiones includentes contradictionem, hoc est inferentes contradictoria, possunt poni positione impossibili, nec propter hoc sunt contradictoria concedenda, quia facta positione tali non omne sequens ex posito est concedendum, sed multa sequentia sunt neganda vel non concedenda.

Omnia enim quae non sequuntur evidenter, ita quod consequentia talis non potest fieri evidens ex naturalibus, non sunt concedenda propter positum; et hoc sive positum sit una propositio categorica sive sit copulativa ex multis categoricis.

Quandoque enim una propositione impossibili posita et non alia, aliqua propositio est neganda; et si alia esset posita cum prima, illa esset concedenda. Sed numquid talis positio impossibilis est utilis? Dicendum quod quandoque talis positio est utilis.

Per talem enim positionem aperitur via ad sciendum quae consequentiae sunt bonae et evidentes et quae non sunt evidentes, ex quibus potest cognosci distinctio terminorum et ordo eorum, et quandoque potest per talem modum investigari aliquarum rerum distinctio.

3–3. 43. DE QUARTA SPECIE OBLIGATIONIS, QUAE DICITUR DEPOSITIO

Quarta species obligationis ponitur depositio. Et est depositio obligatio ad sustinendum aliquam propositionem tamquam falsam. Sicut si haec sit vera `rex sedet', et deponas, hoc est sustineas istam tamquam falsam. Unde circa istam obligationem istae sunt regulae: omne depositum sub forma depositi, propositum in tempore depositionis, est negandum; omne antecedens ad depositum est negandum; omne contradicens deposito est concedendum; ad sequens et ad omne impertinens

et ad repugnans, quod non est contradictorium nec convertibile cum contradictorio, respondendum est secundum sui qualitatem.

3–3. 44. DE QUINTA SPECIE OBLIGATIONIS, QUAE DICITUR DUBITATIO

Quinta species obligationis ponitur dubitatio. Et est dubitatio obligatio ad sustinendum aliquid tamquam dubium.

Unde regulae sunt istae: ad omne dubitatum, tempore dubitationis propositum, respondendum est dubie; similiter ad convertibile cum dubitato, scitum esse tale, respondendum est dubie; similiter ad contradictorium dubitati respondendum est dubie; ad consequens falsum respondendum est dubie; ad consequens verum respondendum est concedendo; ad antecedens falsum respondendum est negando; ad antecedens verum respondendum est dubie; ad repugnans non contradictorium nec convertibile respondendum est secundum sui qualitatem; ad impertinens respondendum est secundum sui qualitatem.

3–3. 45. DE SEXTA SPECIE OBLIGATIONIS, QUAE PONITUR `SIT VERUM'

Sexta species obligationis ponitur `sit verum'. Et est qua obligatur aliquis ad respondendum ad aliquam propositionem eo modo quo responderet si haberet determinatum actum circa illam propositionem; puta, illo modo quo responderet si sciret eam esse veram, vel eo modo quo responderet si sciret eam esse falsam, vel eo modo quo responderet si dubitaret eam.

Sicut si dicat opponens sic `sit verum te scire Sortem currere', hoc est, respondeas ad istam eo modo quo responderes si scires istam `Sortes currit'. Et mihi videtur quod ista obligatio non potest multum differre tam a positione quam a petitione.

Aut enim per talem obligationem ponitur ista `tu scis Sortem currere', vel `scis Sortem non currere', vel `dubitas Sortem currere'. Vel per talem obligationem petitur quod eodem modo respondeas ad istam quo modo responderes si scires eam esse veram, vel scires eam esse falsam, vel dubitares eam.

Et si isto secundo modo intelligatur ista obligatio, dico quod aut obligat ad istam propositionem expressam tantum, aut ad omnia antecedentia, sequentia, repugnantia et impertinentia.

Si primo modo, est obligatio recipienda.

Si secundo modo, non est universaliter recipienda, maxime quando cadit super propositionem contingentem, quia non est in potestate respondentis satisfacere petitioni. Si enim aliquis nesciat Sortem currere et petatur ab eo quod respondeat

eodem modo ad omnia ac si sciret eam, uno tempore responderet uno modo; puta, si sciret eam quando Sortes est Romae responderet uno modo, et si sciret eam quando Sortes est Londinii responderet alio modo ad multa impertinentia.

Nec est in potestate sua — ex quo nescit eam — respondere eodem modo ad omnia quae possent proponi quo responderet si sciret eam.

3—3. 46. DE INSOLUBILIBUS

Circa insolubilia sciendum est quod non ideo dicuntur a sophistis aliqua insolubilia quia nullo modo possunt solvi, sed quia cum difficultate solvuntur.

Unde sciendum quod insolubilia sophismata sunt quando per consequentias apparentes, quae videntur regulari per regulas necessarias, ex propositione aliqua contingenti infertur sua opposita; quae ideo dicuntur insolubilia, quia difficile est tales consequentias impediri.

Et talia argumenta non possunt fieri nisi quando actus humanus respicit istum terminum `falsum', vel aliquem consimilem, affirmative; vel hunc terminum `verum', vel aliquem consimilem, negative; sicut est de ista `Sortes dicit falsum' et de ista `Sortes non dicit verum'.

Et fit hoc modo insolubile.

Incipiat Sortes sic loqui `Sortes dicit falsum', ita quod nihil aliud loquatur; et tunc quaero: aut Sortes dicit verum, aut Sortes dicit falsum. Si dicas quod Sortes dicit verum, et non dicit nisi istam propositionem `Sortes dicit falsum', igitur haec est vera `Sortes dicit falsum'; et per consequens Sortes dicit falsum; et ita si dicit verum, dicit falsum. Si dicas quod Sortes dicit falsum, igitur haec est vera `Sortes dicit falsum'; et Sortes dicit hoc, igitur Sortes dicit hoc quod est verum; et per consequens Sortes dicit verum; et ita si Sortes dicit falsum, dicit verum, isto casu posito.

Istud argumentum dicitur insolubile, quia de difficili solvitur. Et ad solutionem istius et aliorum omnium est sciendum quod talis propositio contingens, ex qua debet inferri sua repugnans, vel habet hunc terminum `falsum' vel aliquem consimilem, vel hunc terminum `verum' vel aliquem consimilem. Si primo modo, oportet quod sit affirmativa, et debet dici quod sit falsa; unde si Sortes incipiat sic loqui `Sortes dicit falsum', dicendum est quod ista propositio est falsa.

Si autem inciperet sic loqui `Sortes non dicit falsum', non posset fieri tale argumentum apparens. Si autem propositio contineat hunc terminum `verum' vel aliquem consimilem, oportet quod sit negativa, et tunc est concedendum quod illa propositio est vera.

Sicut si Sortes incipiat sic loqui `Sortes non dicit verum', concedendum est quod haec est vera. Et si arguitur: si haec sit vera `Sortes non dicit verum', et Sortes

dicit hanc propositionem, igitur Sortes dicit propositionem veram, dicendum est quod ista consequentia non valet `Sortes dicit hanc propositionem, et haec propositio est vera, igitur Sortes dicit propositionem veram'.

Et ratio huius negationis est, quia in ista propositione `Sortes non dicit verum' praedicatum non potest supponere pro ista tota propositione cuius est pars, quamvis non propter hoc praecise quod est pars eius.

Et ideo ista propositio `Sortes non dicit verum' aequivalet isti `Sortes non dicit aliud verum ab isto: Sortes non dicit verum'.

Et ideo sicut non sequitur `haec est vera, et Sortes dicit istam, igitur dicit aliam propositionem veram ab ista', ita non sequitur `Sortes dicit istam propositionem: Sortes non dicit verum; et haec est vera; igitur Sortes dicit verum', et hoc, quia sicut dictum est, istae duae aequivalent `Sortes non dicit verum' et `Sortes non dicit aliud verum ab isto: Sortes non dicit verum'.

Eodem modo, proportionaliter, respondendum est ad argumentum praecedens. Quia quando Sortes incipit sic loqui `Sortes dicit falsum', et quaeritur `aut Sortes dicit verum aut falsum', dicendum est quod Sortes neque dicit verum neque falsum; sicut concedendum est quod neque dicit verum neque dicit falsum aliud ab isto. Et tunc non sequitur `haec est vera: Sortes dicit falsum; et Sortes dicit hanc; igitur Sortes dicit falsum', sicut non sequitur `Sortes dicit hoc, et hoc est falsum, igitur Sortes dicit aliud falsum ab isto'. Et hoc, quia istae duae aequivalent `Sortes dicit falsum' et `Sortes dicit aliud falsum ab isto', propter hoc quod in ista `Sortes dicit falsum' praedicatum non potest supponere pro ista propositione.

Et si dicatur: hic arguitur ab inferiori ad superius sine negatione et sine distributione, igitur est consequentia bona, dicendum est quod consequentia non valet, nisi quando illud superius in illo consequente potest supponere pro illo inferiori.

Unde si in ista `homo est animal' li animal non posset supponere pro homine, haec consequentia non valeret `Sortes est homo, igitur Sortes est animal'. In ista autem `Sortes dicit falsum' praedicatum non potest supponere pro tota ista propositione, ideo non sequitur `Sortes dicit hoc falsum, ergo Sortes dicit falsum'.

Per praedicta potest studiosus respondere ad omnia insolubilia, si solvendo ea velit naturam insolubilium diligenter advertere et inquirere. Quod relinquo ingeniosis, quia ista de obligationibus et insolubilibus non inserui nisi propter istius Summulae complementum et ne tanta pars logicae totaliter dimitteretur intacta.

Pars III – 4 : De Fallaciis

3–4. 1. DE SPECIEBUS FALLACIARUM

Cum dictum sit de argumentis et speciebus argumentorum, restat nunc dicere de defectibus argumentorum et consequentiarum. Huiusmodi autem defectus vocantur fallaciae, penes quas peccant argumenta falsa. Et ideo de fallaciis est nunc dicendum; circa quas primo sunt aliqua generalia praemittenda, secundo de eis tractandum est in speciali.

Est autem primo sciendum quod quamvis a Philosopho et aliis ponantur tredecim fallaciae, cum omne argumentum apparens et sophisticum peccans in forma peccet vel per aequivocationem vel per amphiboliam vel compositionem et divisionem vel accentum vel figuram dictioris vel secundum accidens vel secundum quid et simpliciter vel secundum consequens vel secundum ignorantiam elenchi, sicut tractando de fallaciis in speciali ostendetur, verumtamen praeter fallacias enumeratas sunt tres aliae quibus peccat opponens in arguendo contra respondentem.

Et quia Philosophus docet vitare et deprehendere defectus opponentis in arguendo, ideo tredecim fallacias enumerat. Secundo sciendum quod istarum fallaciarum quaedam ponuntur in dictione, quaedam extra dictionem.

Sex autem fallaciae ponuntur in dictione et septem extra dictionem.

Et est notandum quod `dictio' hic accipitur non solum pro voce sed pro omni signo ad placitum instituto, sive sit vox sive scriptura sive quodcumque aliud. Et dicuntur fallaciae in dictione illae penes quas peccant argumenta quae non haberent defectum nisi essent aliqua signa ad placitum instituta, ita quod ille qui praecise facit argumenta in mente, sine omni idiomate et omni signo voluntarie instituto, non deciperetur penes illas fallacias.

Talia autem argumenta non potest facere penes omnes modos talis fallaciae, quamvis in casu possit penes aliquem modum. Aliae autem fallaciae quae possunt reperiri in argumentis compositis ex propositionibus habentibus tantum esse in mente, etiamsi nullum signum esset voluntarie institutum, quantumcumque argumenta prolata vel scripta possint habere consimiles defectus, vocantur fallaciae extra dictionem.

Et ideo falsum est quod dicunt aliqui quod fallaciae in dictione sunt a parte vocis et fallaciae extra dictionem sunt a parte rei vel ex natura rei, quia non plus sunt istae ex natura rei quam illae.

Sed sic debet dici quod fallaciae in dictione sunt illae penes quas secundum omnes modos peccant omnia argumenta et sola argumenta composita ex signis

voluntarie institutis, fallaciae extra dictionem sunt illae penes quas peccant argumenta tam composita ex signis voluntarie institutis quam etiam argumenta composita ex solis signis naturaliter significantibus.

Tertio notandum est quod logicus et non sophista habet cognoscere istas fallacias, ita scilicet quod habet cognoscere quasdam regulas generales applicabiles ad omnes scientias, per quas, simul cum aliis scitis in aliis scientiis particularibus, potest deprehendere omnes defectus omnium falsorum argumentorum peccantium in forma, in quacumque materia fiant.

Ex quo patet utilitas istius notitiae, nam per istam notitiam deprehenditur de quolibet argumento peccante in forma quod non valet, et sine ista notitia impossibile est hoc scire.

Propter quod impossibile est aliquam scientiam naturalem vel moralem vel quamcumque aliam sine ista notitia perfecte habere. Et ideo ignorantes istam artem et aliis scientiis intendentes, sive intendant philosophiae naturali sive morali, sive etiam iuri civili vel canonico, sive theologiae sive scientiae cuicumque, si velint ex capite proprio multa docere vel scribere praeter illa quae inveniuntur expresse in sacra Scriptura et praeter ista quae vocaliter inveniuntur in libris scientium logicam, necessario in multos errores prolabentur. Unde non dubito quin multitudo et contrarietas opinionum tam in theologia quam in philosophia modernis temporibus ex hoc provenit quod multi ignorantes logicam novas opiniones, praeter vocaliter expressas in Scriptura sacra et dictis Sanctorum et Aristotelis, publice docuerunt et — replendo quaternos non paucos — in scriptis reliquerunt. Quarto sciendum est quod penes istas fallacias non tantum peccant paralogismi stricte sumpti, qui scilicet sunt ex duabus propositionibus et una conclusione, sed etiam omnes falsae consequentiae peccant penes has fallacias, sive istae consequentiae sint enthymemata sive inductiones sive exempla, quae ideo vocari possunt paralogismi quia in syllogismum reduci possunt.

3—4. 2. DE AEQUIVOCATIONE ET PRIMO EIUS MODO

His visis dicendum est de fallaciis in speciali. Et primo de aequivocatione. Circa quam primo videndum est quid sit aequivocatio; secundo de modo et forma respondendi ad paralogismum aequivocationis; tertio quot modis fit aequivocatio.

Circa primum dicitur quod aequivocatio est diversa significatio alicuius termini positi in oratione, ita quod secundum istos causa non—exsistentiae est diversitas significationis. Sed istud non est bene dictum, nam non semper ubi est aequivocatio ibi est diversitas significationis. Bene enim potest esse aequivocatio in pure univoco; sicut ista propositio `homo est nomen' est distinguenda penes aequivocationem, etiam si hoc nomen `homo' non significaret nisi unum, nec proprie nec improprie, et tamen hic non est diversa significatio. Et ideo dicendum est quod aequivocatio magis proprie definitur sic: aequivocatio est multorum vocatio sub eadem voce vel sub eodem signo.

Ut `vocatio' non accipiatur hic pro significatione tantum sed magis pro suppositione seu pro alicuius positione. Et debet intelligi quod sit `multorum vocatio' praedicto modo, vel quod denotetur fieri multorum vocatio vel non fieri, quia non semper quando est aequivocatio stat ibi terminus pro diversis, sed aliquando denotatur stare pro diversis et aliquando non denotatur stare pro diversis.

Verbi gratia si dicam sic `homo est species', ista est distinguenda, quia iste terminus `homo' potest stare pro multis, scilicet pro intentione animae et pro homine extra. Sed si dicam sic `homo albus fuit homo', posito quod numquam aliquis homo fuerit albus, subiectum non stat pro multis, — scilicet pro illis qui fuerunt albi vel pro his qui sunt albi —, quia numquam fuit aliquis talis, sed denotatur stare pro talibus in ista negativa `homo albus non fuit'.

Denotatur enim stare pro talibus saltem sub disiunctione.

Sciendum tamen quod `stare pro diversis' non facit aequivocationem, sed `stare pro diversis, ita quod pro uno et non pro alio' facit aequivocationem. Sicut in ista `omnis homo est animal', `homo' stat pro diversis, et tamen non est aequivocatio; sed in ista `homo est species' potest sic stare pro diversis, quia potest stare pro intentione et non pro re extra, vel potest stare pro re extra et non pro intentione, ita scilicet quod aliquis utatur hac voce pro uno et non pro alio.

Ex hoc patet quod causa apparentiae istius fallaciae est identitas vocis vel signi, causa nonexsistentiae est diversitas usus, quia scilicet contingit ea uti uno modo vel alio.

Circa secundum est sciendum quod forma respondendi ad talem paralogismum debet esse ista: quod posita aliqua propositione in qua ponitur aliqua una dictio qua contingit sic diversimode uti, ista propositio est distinguenda, eo quod contingit uti tali dictione sic vel sic. Et sic respondendum est vel concedendo argumentum vel negando, vel in uno sensu concedendo et in alio negando, vel in utroque concedendo vel in utroque negando. Circa tertium sciendum est quod tres ponuntur modi aequivocationis. Primus modus est quando aliqua dictio est aequivoca a casu. Vocatur autem `aequivocum a casu' quando dictio aeque primo — non semper quidem aeque primo tempore sed intentione — pluribus impositionibus, vel una aequivalenti pluribus, imponitur ad significandum, ita scilicet quod una impositione imponitur ad significandum ac si non esset prius imposita. Sicut contingit quando eadem dictio est eadem in diversis idiomatibus, sicut haec dictio `me' et est Latinum et est Anglicum, ideo est aequivocum a casu. Ita etiam est in eisdem dictionibus eiusdem idiomatis frequenter. Et est sciendum quod non solum dictio quae proprie aliquid significat, cuiusmodi est dictio categorematica, sed etiam dictio quae nihil per se et proprie significat sed tantum consignificat, cuiusmodi sunt dictiones syncategorematicae, possunt esse aequivocae, sicut patebit de adverbiis, coniunctionibus et aliis signis. Secundo notandum est quod quaelibet propositio in qua ponitur talis dictio aequivoca semper de virtute sermonis est distinguenda, eo quod potest accipi sic vel sic, et hoc sive sit in uno sensu vera et in alio sensu falsa,

sive in utroque sensu falsa sive in utroque vera. Tamen aliquando disputantes possunt illos terminos arctare ad certum sensum vel ad certam significationem, et tunc non est distinguenda. Potest autem hoc fieri vel per consuetudinem vel per certam ordinationem inter eos. Potest etiam hoc fieri per additionem alicuius; sicut si opponens dicat: volo quod quandocumque addo huic dictioni `canis' a, quod stet praecise pro animali latrabili. Tunc si opponens proponat istam propositionem `omnis canis a est latrabilis', non est distinguenda; si autem proponat istam `omnis canis est latrabilis', est distinguenda. Potest etiam fieri sine additione tali; sicut si opponens dicat sic: volo in tota ista disputatione accipere hoc nomen `canis' praecise pro animali latrabili. Tunc quandocumque in ista disputatione proponatur propositio in qua ponitur haec dictio

'canis', non est distinguenda. Et si quaeratur an talis propositio distinguenda sit vera vel falsa, dicendum est quod vocando `verum' omne illud quod est signum subordinatum verae propositionis in mente, talis propositio distinguenda est; si habeat unum sensum verum et alium falsum ipsa est tam vera quam falsa, quia sibi correspondet tam vera propositio quam falsa in mente.

Vocando autem `verum' illud cui correspondet praecise una propositio in mente vera et non falsa, sic accipiendo hoc vocabulum talis propositio nec est vera nec falsa. Et ideo quod aliquando dixi quod eadem propositio est vera et falsa, necessaria et impossibilis, et aliquando quod eadem propositio non est vera et falsa, aequivoce accepi `verum' et `falsum' in uno loco et in alio.

Quam aequivocationem tunc intellexi, quamvis non expresserim, sicut nec aliqui scribentes semper exprimunt aequivocationes quas advertunt in dictis suis. Penes istum primum modum peccant talia argumenta `omnis canis est animal; caeleste sidus est canis; igitur caeleste sidus est animal', nam tam maior quam minor est distinguenda, eo quod li canis in utraque potest stare pro animali latrabili, et tunc valet syllogismus, sed minor est falsa, ista scilicet `caeleste sidus est canis'.

Vel potest stare tam in maiore quam in minore pro caelesti sidere, et tunc etiam valet syllogismus, sed maior est falsa, ista scilicet `omnis canis est animal', quia tunc denotatur quod caeleste sidus est animal.

Vel potest `canis' in maiore stare pro animali latrabili et in minore pro caelesti sidere, et tunc non valet syllogismus sed est fallacia aequivocationis, quia `canis' aequivoce accipitur in maiore et in minore.

Similiter talis consequentia peccat secundum fallaciam aequivocationis `omnis canis est animal, ergo caeleste sidus est animal', nam illud antecedens `omnis canis est animal' est distinguendum, eo quod `canis' potest stare pro animali latrabili; et tunc non valet consequentia, quia tunc arguitur a termino stante pro uno significato ad eundem terminum stantem pro alio significato quam pro illo pro quo stat in antecedente, sicut manifeste patet.

Si autem li canis stet pro caelesti sidere in antecedente, tunc est consequentia bona, quia arguitur a termino stante pro uno significato ad illud idem significatum, vel magis proprie loquendo ad eundem terminum stantem pro eodem significato; et ita tunc consequentia est bona, sed antecedens est falsum.

Et iste modus respondendi vel consimilis debet servari in respondendo ad quodcumque argumentum in quo ponitur aliqua propositio distinguenda penes quamcumque fallaciam. Penes istum modum peccant tales paralogismi `tantum aqua est in vase; color est in vase; igitur color est aqua', nam li in diversimode et aequivoce accipi potest: uno modo ut denotet aliquid esse in aliquo loco, sicut locatum dicitur esse in loco, et sic est maior vera; aliter accipitur in minore, ut denotet aliquid esse in aliquo tamquam accidens in subiecto.

Et sicut accidit aequivocatio propter hanc dictionem `in', ita frequenter accidit aequivocatio propter alias dictiones syncategorematicas. Quando autem hoc contingat, scitur per usum et exercitium in diversis scientiis.

3—4. 3. DE SECUNDO MODO AEQUIVOCATIONIS

Circa secundum modum aequivocationis est sciendum quod tunc est secundus modus aequivocationis quando eadem dictio primo et principaliter imponitur ad significandum vel consignificandum aliquid vel aliqua, et secundario propter aliquam attributionem alterius rei ad primum significatum imponitur ad significandum aliud vel alia, ita quod in aliquibus propositionibus utimur illo vocabulo aliter quam primo erat institutum, et non in omnibus.

Sicut est de isto nomine `homo', quod primo erat impositum ad significandum animalia rationalia et secundo propter similitudinem statuae ad hominem utimur hoc nomine `homo' pro statua in aliquibus propositionibus, sicut in talibus `homo depingitur', `homo est aureus vel argenteus', quando statua fit ex auro vel argento.

In multis autem aliis propositionibus non utimur illo vocabulo pro tali secundario significato; sicut in talibus propositionibus `homo currit', `homo est animal' et consimilibus non utimur hoc nomine `homo' nisi pro primario significato et non pro secundario significato.

Ex hoc oritur una regula talis, quod numquam est propositio distinguenda penes secundum modum aequivocationis nisi quando illud vocabulum quod potest sic aequivoce accipi comparatur alicui verificabili de secundario significato vel pro aliquo consimili.

Et ideo ista est distinguenda `homo depingitur' et non ista `homo currit' nec ista `homo est animal', et sic de aliis. Et huius ratio est quia semper terminus, ubicumque ponatur, potest stare pro suo primario significato, sed non potest semper stare pro suo secundario significato, sed tantum in propositione ubi comparatur alicui verificabili de suo secundario significato.

Et ideo tantum talis propositio est distinguenda penes secundum modum aequivocationis.

Et si quaeratur causa et ratio huius, dicendum est quod principalis ratio istius est voluntas utentium, et ideo si placeret utentibus, posset utraque distingui, hoc tamen usus non habet. Penes istum modum peccant tales discursus `quidquid currit, habet pedes; aqua currit; igitur aqua habet pedes'; `omnis homo est animal rationale; ista imago est homo; igitur ista imago est animal rationale'; `petra erat Christus, igitur aliquod irrationale erat Christus' et huiusmodi.

Et similiter non sequitur `omne sanum est animal; urina est sana; igitur urina est animal', 'diaeta est sana, igitur diaeta est corpus animatum', et sic de multis talibus. Et universaliter quando aliqua dictio potest sumi metaphorice et transumptive, potest causare fallaciam aequivocationis.

Sicut in talibus `subiectum scientiae est materia scientiae, igitur scientia componitur ex materia et forma'; nam antecedens istius consequentiae est distinguendum ex eo quod hoc nomen `materia' potest accipi proprie, et sic est falsa `subiectum scientiae est materia scientiae'; vel potest accipi metaphorice et improprie, et sic non valet consequentia. Similiter est hic `figura est forma aeris, igitur aes et figura distinguuntur realiter'; nam `forma' potest accipi proprie, et sic est antecedens falsum, vel potest accipi improprie, et sic consequentia non valet. Similiter est hic `statua componitur ex aere et figura, igitur aes et figura distinguuntur realiter'; nam `componi' potest accipi proprie, et sic est antecedens falsum, vel metaphorice et improprie, et sic consequentia non valet. Et sicut est de istis, ita est de innumerabilibus aliis, quia vix est aliqua dictio, maxime multum usitata, quin aliquando accipiatur improprie et metaphorice. Et ideo summe necessarium est inspicienti dicta auctorum scire quando accipiunt vocabula proprie et quando improprie, quia aliter faciliter decipitur. Et propter hoc scriptores veteres, quia tam profunditate scientiae quam splendore eloquentiae praepollebant, necesse fuit eos propter ornatum eloquii per diversa vocabula et varias dictionum et orationum formas suam intentionem exprimere, ipsas voces frequenter a significatione propria ad impropriam transferendo.

Cuius translationis et locutionis metaphoricae grammatici diversas species in auctoribus usitatas tradunt, quarum aliquae fiunt quando dictio transfertur a significatione propria ad impropriam, et illae deserviunt secundo modo fallaciae aequivocationis; aliquae autem accidunt ex hoc quod una oratio transfertur a significatione propria ad impropriam, et illae deserviunt fallaciae amphiboliae, de quarum aliquibus est nunc breviter transcurrendum.

Unde una translatio est quando nomen totius ponitur pro nomine partis vel e converso; sicut si dicatur `hoc corpus est Sortes', demonstrando cadaver quod fuit pars Sortis. Alia est quando unum contrariorum ponitur pro reliquo. Alia quando ponitur causa pro causato vel e converso. Quandoque autem continens pro contento vel e converso.

Et quandoque nomen inventoris pro nomine inventi vel e converso. Et quandoque nomen unius speciei pro nomine alterius speciei, ratione alicuius proprietatis convenientis individuis utriusque speciei.

Quandoque ponitur nomen materiati pro nomine materiae et e converso. Quandoque ponitur nomen temporis pro effectu temporis et e converso. Quandoque nomen antecedentis pro nomine consequentis et e converso. Et quandoque nomen efficientis pro nomine effectus et e converso. Et quandoque nomen commune appropriatur uni. Quandoque ponitur nomen concretum pro abstracto et e converso. Et quandoque nomen passionis humanae attribuitur Deo et e converso. Et quandoque verbum unius temporis ponitur pro verbo alterius temporis. Et quandoque unus casus ponitur pro alio casu. Et quandoque proprietas unius partis attribuitur alteri parti seu nomini alterius partis. Quandoque singulare ponitur pro plurali et e converso. Et quandoque proprietas animalis attribuitur non animali et e converso. Et quandoque una propositio ponitur pro alia. Et quandoque dictio unius partis orationis ponitur pro dictione alterius partis orationis. Istis modis et multis aliis possunt dictiones a propria significatione transferri ad impropriam, cuiusmodi translationis grammatici diversas docent species.

Inter quas continentur istae: metaphora, synecdoche, metonymia, antonomasia, emphasis, catachresis, metalempsis, anthropopathos, onomatopoeia, phantasia, paralange et multae aliae, quarum notitiam in grammatica, quae omnibus scientiis subministrat, perfecte traditam omni volenti studere in libris auctorum et in Scriptura sacra puto multum necessariam, sine qua frequenter accidet error, pervertendo intentionem scribentium. Et nota quod aequivocum tale, iuxta istum secundum modum, vocatur a Boethio aequivocum a consilio.

3—4. 4. DE TERTIO MODO AEQUIVOCATIONIS

Circa tertium modum aequivocationis est primo sciendum quod tunc est tertius modus aequivocationis quando aliqua dictio non accipitur pro diversis significatis, sed ex hoc solum quod alicui comparatur quod non plus pertinet ad primarium significatum quam ad secundarium. Et iste modus non accidit ex hoc quod vox potest significare diversa, sicut contingit in duobus primis modis, sed ex hoc quod eadem vox potest supponere pro diversis. Et ideo pro isto modo dantur diversae regulae, quibus potest cognosci. Est autem una regula quod quando unum extremum propositionis est nomen primae intentionis, sumptum sine signo universali et particulari, et aliud extremum est nomen secundae intentionis, illa propositio est distinguenda penes tertium modum aequivocationis, eo quod nomen primae intentionis potest supponere simpliciter vel personaliter, et secundum hoc potest accidere in argumento fallacia aequivocationis.

Et secundum istum modum peccant talia sophismata `attributa non sunt idem essentiae divinae; sapientia est attributum, et similiter iustitia est attributum; igitur sapientia et iustitia non sunt idem essentiae divinae'.

Respondeo: ista propositio est distinguenda `sapientia est attributum', eo quod `sapientia' potest supponere simpliciter vel personaliter. Si primo modo, tunc est fallacia aequivocationis, quia in minore accipitur simpliciter et in conclusione personaliter, et per consequens aequivoce.

Si supponat secundo modo, sic minor est falsa, quia tunc non denotatur quod ille conceptus qui attribuitur et concluditur de Deo sit attributum, sed quod illa res quam significat talis conceptus est attributum.

Quod falsum est, quia non plus est illa res quae est sapientia divina attributum quam illa res quae est essentia divina. Et per consequens accipiendo terminos personaliter et significative non plus est haec vera `sapientia est attributum' quam ista `essentia est attributum'.

Accipiendo tamen terminos simpliciter et pro intentionibus animae, est una vera et alia falsa. Similiter accidit hic `unum est passio entis; unum est idem realiter cum ente; igitur idem est passio sui ipsius'.

Similiter hic `rationale et homo sunt idem realiter; sed ``rationale *est differentia et* ``*homo* est species; igitur species et sua differentia sunt idem realiter'. Similiter hic `homo et risibile sunt idem realiter; sed ``risibile *est passio hominis et* ``*homo* est subiectum; igitur passio et suum subiectum sunt idem realiter'.

Responsio ad omnia ista patet: nam istae propositiones `unum est passio entis', `rationale est differentia hominis', `risibile est passio hominis', `homo est subiectum risibilis', non sunt verae nisi subiectis supponentibus simpliciter.

Aliae autem praemissae non sunt verae nisi eisdem terminis acceptis personaliter. Et ideo manifestum est quod in illis est fallacia aequivocationis penes tertium modum. Similiter est hic `homo et animal rationale sunt idem realiter; homo et animal rationale differunt ratione; igitur aliqua quae differunt ratione sunt idem realiter'. Similiter est hic `sapientia et essentia differunt ratione, quia sunt distincti conceptus; sapientia et essentia sunt idem realiter; igitur aliqua quae sunt idem realiter differunt ratione'.

Similiter hic `homo et animal rationale sunt idem realiter; homo et animal rationale sunt definitio et definitum; igitur definitio et definitum sunt idem realiter'. Similiter hic `homo et animal sunt eadem res; homo est species, animal est genus; igitur genus et species sunt eadem res'.

Unde in istis et in infinitis consimilibus aliquae propositiones non possunt esse verae nisi terminis sumptis simpliciter et aliae non possunt esse verae nisi eisdem terminis sumptis personaliter.

Et ita patet quod si propositiones sunt verae, termini aequivoce accipiuntur, et per consequens nullam inferunt conclusionem. Alia regula est quod quando unum

extremum propositionis est nomen primae impositionis et aliud extremum est nomen secundae impositionis, si nomen primae impositionis non sumatur cum signo universali vel particulari ista propositio est distinguenda, eo quod nomen primae impositionis potest accipi personaliter vel materialiter.

Sicut ista propositio est distinguenda `homo est nomen', eo quod `homo' potest accipi personaliter et significative, et sic est falsa, vel materialiter pro ista voce, et sic est vera. Et sic solvuntur talia sophismata: `Deus et deitas sunt idem realiter; et Deus et deitas sunt concretum et abstractum; igitur concretum et abstractum sunt idem realiter'.

Responsio: ista est distinguenda `Deus et deitas sunt concretum et abstractum', eo quod isti termini `Deus' et `deitas' possunt supponere materialiter, et sic est vera; et tunc aequivoce accipiuntur in maiore et in minore, et per consequens nullam inferunt conclusionem.

Vel possunt supponere personaliter, et tunc est ista propositio falsa.

Eodem modo fallit hoc argumentum `homo et risibile sunt idem realiter; homo et risibile sunt convertibilia; igitur convertibilia sunt idem realiter'. Et eodem modo est solvendum. Alia regula potest dari quod quando nomen primae intentionis comparatur alicui nomini communi praecise intentionibus animae et nominibus secundae impositionis, illa propositio est distinguenda, eo quod illud nomen potest supponere simpliciter vel personaliter vel materialiter, sicut patet in aliquibus exemplis praeadductis.

Et ista exempla adducta sunt tantum gratia exempli. Talia nomina, communia praecise intentionibus animae et nominibus secundae impositionis, sunt ista `universale', `commune', `praedicabile', `subicibile', `nomen' et huiusmodi multa.

Est etiam sciendum quod praecedentes regulae non tantum sunt intelligendae de nominibus sed etiam de omni parte orationis. Quarta regula est quod quando terminus communis supponit personaliter et subicitur respectu verbi de praeterito, illa propositio est distinguenda, eo quod terminus subiectus potest supponere pro his quae sunt vel pro his quae fuerunt.

Sicut haec est distinguenda `aliquis puer fuit senex', eo quod li puer potest supponere pro eo qui est puer, et tunc aequivalet isti `aliquis, qui modo est puer, fuit senex'; vel potest supponere pro eo qui fuit puer, et tunc est sensus `aliquis, qui fuit puer, fuit senex'.

Et per istam distinctionem solvuntur talia sophismata `aliquod album fuit Sortes, igitur Sortes fuit albus', quia si subiectum antecedentis stet pro his quae sunt, consequentia non valet; si pro his quae fuerunt, consequentia est bona.

Quinta regula est quod quando terminus communis supponens personaliter subicitur respectu verbi de futuro, illa propositio est distinguenda penes tertium modum aequivocationis, eo quod subiectum potest supponere pro his quae sunt vel pro his quae erunt.

Sexta regula est quod quando terminus communis supponens personaliter subicitur respectu verbi de possibili vel de contingenti, illa propositio est distinguenda, eo quod terminus subiectus potest stare pro his quae sunt vel pro his quae possunt esse vel pro his quae contingunt esse.

Alia regula est quod quando eadem dictio potest esse diversorum casuum, generum vel numerorum vel aliorum accidentium grammaticalium, illa propositio est distinguenda penes tertium modum aequivocationis.

Sicut ista `isti asini sunt episcopi', eo quod li episcopi potest esse nominativi casus vel genitivi. Verumtamen in tali paralogismo potest frequenter assignari primus modus aequivocationis; sed quando hoc habeat fieri et quando non, propter brevitatem omitto.

Et est notandum quod iste tertius modus aequivocationis potest reperiri in propositione pure mentali, quamvis duo primi modi non habeant locum nisi in signis ad placitum institutis.

Unde ista propositio mentalis `homo est species' distingui potest, eo quod subiectum potest supponere significative vel pro se ipso. Et sic de consimilibus est dicendum.

3—4. 5. DE FALLACIA AMPHIBOLIAE

Post fallaciam aequivocationis sequitur fallacia amphiboliae. Circa quam primo sciendum est quod sicut fallacia aequivocationis accidit ex hoc quod aliqua dictio potest diversimode accipi, ita fallacia amphiboliae accidit ex hoc quod aliqua oratio potest diversimode accipi, absque hoc quod aliqua dictio primo diversimode accipiatur; ita quod sicut dictio est multiplex, ita tota oratio est multiplex.

Secundo sciendum est quod sicut aequivocationis sunt tres modi, ita amphiboliae sunt tres modi. Primus modus est quando aliqua oratio aeque primo et aeque proprie per se posita potest habere multos sensus.

Quando autem hoc contingit, pro diversis casibus sunt diversae regulae dandae. Potest autem una regula esse talis: quando aliqua nomina eiusdem casus praecedit verbum quod potest regere utrumque casum et inter illa ponitur aliquod aliud verbum infinitivi modi, illa oratio est ambigua et potest habere diversos sensus. Sicut accidit hic `audio Graecos vicisse Romanos'; nam unus sensus est iste `audio quod

Romani vicerunt Graecos', et alius sensus est iste `audio quod Graeci vicerunt Romanos'.

Et ideo quando una dictio potest esse unius casus vel alterius, non est amphibolia, sicut dicunt aliqui, sed aequivocatio. Sed in tali casu quando in omni sensu est eiusdem casus, est amphibolia, sicut est in exemplo proposito.

Alia regula est quod oratio in qua ponitur ablativus casus absolutus est multiplex secundum amphiboliam, quia talis propositio potest aequivalere condicionali, temporali vel causali. Sicut ista est distinguenda `nullo currente crescunt tibi cornua fronte'; unus sensus est iste: si nullus currit, crescunt tibi cornua fronte; alius sensus est iste: quia nullus currit, crescunt tibi cornua fronte; tertius sensus est iste: dum nullus currit, crescunt tibi cornua fronte.

Et quilibet istorum est falsus. Similiter ista est distinguenda `nullo homine exsistente homo non est animal'; unus sensus est iste: si nullus homo exsistit, homo non est animal.

Et iste sensus est verus. Alius sensus est iste: quia nullus homo exsistit, homo non est animal. Et iste sensus est falsus. Tertius sensus est iste: dum nullus homo exsistit, homo non est animal.

Qui similiter est falsus.

Notandum quod eadem regula est quando ponitur gerundivum cum aliqua propositione, sicut est hic: neutrum oculum habendo potes videre. Ista enim habet istos sensus: si neutrum oculum habes, potes videre; quia neutrum oculum habes, potes videre; dum neutrum oculum habes, potes videre.

Alius sensus posset esse iste `quamvis nullum oculum haberes, posses videre', hoc est dictu, istae duae stant simul `nullum oculum habes' et `tu vides'. Ex isto patet quod tales consequentiae non valent `isto currente non crescunt tibi cornua fronte, illo currente non crescunt tibi cornua fronte, et sic de singulis, ergo nullo currente crescunt tibi cornua fronte'; `istum oculum non habendo potes videre, illum oculum non habendo potes videre, igitur neutrum oculum habendo potes videre', quia sicut hypotheticae non possunt sic induci, ita tales aequivalentes hypotheticis non possunt sic induci.

Unde sicut non sequitur `si iste homo currit, non crescunt tibi cornua fronte, si ille homo currit non crescunt tibi cornua fronte, et sic de singulis, igitur si nullus homo currit, crescunt tibi cornua fronte', sic non sequitur `isto currente non crescunt tibi cornua fronte, et illo currente non crescunt etc., et sic de singulis, igitur nullo currente crescunt etc.'.

Et eodem modo de consimilibus est dicendum. Alia regula est: quando dictum exclusivae accipitur cum modo, illa propositio est distinguenda, eo quod potest

denotare modum verificari de tota exclusiva vel potest denotare modum illum verificari de praeiacente exclusivae et de nullo alio. In primo sensu dictio exclusiva deservit primo subiecto praeiacentis, in secundo sensu facit exclusionem circa totam praeiacentem. Sicut ista est distinguenda secundum amphiboliam `tantum hominem esse Sortem est verum'; in primo sensu denotatur quod haec sit vera `tantum homo est Sortes', et iste sensus est verus. Et ita patet quod haec dictio `tantum' exercet exclusionem circa hoc subiectum `homo'. In secundo sensu denotatur quod tantum ista propositio sit vera `homo est Sortes', et ita exercet exclusionem circa istam propositionem `homo est Sortes', et denotatur quod haec propositio sit vera et nulla alia. Quarta regula est quod quando accipitur modus cum dicto, illa propositio est distinguenda, eo quod potest denotari modus competere toti propositioni cuius est dictum, vel propositioni de inesse in qua supponit pronomen demonstrativum vel nomen proprium alicuius pro quo supponit subiectum respectu eiusdem praedicati mediante hoc verbo `est' de praesenti.

Sicut ista est distinguenda secundum amphiboliam `contingit tacentem loqui'; unus sensus est iste `haec est contingens: tacens loquitur', et iste sensus est falsus.

Alius sensus est iste `aliqua talis est contingens: iste loquitur', demonstrando aliquem qui tacet. Intelligendum est quod tales propositiones de quibus dantur duae regulae immediate praecedentes, communiter distinguuntur secundum compositionem et divisionem, qua distinctione frequenter usus sum loquendo de eis.

Cum hoc tamen stat quod possint distingui secundum amphiboliam. Et mihi videtur quod facilius est distinguere eas secundum amphiboliam quam secundum compositionem et divisionem, quia a multis non potest videri quomodo in talibus propter solam punctuationem diversam, retentis eisdem dictionibus et eodem ordine, diversi sensus causantur. Sed si tales orationes distinguuntur secundum amphiboliam, faciliter sensus deprehenduntur, servata arte Boethii in libro Divisionum in assignatione orationum ambiguarum, quia talis assignatio facienda est aut per adiectionem aut per diminutionem aut per divisionem aut per aliquam transmutationem.

Et iste modus servandus est in talibus propositionibus, ut proposita ista oratione ambigua `album esse nigrum est possibile', determinantur sic sensus `haec est possibilis: album est nigrum', `album potest esse nigrum'.

Et ita patet quod tales orationes sive distinguantur secundum compositionem et divisionem sive secundum amphiboliam, sensus non variantur. Secundo sciendum est quod duae praedictae regulae non tantum sunt intelligendae de quatuor modis famosis, sed etiam intelligendae sunt de omnibus modis.

Unde omnes tales sunt distinguendae `omnem hominem esse animal est scitum a te'; `album aedificare est per se verum'; `omnem triangulum habere tres etc. est demonstrabile', et ita de aliis.

Tertio est sciendum quod ultima regula non tantum intelligenda est quando ponitur modus cum dicto propositionis, sed etiam locum habet quando coniungitur modus cum propositione mediante aliquo verbo et hac dictione `quod'.

Unde omnes tales sunt praedicto modo distinguendae `scio quod omnis homo est animal', `possibile est quod album sit nigrum', et huiusmodi, puta tales `quod quilibet homo sit Sortes, est possibile', `quod nullum album sit homo, est necessarium.

Nam prolata tali propositione `possibile est quod album sit nigrum', potest unus apprehendere talem sensum `haec propositio est possibilis: album est nigrum', alius autem potest intelligere talem sensum `possibile est quod aliquid, quod modo est album, fiat postea nigrum'.

Et ita tales propositiones sunt distinguendae. Et quia tales sensus diversi possunt haberi sine diversitate punctuationis, ideo est ibi amphibolia, non obstante quod esset ibi compositio et divisio.

Quarto notandum est quod ad istum modum habet reduci distinctio istius propositionis `quicumque dicit te esse animal, dicit verum', ut unus sensus sit iste: quicumque dicit hanc propositionem `tu est animal', dicit verum. Et iste sensus est verus. Alius sensus est iste: quicumque dicit aliquam propositionem ex qua sequitur quod tu es animal, dicit verum. Et iste sensus est falsus, quia omnes tales propositiones `tu es asinus', `tu es bos', `tu es capra' et consimiles, inferunt istam `tu es animal', et tamen non quicumque dicit eas, dicit verum.

Et si quaeratur quare tales propositiones sunt distinguendae, de quibus dantur praedictae regulae, dicendum est quod sicut non potest dari ratio quare aliqua dictio est aequivoca nisi voluntas utentium, ita non potest dari aliqua ratio quare oratio est aequivoca nisi voluntas utentium.

Et ideo quia diversi ex tali oratione prolata diversos sensus tales concipiunt, ideo talis oratio est distinguenda secundum amphiboliam, secundum doctrinam Boethii, in libro Divisionum, dicentis: In ambiguis uterque auditor rationabiliter se ipsum intellexisse arbitratur, ut cum dicit quis `audio Graecos vicisse Romanos', unus potest intelligere quod Graeci Romanos vicerunt, alius e converso.

Ita est de talibus propositionibus, quod prolata hac propositione `scio quod omnis homo est animal', unus potest intelligere quod `scio istam propositionem: omnis homo est animal', alius potest intelligere `scio de quolibet homine quod ipse est animal'.

Quinta regula est: quando haec coniunctio `vel' ponitur inter duos vel plures terminos, illa est distinguenda, eo quod potest esse disiunctiva, et tunc disiungit inter propositiones, vel potest esse de disiuncto extremo, et tunc disiungit inter terminos, et est categorica.

Unde ista `omnis homo est sanus vel aeger' est isto modo distinguenda, quia unus sensus est iste `omnis homo est sanus vel omnis homo est aeger', qui est falsus; alius sensus est iste `de quolibet homine dicitur hoc praedicatum: sanus vel aeger', qui verus est.

Sexta regula est: quando haec coniunctio `et' ponitur inter duos terminos, illa propositio est distinguenda, eo quod potest esse copulativa vel de copulato extremo. Sicut haec est distinguenda `isti sunt Sortes et Plato', demonstratis Sorte et Platone; unus sensus est iste `isti sunt Sortes et isti sunt Plato', et iste sensus est falsus; alius sensus est iste `isti sunt isti homines', et iste sensus est verus.

Septima regula est: quando haec coniunctio `si' ponitur inter duos terminos, illa propositio est distinguenda, eo quod potest esse condicionalis vel de condicionato extremo. Sicut haec est distinguenda `omne animal, si est rationale, est homo'; unus sensus est iste `si omne animal est rationale, omne animal est homo', et iste sensus est verus.

Alius sensus est iste: de quocumque dicitur hoc totum `animal si est rationale', de eodem dicitur hoc praedicatum `homo'; et iste sensus est falsus, nam de asino praedicatur hoc totum condicionatum `animal, si est rationale', et tamen de asino non praedicatur `homo'.

Et per hoc possunt solvi talia sophismata `omne verum, si est necessarium, est verum; te esse asinum est verum, si est necessarium; igitur te esse asinum est verum', quia maior est distinguenda, eo quod potest esse condicionalis, et tunc est vera, sed discursus non valet, quia ex tali condicionali et tali categorica non sequitur conclusio categorica.

Vel potest esse maior de condicionato subiecto, et tunc est consequentia bona, sed tunc maior est falsa. Octava regula est quod quando haec coniunctio `quia' ponitur inter duos terminos, illa est distinguenda, eo quod potest esse causalis vel de causali extremo.

Nona regula est quod quando aliquod adverbium temporale ponitur inter duos terminos, illa oratio est distinguenda, eo quod potest esse temporalis vel de temporali extremo. Decima regula est quod quando aliquod adverbium locale ponitur inter duos terminos, illa oratio est distinguenda secundum amphiboliam, eo quod potest esse localis vel de locali extremo.

Sciendum est quod orationes de quibus dantur sex ultimae regulae a multis ponuntur esse distinguendae secundum compositionem et divisionem; et sive dictum eorum sit verum sive falsum, non obstat quin sint distinguendae secundum amphiboliam.

Et quidquid sit de illo dicto, dico quod distinctio illarum secundum amphiboliam est manifestior quam distinctio secundum compositionem et

divisionem, quia difficile vel impossibile est in talibus concipere diversos sensus propter solam diversam punctuationem earundem dictionum sub eodem ordine prolatarum.

Secundo sciendum est pro isto modo amphiboliae et pro sequentibus quod in assignando diversos sensus alicuius orationis multiplicis secundum amphiboliam, non debent assignari illi sensus sub eisdem dictionibus sed sub diversis, et hoc vel per additionem vel per diminutionem aut per divisionem aut per transmutationem, sicut docet Boethius in libro Divisionum.

Per additionem, ut cum dicitur `audio Troianos vicisse Graecos' sensus potest sic assignari per additionem `audio Troianos vicisse, Graecos vinci'; `audio Troianos vinci, Graecos vicisse'.

Per diminutionem sic `audio Graecos vicisse'. Per divisionem sic ut `Graeci vicerunt, Troiani victi sunt'. Per transmutationem sic `audio quod Graeci vicerunt Troianos' vel `audio quod Troiani vicerunt Graecos'. Et sicut sensus istius propositionis multiplicis `audio Graecos vicisse Troianos' possunt diversis modis praedictis assignari, ita aliae orationes multiplices secundum amphiboliam possunt omnibus praedictis modis vel aliquibus illorum assignari. Et ideo non semper eiusdem orationis multiplicis ambiguae sensus sub eisdem verbis assignantur, quamvis diversae assignationes idem significent.

Hoc addidi de Boethio propter aliquas cavillationes quae possunt fieri contra aliqua dicta hic et contra aliqua quae dixi in diversis opusculis. Praeter istas etiam decem regulas possent dari aliae multae deservientes primo modo amphiboliae, de quibus propter brevitatem pertranseo.

3—4. 6. DE SECUNDO MODO AMPHIBOLIAE

Circa secundum modum amphiboliae est sciendum quod tunc est aliqua oratio multiplex penes secundum modum amphiboliae quando aliqua oratio proprie et ex sua primaria significatione seu impositione tantum uno modo accipitur, sed improprie et secundario potest aliter accipi et alium sensum habere. Sicut ista oratio `lupus est in fabula' primo et proprie significat quod fabula est de lupo, sed improprie et secundario significat quod inimicus accedit. Similiter ista oratio `iste vendit oleum' primo et proprie significat quod iste vendit talem liquorem, sed improprie et secundario significat quod iste adulatur.

Et ita frequenter una oratio ponitur pro alia, quae si acciperentur proprie, nullam haberent convenientiam nec quantum ad significationes dictionum nec quantum ad significationes totalium orationum.

Et talis sensus non contingit nisi ex usu loquentium, ponentium unam orationem pro alia. Contingit autem iste modus, secundum opinionem Aristotelis, frequenter in orationibus in quibus ponuntur nomina verbalia, quae secundum

usum multorum loquentium non supponunt pro eisdem pro quibus supponunt participia vel abstracta formata a nominibus syncategorematicis et a pronominibus, adverbiis, participiis, coniunctionibus, praepositionibus, interiectionibus, pluribus dictionibus simul iunctis et in quibus ponuntur verba infinitivi modi loco nominis. Unde omnes tales propositiones in quibus ponuntur talia, possunt distingui eo quod possunt accipi uniformiter aliis orationibus compositis ex nominibus pure categorematicis et verbis vel possunt accipi difformiter pro aliis orationibus non habentibus nomina consimilia.

Et ita ista propositio `calefactio est in agente' potest distingui. Unus sensus est quod aliquid distinctum ab agente est in agente, ad modum quo per istam propositionem `albedo est in albo' denotatur una res esse in alia, et sic est falsa `calefactio est in agente'.

Alius sensus est iste `agens calefit', ut ista propositio `calefactio est in agente' ponatur loco istius `agens calefit', et hoc falsum est; sed sub tali sensu haec est concedenda `calefactio est in calefacto'.

Tamen aliter posset accipi ista propositio `calefactio est in agente', ut ponatur pro ista `calefaciens est agens', et tunc haec esset vera.

Consimiliter sunt tales propositiones distinguendae `motus est in mobili'. Unus sensus est iste `aliquid importatum per motum, de quo verificatur motus, est in mobili sicut res distincta in re distincta', et hoc falsum est secundum opinionem Aristotelis.

Alius sensus est iste `mobile movetur', et hic sensus est verus. Consimiliter haec est distinguenda `creatio est in Deo'. Unus sensus est quo denotatur una res distincta esse in alia. Alius sensus est quod `Deus creat'. Similiter ista est distinguenda `totalitas Sortis est in Sorte'. Unus sensus est quod totalitas est una res exsistens in Sorte, alius sensus est quod Sortes est quoddam totum. Similiter ista est distinguenda `haecceitas Sortis est aliquid'.

Unus sensus est quod haecceitas, quae est res distincta ab aliis, est aliquid; alius sensus est iste `Sortes, qui est hic vel haec creatura vel hoc ens, est aliquid'. Consimiliter ista est distinguenda `negatio est in re vel a parte rei'.

Unus sensus est quod negatio est quid distinctum ab omnibus aliis et est quaedam res. Alius sensus est iste `aliquid vere negatur ab alio', vel iste: per hoc quod una propositio negativa est vera, non ponitur aliquid esse in rerum natura, sicut per hoc quod haec est vera `homo non est asinus', non sequitur quod homo sit nec quod asinus sit.

Similiter ista potest distingui `aditas est aliquid', ut unus sensus sit iste `aditas, quae non est aliquid absolutum, est aliquid'; alius sensus est iste `aliquid est ad aliquid'.

Similiter ista potest distingui, si aliquis utatur tali propositione, `aquoeitas est aliquid'. Unus sensus est quo denotatur esse exsistere vere praedicari de illo pro quo supponit haec dictio `aquoeitas'; alius sensus est iste `aliquid est, a quo est aliud'.

Consimiliter est de talibus `perseitas est aliquid'.

Unus sensus est quo denotatur `esse' praedicari de aliquo pro quo supponit hoc nomen `perseitas'; alius sensus est quod aliqua propositio est per se. Similiter est de ista `necessitas propositionis est aliquid'. Unus sensus est quod aliquid verificetur de illo pro quo supponit hoc nomen `necessitas propositionis'; alius sensus est ista `aliqua propositio est necessaria'.

Et consimiliter est de omnibus talibus.

Tamen intelligendum est quod secundum usum auctorum frequenter talia abstracta ponuntur pro concretis et e converso. Similiter, secundum opinionem aliquorum ista est distinguenda `Deus facit peccatum', eo quod potest accipi proprie, et tunc non plus denotatur nisi quod Deus facit aliquid quod est peccatum. Et sic concederent eam, quia ponunt quod aliquis actus positivus est vere peccatum, sicut odire aliquem contra praeceptum divinum est peccatum.

Aliter potest accipi illa oratio improprie, secundum eos, et tunc aequivalet isti `Deus facit aliquid quod non deberet facere' sive isti `Deus peccat', quae est simpliciter falsa. Et tenentes istam opinionem assignarent fallaciam amphiboliae in isto discursu: hoc est peccatum, demonstrando aliquod peccatum commissionis; Deus facit hoc; igitur Deus facit peccatum.

Dicerent enim quod conclusio est distinguenda, quia potest habere multos sensus.

Unus est iste `Deus facit aliquid, et illud est peccatum', et istum sensum concederent, et sic concederent discursum. Alius sensus est iste `Deus facit aliquid quod non deberet facere', et tunc est conclusio falsa et non valet discursus. Sicut non sequitur `Deus facit hoc; et hoc est peccatum; igitur facit aliquid quod non deberet facere', sed magis sequitur quod facit aliquid quod ipse vel alius non deberet facere. Consimiliter in isto discursu assignarent fallaciam amphiboliae `hoc est peccatum; Deus non facit peccatum; igitur Deus non facit hoc', quia minorem distinguerent sicut prius, et in uno sensu dicerent eam esse veram et discursum bonum, in alio sensu dicerent eam esse falsam et discursum non valere propter fallaciam amphiboliae.

Et si diceretur contra eos quod secundum omnes Deus non facit peccatum, sicut Deus non peccat, responderent quod ista `Deus peccat' in omni sensu est neganda, similiter ista `Deus male agit', `Deus facit quod non deberet facere' et consimiles.

Et pro tali oratione semper Sancti et alii utuntur ista oratione `Deus non facit peccatum', `Deus non facit malum', quae tamen secundum eos possunt habere unum sensum verum.

Et sicut dicerent de ista, ita dicerent de ista `Deus vult malum'. Dicerent enim quod ista habet unum sensum verum, istum scilicet `Deus vult illud quod est malum', hoc est `Deus vult aliquid, et tamen illud est malum'.

Sed alium sensum habet falsum, scilicet istum `Deus vult aliquid quod non deberet velle' vel `Deus vult aliquid male'. Unde ista `Deus vult aliquid male' est omni modo falsa.

Et per istum modum assignarent fallaciam amphiboliae in isto discursu `quidquid Deus intelligit, vult vel potest velle; Deus intelligit malum; igitur Deus vult vel potest velle malum', quia conclusio est distinguenda. Unus sensus est iste `Deus vult vel potest velle aliquid quod est malum' hoc est quod male fit ab aliquo alio, puta a creatura, et tunc concederent conclusionem sub illo sensu. Alius sensus est iste `Deus vult vel potest velle aliquid male', et tunc manifeste patet quod discursus non valet. Penes istum secundum modum amphiboliae possunt distingui omnes propositiones ubi actus signatus ponitur pro actu exercito vel e converso, quia quaelibet talis oratio potest accipi proprie vel improprie. Unde ista propositio `definitio et definitum sunt idem' potest distingui, quia potest accipi proprie sicut sonat, et tunc importatur quod definitio et definitum non distinguuntur, sed quod definitio est definitum et e converso. Aliter potest accipi improprie pro ista propositione `definitio et definitum important idem vel sunt convertibilia', hoc est praedicantur de se invicem convertibiliter, et sic est vera. Similiter ista potest distingui `aliqua distincta ratione sunt una res', quia si accipiatur proprie, falsa est; si improprie, pro actu signato, ut aequivaleat isti `de aliquibus habentibus distinctas definitiones praedicatur hoc praedicatum: idem realiter', sicut de homine et albo, habentibus distinctas definitiones, praedicatur hoc praedicatum `idem realiter', sic dicendo `album et homo sunt idem realiter', et sic est vera. Similiter ista potest distingui `substantia praedicatur de substantia extra animam'. Unus sensus est iste `aliqua propositio est vera ubi aliqua substantia extra animam subicitur et substantia praedicatur', et tunc est falsa. Alius sensus est iste `talis propositio est vera: substantia extra animam est substantia', ubi tamen substantia extra animam non subicitur nec praedicatur sed signum eius. Consimiliter tales sunt distinguendae: color est primum obiectum visus; homo primo est risibilis; Deus sub ratione deitatis est subiectum theologiae; subiectum non potest esse sine passione; species non potest esse sine genere, sed e converso; species componitur ex genere et differentia; differentia constituit speciem; ens est idem realiter cum suis passionibus; subiectum et passio sunt idem realiter; et huiusmodi propositiones innumerabiles in logica et metaphysica sunt distinguendae. Et similiter in philosophia naturali, secundum opinionem Aristotelis, tales propositiones sunt distinguendae: tantum sunt tria principia rerum naturalium; potentia corrumpitur per adventum formae; artificialia distinguuntur a naturalibus; aes est materia statuae; statua componitur ex aere et

figura; motus est actus entis in potentia; motus et tempus differunt; actio et passio sunt unus motus; materia est subiectum generationis; alterabile est subiectum alterationis; album per accidens aedificat; potentiae animae distinguuntur; anima habet plures potentias; et innumerabiles tales propositiones quas Aristoteles ponit pro aliis propositionibus, quae si essent explicitae nulla foret difficultas ubi nunc multi, qui se reputant magnos, magnam patiuntur perplexitatem. Isti autem secundo modo amphiboliae deserviunt multi tropi grammaticales in Scriptura sacra et in libris Sanctorum et philosophorum saepius usitati, videlicet allegoria, quae continet sub se septem species, quae sunt: ironia, antiphrasis, charientismos, aenigma, paroemia, sarcasmos, astismos. Item, homozeuxis, cuius tres species assignantur, scilicet icon, parabola et paradigma.

Item, hypallagium; et ad illum tropum possunt reduci omnes orationes de quibus exemplificatum est immediata ante et de quibus post dicetur. Item, hyperbole et endiadis, ad quam reduci possunt multae illarum orationum. Et etiam aliae figurae et tropi docentur in grammatica, quae isti fallaciae deservire possunt, de quibus ad grammaticum principaliter tractare pertinet, propter quod causa brevitatis de eis pertranseo. Volo tamen de aliquibus orationibus multum usitatis a theologis exemplificare, et declarare quomodo penes istam fallaciam sunt multiplices.

Unde dico quod omnes tales: Deus habet iustitiam; Deus habet sapientiam; Deus habet intellectum et voluntatem; Deus habet essentiam; et omnes consimiles, in quibus ponitur aliqua dictio notans distinctionem inter illud pro quo supponit subiectum et pro quo supponit praedicatum, distinguendae sunt, eo quod possunt accipi proprie, et tunc sunt falsae; vel possunt accipi improprie, ut ponantur loco talium `Deus est iustitia', `Deus est sapientia' et huiusmodi, et tunc sunt verae.

Et distinctionem talium innuit Anselmus, Monologio, cap. 16, ubi vult quod non proprie dicitur quod `summa natura habet iustitiam', sed `exsistit iustitia'. Et ita cum tales propositiones frequenter inveniantur in libris authenticis, oportet quod accipiantur improprie.

Et propter eandem rationem tales orationes `sapientia est in Deo', `iustitia est in Deo', `intelligere et velle sunt in Deo' et huiusmodi distinguendae sunt, eo quod possunt accipi proprie, et tunc falsae sunt, quia tunc important aliquam distinctionem inter Deum et sapientiam et inter Deum et velle et intelligere.

Si accipiantur improprie, ut per eas intelligantur tales propositiones `Deus est sapientia',

'Deus est intelligere et velle', et sic de aliis, verae sunt. Et istam distinctionem innuit beatus Augustinus in libro De Trinitate, ubi vult quod magis proprie dicitur `Sapientia est Deus' quam `sapientia est in Deo'.

Et similiter, secundum unam opinionem quae ponit quod personae divinae sunt penitus indistinctae ab essentia et a relationibus, istae sunt distinguendae `Pater

habet paternitatem', `paternitas est constitutiva Patris', `filiatio est proprietas Filii', `essentia et spiratio passiva constituunt Spiritum Sanctum', et innumerabiles tales, eo quod possunt accipi proprie, et tunc sunt falsae secundum illam opinionem, eo quod denotatur ex prima significatione earum Patrem distingui a paternitate et ab essentia et Filium distingui a filiatione.

Quia si hoc non denotaretur, ita proprie posset dici quod Pater habet paternitatem et quod Pater est constitutivus Patris sicut quod paternitas est constitutiva Patris. De virtute igitur sermonis tales propositiones videntur falsae multis sic opinantibus.

Aliter possunt tales accipi improprie, puta pro talibus `Pater est paternitas', `Pater est essentia', `Filius est filiatio', et sic de aliis, et sic sunt verae. Unde breviter, secundum opinionem illam, omnis propositio per quam secundum proprietatem sermonis denotatur Patrem distingui ab essentia et intellectione et volitione vel sapientia vel paternitate, vel Filium distingui a deitate vel filiatione, vel Spiritum Sanctum distingui ab essentia vel spiratione, falsa est de virtute sermonis, quamvis possit esse vera si accipiatur improprie.

Et si dicatur contra eos quod tales propositiones multae inveniuntur in libris Sanctorum qui proprie loquebantur, igitur secundum proprietatem sermonis concedendae sunt, isti faciliter responderent quod tales propositiones sumendae sunt in sensu in quo fiunt, non in sensu quem faciunt.

Et quod sic sint accipiendae, ex dictis Sanctorum probari potest, ut videtur. In aliis enim locis ponunt quod non est distinctio in divinis nisi inter ingenerationem, generationem et processionem, et quod tres personae sunt una essentia, una deitas, una sapientia. Ex quibus et multis aliis videtur multis quod intentio Sanctorum est quod Pater non distinguitur a paternitate vel ab essentia. Nec videtur inconveniens dicere quod Sancti frequenter loquebantur improprie. Hoc enim asserit beatus Augustinus in libro Confessionum, ubi dicit quod multa loquimur improprie, pauca autem proprie. Et ita sic opinantes dicerent quod omnes propositiones quae sonant aliquam distinctionem inter personam divinam vel personas et essentiam vel deitatem, vel inter personas et relationes quae sunt realiter essentia, falsae sunt secundum proprietatem sermonis, quamvis verae sint si accipiantur secundum quod sunt de mente Sanctorum. Et consimiliter dicerent quod omnes tales falsae sunt secundum proprietatem sermonis: velle et intelligere divinum sunt operationes elicitae; operatio elicita in divinis praesupponit suppositum; essentia divina est intellectui divino principium cognoscendi; intellectus divinus prius intelligit essentiam suam quam creaturam; essentia est prior productione Filii; Pater prius intelligit essentiam quam producat Filium; et multae tales propositiones falsae sunt, quamvis multae illarum ad bonum intellectum exponi possent.

Item, talis propositio `Deus per suam potentiam absolutam potest aliquem acceptare sine gratia sed non per suam potentiam ordinatam' multiplex est. Unus sensus est quod Deus per unam potentiam, quae est absoluta et non ordinata, potest

acceptare aliquem sine gratia, et per unam aliam potentiam, quae est ordinata et non absoluta, non potest acceptare eum, quasi essent duae potentiae in Deo per quarum unam posset hoc et non per aliam.

Et iste sensus est falsus. Aliter accipitur improprie, ut ponatur ista propositio pro ista oratione: Deus potest acceptare aliquem sine gratia informante, quia hoc non includit contradictionem, et tamen ordinavit quod hoc numquam est facturus.

Et iste sensus verus est. Similiter tales propositiones: creatura, ut in Deo, est eadem Deo; asinus, ut in Deo, est vita; lapis, secundum esse suum in Deo, est aeternus; lapis in esse obiectivo est aeternus, et huiusmodi distinguendae sunt, quia si accipiantur proprie, falsae sunt, nam creatura nullo modo est Deus, ubicumque fuerit.

Impossibile enim est quod idem sit Deus et creatura. Et sic est dicendum de aliis proportionaliter. Si autem accipiantur improprie, videlicet pro talibus orationibus: causa efficiens creaturae est eadem Deo; causa creativa asini est vita; cognitio qua Deus cognoscit lapidem est aeterna; cognitio qua lapis cognoscitur a Deo est aeterna, verae sunt omnes. Unde nec creaturae sunt in Deo nisi quia Deus cognoscit creaturas et est auctor earum, sicut dicit Magister Sententiarum, libro I, dist. 36, ubi ex sententiis suis elici potest quod creaturae non sunt sic in Deo nec in cognitione Dei quasi quaedam media inter Deum et cognitionem Dei et illas creaturas extra productas, quasi primo sit Deus vel cognitio Dei, deinde sint quaedam aliquo modo distincta, eadem tamen realiter cum Deo, et postea creaturae distinctae realiter a Deo, sicut multi imaginantur.

Sed quidquid imaginabile est vel esse potest vel est Deus simpliciter et nullo modo creatura nec distinctum aliquo modo a Deo vel est creatura Dei vel potest esse creatura Dei, sicut Antichristus, qui quamvis modo non sit creatura, tamen esse potest.

Similiter talis propositio `quodlibet attributum est idem realiter cum essentia divina' est distinguenda, quia si proprie accipiatur, falsa est, quia nihil est attributum nisi quoddam praedicabile, quod non est Deus; si improprie, concedi potest, quia illud quod significat attributum est divina essentia.

Similiter tales propositiones `quaecumque sunt separabilia, non sunt idem realiter'; `quando aliqua sic se habent quod unum illorum potest esse alio non exsistente, illa sunt distincta' et huiusmodi; quia possunt sumi proprie, et tunc sunt verae, quia ex hoc ipso quod sunt aliqua, sive possint separari sive non, sive unum illorum possit esse sine altero vel altero non exsistente sive non, sunt distincta.

Aliter possunt accipi improprie pro istis orationibus quando de aliquibus terminis significative sumptis potest istud praedicatum significative sumptum verificari `separari' vel `sunt separata', tali modo exercendo `albedo et dulcedo sunt separata', de illis verificatur `non esse idem'.

Quando autem aliqui termini sic se habent quod esse exsistere potest verificari de uno significative sumpto, esse exsistere vere negato a reliquo significative sumpto, de illis significative sumptis verificatur hoc praedicatum `non esse idem' vel `esse distincta'.

Et tunc sunt in parte verae et in parte falsae, quia aliquas singulares habent veras et aliquas falsas. Sic enim se habent `homo' et `homo albus', quia ista potest esse vera `homo est', hac exsistente falsa `homo albus est'; et tamen haec nunc est falsa `homo et homo albus sunt distincta' sive `homo et homo albus non sunt idem'.

Quando tamen omnes termini sunt mere absoluti, habent tales propositiones veritatem; tamen quaelibet talis est possibilis, sicut haec est possibilis `homo et homo albus non sunt idem'.

Item, tales propositiones `una potentia habet diversos modos operandi', `diversi modi essendi possunt eidem competere sine variatione rei' et huiusmodi; quia si accipiantur proprie, intelligendo per `modum' aliquid distinctum a re, sic tales propositiones sunt falsae.

Quando enim dicimus quod anima respectu intellectionis et volitionis habet diversum modum operandi, non intelligimus quod sint aliqui modi distincti ab anima et ab actibus productis, quasi essent quaedam media; hoc enim simpliciter falsum est, et ideo sub tali intellectu tales propositiones sunt falsae.

Alius sensus est iste `eadem res diversimode operatur', puta necessario elicit intellectionem et contingenter et libere elicit volitionem. Similiter, si dicatur quod alius modus essendi competit corpori Christi in caelo et in sacramento Altaris, non est imaginandum quod modus essendi qui competit corpori Christi in caelo sit aliquid adveniens corpori Christi, distinctum ab uno alio quod advenit corpori Christi in sacramento.

Sed per talem propositionem non intelligimus nisi quod corpus Christi est circumscriptive in loco in caelo et non in sacramento Altaris. Et si quaeras, quid est illa circumscriptivitas, dico quod est vox non—significativa, sicut buba.

Unde fingere talia abstracta de talibus adverbiis, verbis, praepositionibus et huiusmodi, est simplicibus multorum errorum occasio; tamen aliquando utilis potest esse intelligentibus, quia per tales fictiones frequenter brevius loqui possunt.

Item, omnis oratio in qua ponitur modus infinitivus pro supposito, sicut sunt tales `legere est bonum', `currere est moveri', `calefacere est agere' et huiusmodi, distingui possunt, quia unus sensus potest esse per quem denotetur quod praedicatum tale competat alicui quod nec est agens nec patiens nec effectus, quasi tales modi infinitivi importarent res distinctas ab agente et patiente et effectu et ceteris rebus quae possunt esse agentia et patientia et effectus producti.

Et talis sensus simpliciter falsus est secundum principia Aristotelis. Alius sensus potest esse ut tales propositiones ponantur loco orationum in quibus participium praedicatur de participio vel verbum de participio vel duo verba correspondentia de eodem, ut talis oratio `calefacere est agere' habeat istum sensum `quod calefacit, agit' sive `calefaciens est agens'; et ista `legere est bonum' habeat istum sensum `legens facit bonum opus' sive `qui legit, facit bonum' et huiusmodi. Et per istum modum evacuantur multae difficultates. Item, frequenter propositiones hypotheticae sunt distinguendae, quia frequenter in auctoribus una ponitur pro alia, sicut frequenter temporalis ponitur pro condicionali; sicut ista `omne quod est, quando est, necesse est esse'. Ista enim de virtute vocis est temporalis, et tamen ponitur pro ista condicionali `si aliquid est, ipsum est', quae est necessaria.

Et ita est de multis.

Et ista exempla ad praesens de amphibolia causa brevitatis sufficiant. Est etiam sciendum de isto secundo modo quod nulla certa regula dari potest per quam regulariter possit cognosci sufficienter an sit iste modus amphiboliae, quia iste modus dependet totaliter ex voluntate et usu loquentium, sicut secundus modus aequivocationis.

3—4. 7. DE TERTIO MODO AMPHIBOLIAE

Tertius modus amphiboliae est quando oratio per se prolata tantum habet unum sensum et ex hoc quod coniungitur alteri orationi potest habere plures sensus.

Vel propter protervos potest dici quod tertius modus amphiboliae est quando oratio per se prolata caret aliquo sensu, quem tamen habere potest ex adiunctione ipsius ad aliam orationem.

Sicut ista propositio `scit saeculum' non habet nisi unum sensum, scilicet quod saeculum scit aliquid; et tamen si praeponatur ista propositio `Plato videt Sortem', ut dicatur sic `Plato videt Sortem et scit saeculum', potest habere alium sensum, scilicet istum `Plato habet scientiam de saeculo'.

Est autem sciendum quod modus iste frequenter contingit in oratione in qua ponitur pronomen relativum. Aliquando enim pronomen positum in una oratione sine adiunctione alterius orationis non potest esse nisi demonstrativum, si tamen aliqua oratio praecedat, potest esse relativum, sicut est de isto pronomine `iste'.

Unde ista non est distinguenda penes amphiboliam `illa salvavit', sed si ista propositio praecedat `mulier damnavit' et sic dicatur `mulier damnavit et illa salvavit', modo distinguenda est, eo quod potest esse relatio personalis vel simplex, secundum modum loquendi grammaticorum, hoc est dictu, eo quod potest referre antecedens pro eodem numero vel pro eadem specie.

Primo sensu est falsa, secundo sensu est vera. Est etiam sciendum quod potest contingere talis multiplicitas ex tali relativo eo quod potest referre pro eodem numero vel pro eadem specie; aliquando autem relatio potest ferri ad significationem, aliquando ad vocem tantum. Et penes istum modum possunt distingui istae orationes `homo albus est homo et iste differt ratione ab homine', nam si relatio referatur ad vocem vel conceptum, vera est, sed si ad rem significatam, falsa est. Et similiter, sicut tales propositiones ubi ponitur hoc relativum `iste' possunt distingui, ita propositiones multae in quibus ponitur hoc relativum `qui' possunt distingui.

Utrum tamen ista distinctio sit penes aequivocationem vel penes amphiboliam, et si penes amphiboliam, penes quem modum sint distinguendae, causa brevitatis omitto prolixe discutere.

Hoc tamen sufficiat scire pro nunc quod tales propositiones sunt distinguendae `aliqua quae differunt ratione, sunt idem realiter'. Unus sensus est iste `aliqua differunt ratione et illa eadem numero sunt idem realiter', et iste sensus est falsus, nam quae differunt ratione, sunt diversa definibilia vel sunt diversae rationes, sed nec diversa definibilia nec diversae rationes sunt una res.

Alius sensus est iste `aliqua differunt ratione, et tamen de illis significative sumptis praedicatur esse idem realiter' vel `illud quod importatur per utrumque et pro quo supponit utrumque est idem realiter', et ita fit relatio ad rem, non ad signum.

Sed in ista `aliqua sunt idem realiter, quae differunt ratione' sub illo sensu in quo est vera fit relatio ad voces vel ad signa, sicut in tali propositione `dat Deus aureolam, quod habetur ab auro'.

Sic possent tales distingui `homo est musicus, quod dicitur a musica'. Et sicut tales propositiones possunt distingui ubi ponitur hoc relativum `qui', sic etiam possunt propositiones distingui ubi in secunda oratione supprimitur pronomen relativum sed subintelligitur, scilicet tales: homo et homo albus sunt idem realiter et differunt ratione; materia et privatio sunt unum numero et differunt ratione; subiectum et praedicatum sunt unum numero et differunt ratione; intellectus et voluntas sunt idem realiter et differunt ratione; et multae consimiles distinguendae sunt penes amphiboliam. Et universaliter omnis oratio de qua diversi capiunt diversos sensus, quae diversitas sensuum non oritur ex una dictione praecise posita in una oratione, nec ex diversa punctuatione earundem dictionum sub eodem ordine, nec ex diverso accentu, distinguenda est penes amphiboliam, et hoc penes primum modum, secundum vel tertium.

Si dicatur quod ista multiplicitas in ista oratione `Sortes et Sortes albus sunt idem realiter et ista differunt ratione' oritur ex hac dictione `ista', igitur hic est aequivocatio: Similiter, multiplicitas istius `aliqua quae sunt idem realiter distinguuntur ratione' oritur ex hac dictione `quae', igitur hic est aequivocatio et non

amphibolia: Dicendum est quod non est magna cura pro nunc sive assignetur ibidem aequivocatio vel amphibolia, quia forte potest esse ibi tam amphibolia quam aequivocatio, nec est inconveniens quod fallaciae istae concurrant.

Unde in prima est amphibolia pro tanto quod nulla est ibi multiplicitas nisi una oratio alteri coniungatur. In secunda autem est amphibolia eo quod oritur diversitas sensuum ex hoc quod eadem oratio diversis orationibus exprimi potest, quamvis illud non sufficiat ad multiplicitatem amphiboliae.

Potest tamen dici quod in talibus est secundus modus amphiboliae, quia proprie per tales orationes importatur quod illa eadem et non alia quae differunt ratione sunt una res.

Quod est impossibile. Improprie autem importatur per hoc quod illa eadem quae habent distinctas definitiones verificantur de eodem pro eodem, non tamen pro se, sed pro illo eodem quod significant; sicut isti termini `album' et `musicum' habent diversas definitiones exprimentes quid nominis, et tamen significant eundem hominem et supponunt pro eodem homine, sic dicendo `album est musicum'.

Et ita illa quae distinguuntur ratione sunt termini, sed illud quod est idem realiter est aliqua res importata per terminum. Quod non est aliud quam dicere quod signa sunt distincta et significatum est idem.

3—4. 8. DE FALLACIA COMPOSITIONIS ET DIVISIONIS CONIUNCTIM

Post haec dicendum est de compositione et divisione coniunctim.

Et est primo sciendum quod tunc est aliqua oratio multiplex secundum compositionem et divisionem quando aliqua oratio prolata vel scripta propter solam diversam punctuationem dictionum potest habere diversos sensus. Sicut ista oratio `quidquid vivit semper est' si punctuaretur sic `quidquid vivit semper, est' habet unum sensum, si autem punctuaretur sic `quidquid vivit, semper est' habet alium sensum. Ita quod causa apparentiae istius fallaciae est identitas earundem dictionum in oratione composita et divisa, causa non—exsistentiae est diversitas punctuationis. Istius autem fallaciae sunt duo modi principales.

Primus est quando tota oratio, sive sit composita sive divisa, remanet in utroque sensu categorica vel hypothetica. Secundus modus est quando sensus compositionis est propositio categorica et sensus divisionis est propositio hypothetica. Et secundum hoc posset poni distinctio inter compositionem et divisionem, ut illae orationes dicantur multiplices secundum compositionem quando uterque sensus est propositio categorica vel uterque sensus est propositio hypothetica; et illae orationes dicantur multiplices secundum divisionem quando unus sensus est propositio categorica et alius sensus est propositio hypothetica. Utrum tamen isto modo sit accipienda distinctio istarum fallaciarum non multum curo, quia hoc scire non reputo multum utile scientiis specialibus, quamvis notitia distinguendi tales orationes

magnam habeat utilitatem. Iuxta primum modum sunt tales orationes multiplices quas ponit Philosophus in libro Elenchorum `possibile est sedentem ambulare' et `possibile est non scribentem scribere'; nam si proferantur sic `possibile est sedentem, ambulare', `possibile est non scribentem, scribere' verae sunt, quia tunc denotatur per eas quod ille qui est modo sedens potest nunc vel postea ambulare et ille qui est modo non scribens potest nunc vel postea scribere, et sic verae sunt.

Aliter possunt proferri sic `possibile est, sedentem ambulare', `possibile est, non scribentem scribere'; et tunc denotatur quod possibile est quod non scribens scribat tunc et quod sedens tunc ambulet, et sic sunt falsae.

Et eodem modo possunt distingui omnes propositiones in quibus ponitur aliquis modus cum dicto propositionis, quamvis etiam possunt distingui secundum amphiboliam. Et mihi videtur quod apertius et manifestius possint distingui in lingua Latina penes amphiboliam, quamvis forte in idiomate Aristotelis vel in lingua Graeca manifestior sit talis multiplicitas talium orationum penes compositionem et divisionem quam penes amphiboliam.

Sive tamen distinguantur penes unam fallaciam sive penes aliam, dico quod sensus non variantur. Unde sic habent distingui tales orationes multiplices `possibile est suppositum esse assumptum a Verbo'.

Unus sensus est per quem denotatur quod aliquid quod nunc est suppositum potest nunc vel postea assumi a Verbo. Et hoc est verum, quia illa natura quae modo est natura intellectualis completa et non est plura supposita nec ab alio supposito sustentata, et per consequens est suppositum, potest postea assumi, sicut potest ab alio supposito sustentari.

Alius sensus est per quem denotatur quod possibile est quod aliquid sit simul suppositum et assumptum a Verbo. Quod est impossibile, sicut haec est impossibilis `aliquod suppositum est assumptum a Verbo'.

Similiter haec est distinguenda `possibile est substantiam quantam non esse quantitatem'. Unus sensus est iste `possibile est quod substantia quanta, quando est quanta, non sit quantitas', et iste sensus est falsus secundum illam opinionem quae ponit quod substantia quanta est quantitas. Alius sensus est iste `possibile est quod illa substantia quae nunc est quanta, postea non sit quantitas', et iste sensus est verus.

Similiter ista est distinguenda `possibile est istum hominem non esse Deum', demonstrando Christum. Unus sensus est per quem denotatur quod possibile sit quod haec sit vera `iste homo non est Deus', et haec vera est, quia haec est possibilis.

Si enim Filius Dei dimitteret naturam humanam haec esset vera `iste homo non est Deus', quia haberet istam causam veritatis `iste non est homo'. Alius sensus est

per quem denotatur quod possibile sit quod iste qui nunc est homo, postea non sit Deus.

Et hoc est impossibile, quia iste Filius Dei qui nunc est homo, semper et necessario erit Deus. Et consimiliter sunt tales propositiones distinguendae: possibile est creantem non esse

Deum; possibile est praedestinatum damnari; possibile est praescitum salvari; possibile est verum esse impossibile. Similiter tales: verum est album per se aedificare; hominem esse Deum est necessarium; creantem esse Deum est necessarium, et huiusmodi.

Et in quo sensu sunt verae et in quo sensu falsae, potest patere ex prioribus. Similiter plures orationes distinguendae sunt ex hoc quod una dictio potest copulari cum una vel cum alia, sicut ista `quod quis scit nunc didicit', quia hoc adverbium `nunc' potest determinare li scit, ut sit sensus `quod quis scit nunc, didicit', et hic sensus est verus, quia quod nunc scit, aliquando didicit. Vel potest determinare hoc verbum `didicit', ut sit sensus `quod quis scit, nunc didicit', et iste sensus est falsus.

Similiter est in istis orationibus quas ponit Philosophus: ego posui te servum entem liberum; quadraginta virorum centum reliquit dives Achilles. Similiter tales quas ponit Philosophus, quas, quamvis non exprimat, supponit esse distinguendas: baculo vidisti hunc percussum; oculis vidisti hunc percussum.

Similiter, ut frequenter, orationes in quibus ponitur adiectivum cum substantivo distinguendae sunt, sicut tales `iste est bonus sutor', demonstrando malum hominem. Si sit oratio divisa, falsa est, quia tunc denotatur quod est bonus et quod est sutor; si sit composita, tunc vera est, quia tunc denotatur quod habet perfecte talem artem suendi.

Et quamvis tales orationes possunt distingui secundum compositionem et divisionem, tamen mihi videtur quod possunt etiam distingui secundum amphiboliam, et sensus non variabuntur.

Similiter tales propositiones `iste est albus monachus' possunt distingui; in uno sensu denotatur quod est albus et quod est monachus, in alio sensu denotatur quod est monachus talis professionis.

Iuxta secundum modum sunt propositiones distinguendae in quibus ponuntur dictiones facientes propositiones hypotheticas inter duos terminos, et in uno sensu erit propositio categorica et in alio sensu erit propositio hypothetica.

Et eodem modo distinguuntur quo dictum est prius de fallacia amphiboliae. Unde ista est distinguenda `quinque sunt duo et tria', quia in uno sensu denotatur quod quinque sunt duo et quod quinque sunt tria, in alio sensu denotatur quod quinque sunt ista, demonstratis duobus et tribus. Similiter ista est distinguenda `iste

potest ferre unum lapidem et alium'; in uno sensu denotatur quod iste potest ferre unum lapidem et quod potest ferre alium lapidem, et iste est sensus divisionis; in alio sensu denotatur quod iste simul potest ferre istum et alium lapidem.

Sic igitur ista propositio est distinguenda quae est una praemissa in paralogismo quo concluditur ista conclusio `quod potest unum solum ferre, potest plura ferre'. Quae non est distinguenda secundum compositionem et divisionem, sed potest distingui secundum amphiboliam, quia unus sensus potest esse iste `qui potest ferre unum lapidem, quamvis non ferat plures lapides, potest plures ferre', et hoc est verum; alius sensus est iste `qui potest ferre unum lapidem et non plures, potest ferre plures', et hic sensus est falsus.

Et est hic amphibolia, sicut hic `omnis homo est unus solus homo', quia unus sensus est iste `omnis homo est unus homo et non sunt plures homines quam unus', alius sensus est `omnis homo est unus homo et nullus homo est plures homines'.

Similiter est ista distinguenda `tantum unum est'.

3—4. 9. DE FALLACIA ACCENTUS

Circa fallaciam accentus est primo sciendum quod ex hoc accidit deceptio penes fallaciam accentus quod eadem vox sub diversis accentibus prolata diversa significat. Et hoc potest tripliciter contingere.

Uno modo quia eiusdem dictionis aliqua syllaba potest habere diversos accentus; alio modo quia eadem dictio potest pronuntiari cum aspiratione et sine aspiratione; tertio modo quia eadem vox potest esse dictio vel oratio.

Primus modus magis est idoneus ad decipiendum in scripto quam in prolatione, eo quod talis dictio non scribitur nisi uno modo, profertur tamen modis diversis. Et penes istum modum distinguenda est ista oratio `bonum est iustos viros pendere', eo quod media huius dictionis `pendere' potest corripi vel produci.

Secundus modus numquam decipit in scripto sed tantum in prolatione, propter hoc quod in scripto oportet quod aspiratio simpliciter et sensibiliter ponatur vel quod nullo modo ponatur.

In prolatione autem quandoque nec bene nec faciliter discernitur an dictio proferatur cum aspiratione vel sine aspiratione.

Tertius modus potest decipere tam in scripto quam in prolatione. Et secundum istum modum est talis oratio distinguenda `Deus facit frondes et folia invite', quia `invite' potest esse una dictio, scilicet adverbium, et tunc est falsa, quia significat quod Deus facit aliquid coacte; vel potest esse duae dictiones, scilicet haec praepositio `in' et ablativus casus huius nominis `vitis', et sic est vera.

Penes istam fallaciam non sunt magnae difficultates in scientiis particularibus, et ideo iam dicta de ista fallacia sufficiant.

3—4. 10. DE FALLACIA FIGURAE DICTIONIS

Post fallacias in dictione, iuxta quas sunt aliquae orationes multiplices, dicendum est de fallacia figurae dictionis, quae non oritur ex alicuius orationis multiplicitate, sed oritur magis ex aliquarum dictionum similitudine.

Ita quod fallacia figurae dictionis est deceptio proveniens ex aliqua similitudine dictionis, ita quod causa apparentiae est similitudo dictionis ad dictionem et causa non—exsistentiae est diversitas significatorum vel modorum significandi vel accidentium grammaticalium dictionum.

Et accipio hic `significata' largissime. Unde generalis modus solvendi paralogismos penes istam fallaciam est ostendere aliquam diversitatem inter significata vel modos significandi vel accidentia dictionum propter quam non valet argumentum. Ista enim fallacia semper ex hoc accidit quod quia aliquis modus arguendi tenet in aliquibus dictionibus creditur ex hoc quod talis modus arguendi valeat in aliis consimilibus dictionibus, in quibus tamen non valet propter hoc quod illae dictiones diversae, quamvis videantur similes, habent diversa significata, large accipiendo significata, vel diversum modum significandi vel diversa accidentia grammaticalia.

Verbi gratia: videmus enim quod iste syllogismus est bonus `omnis substantia corporea est colorata; capra est substantia corporea; igitur capra est colorata', ita quod nulla est variatio inter praedicatum maioris et praedicatum conclusionis.

Si propter hoc credatur quod in consimili modo arguendi ex aliis terminis non sit aliqua variatio facienda inter praedicatum maioris et praedicatum conclusionis, sicut sic arguendo `omnis substantia corporea est colorata; patriarcha est substantia corporea; igitur patriarcha est colorata', deceptio fiet per fallaciam figurae dictionis.

Unde generaliter quandocumque est fallacia figurae dictionis, contingit invenire consimilem modum arguendi bonum ex aliis terminis, et hoc propter diversitatem accidentium grammaticalium vel modorum significandi vel propter diversitatem significatorum, largissime accipiendo `significata'.

Iuxta praedicta possunt accipi tres modi istius fallaciae.

Quorum primus est quando accidit defectus in arguendo propter diversitatem accidentium grammaticalium diversarum dictionum. Et talis modus arguendi sophisticus vel semper vel frequenter ducit ad soloecismum. Unde si arguatur sic `omne animal est coloratum; homo est animal; igitur homo est coloratum', dicendum est quod hic est fallacia figurae dictionis.

Quia enim `homo' non est neutrius generis sicut `animal' est neutrius generis, ideo non debet inferri ista conclusio `homo est coloratum' sed ista `homo est coloratus'. Et quandoque variatio vocalis alicuius termini debet fieri in diversis propositionibus propter variationem accidentium diversorum terminorum.

Similiter hic potest assignari fallacia figurae dictionis `omne album est corpus; omnis homo est album; igitur omnis homo est corpus'. Et si dicatur quod semper in omni fallacia debet esse aliqua apparentia, hic autem nulla videtur, igitur etc., dicendum est quod non requiritur in omni fallacia tanta apparentia quae decipiat sapientes, sed sufficit tanta quae aliquos simplices fallere possit.

Et sic est in proposito, quia aliqui simplices possent in consimilibus decipi. Secundus modus principalis istius fallaciae accipitur ex diversitate significatorum diversarum dictionum.

Verumtamen aliqua diversitas talis est sufficiens ad istam fallaciam in aliquo modo arguendi et aliqua non sufficit. Sed ad sciendum in speciali quando sufficit et quando non sufficit, per logicam sciri non potest, sicut nec per logicam sciri potest in speciali de qualibet dictione an sit aequivoca vel non sit aequivoca, sed hoc debet sciri per speciales scientias.

Penes istum modum peccant talia argumenta sophistica `calefacere est agere, igitur videre est agere', `calefieri est pati, ergo videri est pati'. Causa apparentiae istarum consequentiarum sophisticarum est similis terminatio istorum verborum `videre — calefacere', `videri — calefieri'.

Causa non exsistentiae est diversitas significatorum.

Quia enim `calefacere' significant calorem causatum a calefaciente in calefacto et `videre' significat visionem causatam a viso in vidente et non causatam a vidente in viso, ideo non valet consequentia.

Similiter tales consequentiae non valent `calefaciens est agens, igitur videns est agens',

'calefactum patitur, igitur visum patitur'. Et universaliter quando dictiones habent eadem accidentia grammaticalia et eosdem modos significandi, et propter hoc quod habent consimiles terminationes et consimiles modos significandi creditur quod illud commune praedicabile quod verificatur de uno verificetur de reliquo, et tamen propter hoc quod significant diversa non est sic, sed est fallacia figurae dictionis.

Et accidit frequenter iste modus figurae dictionis quando arguitur per locum a simili vel per aliquem locum consimilem. Puta: quia enim `visum' est participium verbi passivi, secundum grammaticos, ideo potest credi quod sicut `calefactum', quod est participium verbi passivi, non potest verificari nisi de passo, sic quod `visum' non possit verificari nisi de passo.

Et talis sic credens, nesciens naturam significatorum per istos terminos vel nesciens quid et quomodo significant, decipitur per fallaciam figurae dictionis. Si enim credat quod sicut `calefactum' significat illud quod patitur, et in quo est calor, in recto et illud a quo patitur in obliquo, sic `visum' significet illud in quo est visio in recto et illud a quo est visio in obliquo, decipitur.

Et ideo ad istum modum figurae dictionis perfecte sciendum necesse est scire naturas rerum et etiam necesse est scire grammaticam per quam scitur quid vox significat uno modo et quid alio modo significandi.

Nec tamen iste modus est ex diversitate modorum significandi aliquarum dictionum, ex hoc scilicet quod una dictio habet unum modum significandi, et alia dictio non habet illum modum significandi, sed est ex diversitate significatorum.

Quia enim diversa, quamvis eisdem modis significandi, significantur per istum terminum

'visum' et per istum terminum `calefactum' ideo est ibi fallacia. Oportet autem scire quod iste modus non contingit tantum quando propter consimiles terminationes et consimiles modos significandi creditur quod illud quod est commune uni est commune alteri, sicut sic arguendo `albedo est qualitas, igitur hirundo est qualitas', `qualitas differt realiter a substantia, igitur quantitas differt realiter a substantia', `musica est feminini generis, igitur propheta est femini generis', et sic de multis aliis, sed etiam iste modus reperiri potest quando propter naturam rei significatae aliquis discursus vel consequentia valet et tamen alio termino posito in praedicto discursu vel consequentia loco alicuius termini ibi positi non valeret.

Verbi gratia secundum opinionem Aristotelis hoc est bonum argumentum `iste dabit bovem coloratum; iste non habet bovem coloratum; igitur iste dabit bovem quem non habet', et tamen sic arguendo `iste dabit bovem album; iste non habet bovem album; igitur iste dabit bovem quem non habet' non valet, quia praemissae possunt esse verae conclusione exsistente falsa. Similiter talis discursus est bonus `iste est modo albus; iste cras non erit albus; igitur iste amittet aliquam rem quam modo habet'. Et tamen iste discursus secundum principia Aristotelis non valet `iste aer est nunc bicubitus; iste aer cras non erit bicubitus; ergo iste aer amittet cras aliquam rem quam nunc habet', et tamen idem modus arguendi videtur utrobique.

Et ideo si propter hoc credatur, quia alicubi tenet talis modus arguendi quod ubique valeat, fiet deceptio per fallaciam figurae dictionis. Et si quaeratur quare magis est fallacia figurae dictionis in uno discursu quam in alio, dicendum est quod hoc est propter hoc quod medium intrinsecum per quod tenet unus discursus est necessarium et medium intrinsecum per quod tenet alius discursus non est necessarium.

Ad cuius evidentiam est sciendum quod quaedam consequentiae, etiam formales, tenent per medium intrinsecum et quaedam tenent per medium

extrinsecum. Illae tenent per medium intrinsecum quae tenent virtute unius propositionis formatae ex eisdem terminis, sicut ista consequentia `omnis homo est animal, igitur Sortes est animal' tenet per medium intrinsecum, quia tenet virtute unius propositionis formatae ex eisdem terminis, puta ex istis terminis `Sortes' et `homo', quia tenet virtute istius medii `Sortes est homo'.

Si enim ista propositio esset falsa, consequentia prima in nullo valeret. Illae autem consequentiae vel discursus tenent per medium extrinsecum quae tenent sufficienter virtute alicuius regulae generalis non formatae ex terminis talis consequentiae vel discursus, vel si formetur ex illis hoc accidit, quia aliae consequentiae et discursus tenent aeque bene per hoc medium vel per tale medium extrinsecum ex quorum terminis non formatur talis regula generalis. Sicut patet de ista consequentia `omnis homo est animal, igitur tantum animal est homo', quae tenet per istud medium `ab universali ad exclusivam de terminis transpositis est bona consequentia'. Et ista consequentia `omnis homo est animal, igitur aliquod animal est homo' tenet per istam regulam `universalis affirmativa convertitur per accidens'.

Et ideo quandocumque accipiuntur aliquae consequentiae vel discursus quae non rectificantur vel regulantur per aliquam regulam generalem, videndum est si possint rectificari per aliquam propositionem veram formatam ex eisdem terminis.

Et si sic, consequentia erit bona; si non, consequentia non valebit. Sic autem est in proposito. Nam tales consequentiae `iste non habet bovem coloratum; iste dabit bovem coloratum; igitur iste dabit bovem quem non habet', `iste dabit bovem album; iste non habet bovem album; ergo iste dabit bovem quem non habet' non possunt regulari per aliquam regulam generalem; igitur si valeant, oportet habere aliquod medium verum ex eisdem terminis.

Nunc autem ita est quod prima consequentia tenet per medium verum et necessarium, secundum principia Aristotelis, quod est istud `si aliquid est bos, ipsum est coloratum'.

Unde quia secundum principia Aristotelis impossibile est quod aliquid sit bos et non sit coloratus, ideo ista consequentia est bona `iste dabit bovem coloratum; et iste non habet bovem coloratum; igitur iste dabit bovem quem non habet'.

Sed quia possibile est quod idem bos numero sit primo non albus et postea albus, ideo illud medium intrinsecum per quod tenet alia consequentia `si aliquid est bos, ipsum est album', est simpliciter falsum.

Et ideo iste discursus non valet `iste dabit bovem album; iste non habet bovem album; igitur dabit bovem quem non habet', quia iste poterit dare bovem quem habet, qui nunc non est albus, sed poterit esse albus quando dabit eum.

Similiter ista consequentia est bona `iste nunc est albus; iste cras non erit albus; ergo iste carebit aliqua re quam nunc habet', et tenet virtute istius medii `album significat aliquam rem distinctam secundum se totam ab illo quod est album'.

Sed ista consequentia secundum principia Aristotelis non valet `iste aer est nunc bicubitus; iste aer cras non erit bicubitus; igitur iste aer carebit aliqua re quam nunc habet', quia secundum principia Aristotelis ista est falsa `bicubitum significat aliquam rem secundum se totam distinctam ab illo quod est bicubitum et a parte eius'.

Et ita, universaliter, quando aliqua consequentia tenet in aliquibus terminis virtute medii necessarii intrinseci et aliqua consequentia habens terminos habentes consimiles modos significandi, quamvis non significent eadem eodem modo quo alii termini significant illa vel alia, propter defectum talis medii intrinseci non valet, potest ibi assignari fallacia figurae dictionis.

Unde hic est fallacia figurae dictionis `iste est pater; iste non fuit pater; igitur iste est mutatus', `iste est similis; iste non erit similis; ergo iste mutabitur', et sic de multis aliis. Est autem sciendum quod iste modus fallaciae figurae dictionis numquam habet locum quando accipiuntur duae praemissae mere categoricae et mere de inesse et mere de praesenti, dispositae vocaliter in modo et figura.

Et ideo accidit frequenter iste modus arguendi ex aliqua propositione de praeterito vel de futuro vel de modo. Unde hic est fallacia figurae dictionis `iste potest esse albus; iste non est albus; igitur iste potest esse aliquid quod nunc non est'.

Similiter hic `Filius Dei non fuit homo ab aeterno; Filius Dei fuit homo ex tempore; ergo

Filius Dei fuit aliquid ex tempore quod non fuit ab aeterno'. Tamen in istis potest assignari non tantum iste modus sed etiam tertius modus, de quo statim post dicetur, sicut in simili patebit ibidem.

Tertius modus principalis figurae dictionis est habens ortum ex diversitate modorum significandi diversarum dictionum quae videntur similes inter se, propter quod quandoque deceptus credit quod similiter est arguendum ex una dictione et ex alia.

Et potest iste modus subdividi.

Ad cuius intellectum sciendum quod modi significandi non sunt aliquae res additae ipsis dictionibus, advenientes eis, sed est metaphorica locutio, dicendo quod dictiones habent diversos modos significandi, quia per talem orationem intelligitur ista oratio `diversae dictiones diversimode significant illa quae significant'. Quia aliquae dictiones proprie non significant, sed magis adiunctae aliis consignificant vel dant aliis supponere vel determinato modo stare, cuiusmodi sunt syncategoremata, videlicet coniunctiones, praepositiones et huiusmodi. Aliquae autem significant

determinate res et finita significatione, secundum modum loquendi Boethii, sicut nomina categorematica et pronomina et participia et huiusmodi; et illorum quaedam sunt nomina mere absoluta et quaedam connotativa, sicut dictum est prius in primo tractatu.

Similiter, quaedam sunt propria, sicut pronomina et nomina propria, et quaedam sunt communia, quae ideo habent diversum modum significandi quia unum significat unum et non plura et reliquum significat plura vel potest significare.

Et secundum praedicta sub isto tertio modo principali possunt accipi tres modi speciales istius fallaciae. Primus modus potest esse secundum dictiones quae habent finitas significationes et quae non habent finitas significationes.

Et penes istum modum peccant consequentiae in quibus commutatur unus modus supponendi in alium; sicut si arguatur sic `omnis homo est animal, ergo animal est omnis homo'.

Et ad evidentiam istius exempli et sibi similium est primo sciendum quod hic potest assignari fallacia figurae dictionis propter hoc quod eadem dictio in antecedente habet unam suppositionem et in consequente habet aliam, quamvis hoc non sit sufficiens, sicut ostendetur.

Et similitudo dictionum est causa istius deceptionis; quia enim in multis non refert sic transponere dictiones, — bene enim sequitur `homo albus est homo, ergo homo est homo albus', similiter sequitur `animal rationale est homo, ergo homo est animal rationale' — propter hoc potest aliquis deceptus credere quod talis modus arguendi valeat in omnibus, et decipitur per fallaciam figurae dictionis.

Et oritur haec fallacia ex diversitate modorum significandi. Propter hoc enim quod `omnis' non habet talem modum significandi qualem habet `album' vel aliqua dictio talis, sed tantum consignificat sive facit terminum cui additur stare pro omnibus suis significatis, et facit terminum mediate sequentem stare confuse tantum, qualiter non stat in consequente, ideo est fallacia figurae dictionis et oritur ex similitudine dictionis ad aliam dictionem. Et est sciendum quod non quaelibet variatio suppositionis causat fallaciam figurae dictionis. Tunc enim in demonstratione potissima esset fallacia figurae dictionis. Sed generaliter quando arguitur a termino stante confuse tantum ad terminum stantem determinate, saltem enthymematice, est fallacia figurae dictionis, si circa alium terminum et dispositiones eius nulla sit penitus facta variatio; quamvis simul cum hoc sit ibi fallacia consequentis, sicut est in exemplo proposito.

Si tamen argueretur sic `omnis homo est animal, igitur animal est homo', quamvis in antecedente supponat confuse tantum et in consequente determinate, quia tamen signum additum homini in antecedente non additur sibi in consequente, non est ibi fallacia figurae dictionis.

Penes istum modum peccant omnia talia sophismata `omni parte continui est aliqua pars minor, igitur aliqua pars est minor omni parte continui'. Antecedens est verum, quia quaelibet singularis est vera, et consequens est falsum, quia quaelibet singularis est falsa.

Sed consequentia non valet, quia `pars' in antecedente supponit confuse tantum et in consequente supponit determinate. Sed quia evidentius est in talibus fallacia consequentis quam fallacia figurae dictionis, ideo quando de fallacia consequentis agetur, diversa exempla adducentur.

Similiter, arguendo a termino stante determinate vel confuse tantum ad eundem terminum stantem confuse et distributive, est fallacia figurae dictionis, quamvis etiam sit ibi fallacia consequentis, sicut hic `tu dubitas aliquod verum, igitur tu nescis aliquod verum'.

Unde si arguatur sic `illud quod tu dubitas, tu non scis; tu dubitas aliquod verum; igitur tu non scis aliquod verum' est fallacia figurae dictionis, quia in antecedente stat `verum' determinate et in consequente stat confuse tantum.

Similiter hic `illud quod non est aliquid, ab illo differt; Sortes non est omnis homo; igitur Sortes ab omni homine differt', nam in antecedente `homo' stat determinate, propter negationem praecedentem, et in consequente stat confuse et distributive.

Oportet autem scire quod non tantum contingit facere fallaciam figurae dictionis propter varium modum supponendi eiusdem termini sed etiam propter varium modum supponendi diversorum terminorum, ita quod alius terminus correspondens non mutetur.

Unde hic est fallacia figurae dictionis `omnis homo est animal, igitur substantia est omnis homo', et ita est de consimilibus. Non solum autem tertius modus accidit ex vario modo significandi, qui frequenter accidit ex modo significandi termini categorematici et syncategorematici, sed etiam accidit ex diversis modis significandi incomplexorum in diversis praedicamentis.

Quando enim propter hoc quod si arguatur ex omnibus terminis eiusdem praedicamenti erit bonum argumentum creditur propter hoc quod similiter arguendo ex terminis diversorum praedicamentorum sit conveniens argumentum et tamen non est, tunc accidit fallacia figurae dictionis.

Creditur enim propter similitudinem dictionum quod consimiliter contingit arguere ex istis terminis sicut ex illis, et tunc fiet deceptio per fallaciam figurae dictionis. Est autem primo sciendum quod non semper quando arguitur ex terminis diversorum praedicamentorum est fallacia figurae dictionis, quia universaliter quando praemissae sunt mere de inesse et de praesenti et categoricae et in recto, et

dispositae in modo et in figura, non est fallacia figurae dictionis, qualescumque sint termini.

Nec plus refert quod omnes termini sint eiusdem praedicamenti quam diversorum.

Unde ita valet iste syllogismus `omnis homo est animal; album est homo; igitur album est animal' sicut iste `omnis homo est animal; Sortes est homo; igitur Sortes est animal'. Et ita, universaliter, est de consimilibus.

Et ideo ad assignandum fallaciam figurae dictionis non sufficit dicere quod commutatur unum praedicamentum in reliquum, sed oportet dicere rationem magis specialem. Est igitur sciendum quod quamvis syllogistice arguendo ita contingit arguere ex terminis diversorum praedicamentorum sicut ex terminis eiusdem praedicamenti, tamen non syllogistice frequenter contingit arguere ex terminis eiusdem praedicamenti et non ex terminis diversorum praedicamentorum.

Et hoc multipliciter contingere potest, nam uno modo potest contingere propter diversitatem signorum distributivorum. Ad cuius evidentiam sciendum est quod sicut diversis praedicamentis congruunt diversa interrogativa, ita quod ad diversa interrogativa per incomplexa diversorum praedicamentorum fit responsio, — nam si quaeratur quid est homo, convenienter respondetur quod est animal; et si quaeratur qualis est homo, convenienter respondetur quod est albus vel musicus, et non quod est animal; et si quaeratur ubi est homo, convenienter respondetur quod est in foro vel in campis, et sic de aliis —, sic diversis praedicamentis correspondent diversa distributiva, sicut praedicamento substantiae correspondet `quilibet', `quidquid' et huiusmodi.

Hoc tamen est sciendum quod talia distributiva aequaliter conveniunt omnibus nominibus mere absolutis, sive illa nomina significent substantias sive qualitates sive res quascumque. Praedicamento autem quantitatis correspondent ista distributiva `quantumcumque' et `quotcumque', loco quorum nonnumquam ponuntur `quantum' et `quot'.

Praedicamento qualitatis correspondet hoc signum `qualecumque'. Et praedicamento `ubi' hoc signum `ubicumque'. Et praedicamento `quando' hoc signum `quandocumque', et sic de aliis, nisi forte nomina nobis deficiant. Differt autem distributivum substantiae sive distributivum correspondens nominibus mere absolutis ab aliis, quia quandoque aequaliter contingit assumere sub nomina connotativa vel respectiva sicut nomina mere absoluta. Unde aequaliter valet iste modus arguendi `quidquid est homo, est animal; bicubitum est homo; igitur bicubitum est animal' sicut iste `quidquid est homo, est animal; Sortes est homo; ergo Sortes est animal', et hoc quia talis maior aequivalet isti `omnis homo est animal'.

Sed de aliis distributivis non est sic, quia sub aliis distributivis numquam contingit — servando modum debitum arguendi — sumere sub nisi incomplexa convenientia tali distributivo et propria sibi.

Propter quod arguendo ex talibus necesse est scire naturas praedicamentorum, scilicet quid significant et quae significant et quomodo significant et quod non omnia praedicamenta significant unum, sed multa eorum significant plura, quamvis non omnia univoce nec eodem modo significandi.

Et qui hoc scit, est prope videre verum in multis, secundum Philosophum in libro Elenchorum.

Sciendum est igitur quod quandocumque sumpta maiore habente hoc signum distributivum `quantumcumque' vel `quotcumque', si sumatur sub aliquod incomplexum nisi per quod contingit respondere ad quaestionem factam per `quantum' vel `quot', est fallacia figurae dictionis propter distinctionem praedicamentorum.

Et hoc, quia si assumeretur sub aliquod incomplexum per quod convenienter respondetur ad talem quaestionem, non esset aliqua fallacia. Et ideo si aliquis credat quod propter hoc contingit assumere sub in minore unum terminum sicut alium, secundum quod hoc contingit in multis aliis, decipietur per fallaciam figurae dictionis; sicut hic `quantum est a tantum est b; a est lignum; igitur b est lignum'.

Et tamen si loco istius termini `lignum' poneretur iste terminus `tricubitum', esset bonum argumentum, sic arguendo `quantum est a tantum est b; tricubitum est a; igitur tricubitum est b'.

Similiter, si post hoc signum `qualecumque' in maiore, accipiatur sub in minore aliquod incomplexum per quod non respondetur ad quaestionem factam per `quale', est fallacia figurae dictionis.

Et si accipiatur sub incomplexum per quod convenienter respondetur ad quaestionem factam per `quale', erit bonum argumentum. Sicut hic est fallacia figurae dictionis `qualecumque currit, disputat; Sortes currit; igitur Sortes disputat', et tamen non hic `qualecumque currit, disputat; nigrum currit; igitur nigrum disputat'.

Similiter hic est fallacia figurae dictionis `quandocumque est accidens, tunc est suum subiectum; accidens est inhaerens; igitur subiectum est inhaerens', et non hic `quandocumque est accidens, est suum subiectum; accidens est in hoc tempore; igitur subiectum est in hoc tempore.

Similiter hic est fallacia figurae dictionis `ubicumque est substantia, ibi est quantitas; angelus est substantia; igitur angelus est quantitas', sed non hic

`ubicumque est substantia, ibi est quantitas; substantia est in hoc loco; igitur quantitas est in hoc loco'.

Et sic contingit arguere in aliis ubi ponitur signum distributivum correspondens interrogativo ad quod contingit convenienter respondere per incomplexa alicuius praedicamenti et non per alia.

Tamen de distributivis substantiae est difficultas specialis.

Pro quo sciendum quod quando distributivum substantiae ponitur in propositione mere de praesenti et mere de inesse, non refert quodcumque accipere sub in minore. Et ideo talis modus arguendi valet `quidquid emis, comedis; carnes crudas emis; igitur carnes crudas comedis', `quidquid est substantia corporea, est quantitas; corpus Christi est substantia corporea; igitur corpus Christi est quantitas', et sic de aliis. Ita tamen quod in minore non accipiatur aliqua determinatio compositionis quae non accipiebatur in maiore et simul cum hoc quod non commutetur unus numerus in alium numerum, quia si alterum illorum fiat, accidet fallacia figurae dictionis, sicut ostendetur.

Unde pluribus modis, quando non accipiuntur praemissae dispositae in modo et in figura nec aequivalentes talibus, accidit fallacia figurae dictionis: vel sumendo aliud nomen quam per quod respondetur ad quaestionem factam per `quid est' de re una; quandoque enim hoc accidit arguendo ex propositionibus de praesenti, quandoque ex propositionibus de praeterito vel de futuro, quandoque ex propositionibus de modo. Si arguatur ex propositionibus de praesenti et de inesse, hoc potest contingere vel addendo aliquam determinationem per quam potest, partialiter saltem, responderi ad quaestionem factam per aliud interrogativum de re una quam per `quid est'. Sicut si arguatur `quidquid currit est corpus; homo velociter currit; igitur homo velociter est corpus', quia in minore additur `velociter', per quod respondetur aliquo modo ad aliam quaestionem quam ad quaestionem factam per `quid est', ideo est fallacia figurae dictionis. Et tamen si poneretur haec determinatio `realiter', esset bonum argumentum, sic arguendo

'quidquid currit est corpus; homo realiter currit; ergo homo realiter est corpus'. Unde universaliter quando in tali modo arguendi additur in minore aliqua determinatio quae potest competere et non competere eidem, causatur fallacia figurae dictionis, et alia non causat fallaciam figurae dictionis.

Tale tamen signum posset accipi in minore quod non foret ibi fallacia figurae dictionis. Sicut ponatur quod `qualiter' sit adverbium interrogativum ad quod convenienter respondetur per talia `cito', `velociter', `tarde', `violenter' et huiusmodi, et sibi correspondeat hoc signum `qualitercumque'; quo posito iste modus arguendi erit bonus `qualitercumque aliquid currit, est corpus; homo velociter currit; igitur homo velociter est corpus'. Similiter hic est fallacia figurae dictionis `omnis substantia materialis habet partem distantem a parte; corpus Christi in sacramento Altaris est substantia materialis; igitur corpus Christi est in sacramento

Altaris habens partem distantem a parte'. Similiter hic `omne corpus est quantum; corpus Christi est corpus in sacramento Altaris; igitur corpus Christi est quantum in sacramento Altaris'.

Similiter hic `omne corpus est circumscriptum loco; corpus Christi est corpus in sacramento

Altaris; igitur corpus Christi est circumscriptum loco in sacramento Altaris'. Similiter hic, secundum unam opinionem, `omnis substantia materialis est quantitas; corpus Christi est substantia materialis in sacramento Altaris; igitur corpus Christi est quantitas in sacramento Altaris'.

Similiter hic `quidquid est substantia, est quantitas; corpus Christi est substantia in sacramento Altaris; igitur corpus Christi est quantitas in sacramento Altaris'. Et tamen sic arguendo `ubicumque aliquid est substantia, ibi illud est quantitas; corpus Christi est substantia in sacramento Altaris; igitur corpus Christi est quantitas in sacramento Altaris', est bonum argumentum.

Et ita patet quod ponendo hoc signum `ubicumque' loco istius signi `quidquid' non est aliqua fallacia sumendo sub aliquid per quod respondetur ad quaestionem factam per `ubi'. Propter quod summe necesse est scire qualia et quae significant praedicamenta et quomodo ad hoc quod sciatur de multis an sit ibi fallacia figurae dictionis.

Ex praedictis patet quod hic nulla est fallacia `ubicumque aliquid habet quantitatem inhaerentem sibi, ibi est quantum; substantia corporis Christi habet quantitatem inhaerentem sibi in sacramento Altaris; igitur substantia corporis Christi est quanta in sacramento Altaris'.

Nec hic `ubicumque aliquid habet longitudinem, latitudinem et profunditatem inhaerentem sibi, ibi est longum, latum et profundum; sed substantia corporis Christi habet longitudinem, latitudinem et profunditatem inhaerentem sibi in sacramento Altaris; igitur substantia corporis Christi est in sacramento Altaris longa, lata et profunda'.

Nec hic `ubicumque aliqua substantia habet extensionem inhaerentem sibi, ibi est extensa; substantia corporis Christi habet extensionem inhaerentem sibi in sacramento Altaris; igitur substantia corporis Christi est extensa in sacramento Altaris'.

Aliter contingit peccare per fallaciam figurae dictionis in tali modo arguendi, commutando unum numerum in alium, puta numerum singularem in pluralem, sic `quidquid est scitum, est scitum per inventionem vel per doctrinam; ista sunt scita, — demonstrando unum scitum per inventionem et aliud per doctrinam —; igitur ista sunt scita per inventionem vel per doctrinam'.

Similiter hic `quaelibet persona divina est Deus; Pater et Filius sunt personae divinae; igitur

Pater et Filius sunt dii'. Similiter hic `quaelibet persona divina producens personam est principium Spiritus Sancti; Pater et Filius sunt personae divinae producentes personam; igitur Pater et Filius sunt principia Spiritus Sancti'.

Hoc tamen est sciendum quod vix aut numquam potest impediri talis modus arguendi ex talibus duabus propositionibus nisi ubi arguitur disiunctive et ubi accipitur terminus significans aliquam rem unam quae est plures personae, quo modo est de Deo, qui unus Deus est, et tamen est plures personae.

Similiter unum principium Spiritus Sancti est duae personae.

Tamen, frequenter, arguendo enthymematice et commutando numerum singularem in numerum pluralem est fallacia figurae dictionis in aliis casibus quam in illis. Et hoc ubicumque terminus non significat plura; sicut non sequitur `sol est corpus, igitur soles sunt corpora'; nec sequitur `phoenix est animal, igitur phoenices sunt animalia', et hoc propter falsam implicationem in consequente. Et ideo hic est tantum consequentia ut nunc `homo est animal, igitur homines sunt animalia'.

Et tales falsae consequentiae possunt reduci ad primum modum, in quo oritur deceptio propter diversa accidentia grammaticalia diversarum dictionum. Aliter peccat talis modus arguendi penes fallaciam figurae dictionis, arguendo ex propositionibus de praeterito et de futuro, et hoc vel arguendo ex omnibus de praeterito vel ex una de praeterito et una de praesenti.

Et eodem modo, proportionaliter, dicendum est de illis de futuro. Si primo modo, aut assumptum in minori ponitur a parte subiecti aut a parte praedicati. Si primo modo, resolvendae sunt propositiones in propositiones aequivalentes quae possunt disponi in modo et in figura, et tunc utendum est arte quae data est de modo syllogizandi ex propositionibus de praeterito et de futuro.

Verbi gratia si arguatur sic `quidquid heri emisti, hodie comedisti; carnes crudas heri emisti; igitur carnes crudas hodie comedisti' resolvenda est maior in istam sibi aequivalentem `omne heri emptum fuit hodie comestum a te' et minor in istam aequivalentem sibi `carnes crudae fuerunt heri emptae' et conclusio in istam sibi aequivalentem `carnes crudae fuerunt hodie comestae a te'. Et subiectis in omnibus istis acceptis pro his quae fuerunt, tenet syllogismus. Sed si subiectum conclusionis sumatur pro his quae sunt, non valet, sed est tam fallacia accidentis quam fallacia figurae dictionis.

Si autem ponatur assumptum a parte praedicati, semper est fallacia figurae dictionis. Unde hic est fallacia figurae dictionis `quidquid heri emisti, hodie comedisti; tu emisti heri carnes crudas; ergo hodie comedisti carnes crudas'.

Et multo magis erit fallacia figurae dictionis si maior sit de praesenti et minor de praeterito vel de futuro. Propter quod hic est fallacia figurae dictionis, secundum illam opinionem quae ponit quod quantitas non est alia res a substantia et qualitate, `quidquid fuit heri, est hodie; Sortes fuit heri bicubitalis quantitatis; igitur Sortes est hodie bicubitalis quantitatis'.

Similiter hic `quidquid fuit, adhuc est; Sortes fuit triangularis figurae; igitur Sortes est triangularis figurae'. Similiter hic `quidquid fuit, est; ignis produxit vel calefecit; ergo ignis producit vel calefacit'. In omnibus enim talibus est fallacia figurae dictionis. Et tamen accipiendo sub nomina mere absoluta non est aliqua fallacia. Sicut hic est bonum argumentum `quidquid fuit, est; homo fuit; igitur homo est'. Et similiter hic `quidquid fuit est; albedo fuit; ergo albedo est'. Et similiter hic `quidquid fuit, est; Sortes fuit homo; igitur Sortes est homo'.

Et similiter hic `quidquid fuit, est; haec albedo fuit color; igitur haec albedo est color'. Et tamen secundum illam opinionem quae ponit quantitatem non esse aliam rem a substantia et qualitate hic est fallacia figurae dictionis `quidquid fuit, adhuc est; haec substantia fuit quantitas; ergo haec substantia adhuc est quantitas'.

Sed hic est bonum argumentum `quandocumque aliquid fuit substantia, tunc fuit quantitas; haec substantia fuit substantia; ergo haec substantia fuit quantitas'. Similiter hic est fallacia figurae dictionis `quidquid est, fuit prius; a est simul cum b; igitur a fuit prius simul cum b'.

Similiter est hic fallacia figurae dictionis `quidquid fuit, adhuc est; hoc corpus fuit coniunctum illi corpori; igitur hoc corpus est adhuc coniunctum illi corpori'.

Et tamen hic est bonum argumentum `quidquid fuit, est; albedo fuit; igitur albedo est'. Et sicut dictum est de propositionibus de praeterito, ita, proportionaliter, dicendum est de propositionibus de futuro.

Aliter contingit fallacia figurae dictionis ex diversitate praedicamentorum in propositionibus modalibus, sicut sic arguendo `quidquid potest Deus facere mediante causa secunda, potest facere se solo; sed Deus potest facere actum meritorium mediante causa secunda; igitur potest se solo facere actum meritorium'.

Responsio: hic est fallacia figurae dictionis, quia si acciperetur sub nomen mere absolutum, esset bonum argumentum; sicut hic est bonum argumentum `quidquid potest Deus facere mediante causa secunda, potest facere se solo; sed Deus potest facere ignem mediante causa secunda; igitur etc.'.

Et ideo si propter similitudinem dictionum credat quis quod unum argumentum est bonum sicut aliud, decipietur per fallaciam figurae dictionis. Verumtamen sciendum est quod si `actum meritorium' poneretur a parte subiecti, non esset fallacia figurae dictionis.

Unde hic non est fallacia figurae dictionis `quidquid Deus potest facere mediante causa secunda etc.; sed omnem actum meritorium potest Deus facere mediante causa secunda; igitur omnem actum meritorium potest Deus facere se solo', quia conclusio est vera si praemissae sunt verae, sive subiectum accipiatur pro his quae sunt sive pro his quae possunt esse.

Similiter hic est fallacia figurae dictionis `omnem rem potest Deus facere sine alia re distincta totaliter; album est res alia ab albedine; ergo Deus potest facere album sine albedine'.

Et tamen ista conclusio bene sequitur `album Deus potest facere sine albedine', quia illam rem quae est alba potest Deus facere sine albedine; et tamen haec est impossibilis `album facit Deus sine albedine'.

Similiter hic est fallacia figurae dictionis `Deus potest causare omnem rem possibilem quae non est Deus; veritas istius propositionis ``Deus nihil causat *potest esse; igitur Deus potest causare veritatem huius propositionis', propter hoc quod iste terminus `veritas istius propositionis' non est incomplexum mere absolutum.*

Oportet autem scire quod non solum iste modus fallaciae figurae dictionis est in talibus discursibus compositis ex pluribus praemissis, sed etiam accidit in consequentiis et enthymematibus; quia iste modus non est tantum ex hoc quod unum praedicamentum commutatur in aliud, hoc est ex hoc quod primo in maiore accipitur signum distributivum correspondens uni praedicamento et postea accipitur sub incomplexum alterius praedicamenti.

Quia numquam dicit Philosophus quod figura dictionis est ex commutatione unius praedicamenti in aliud, sed dicit quod est ex hoc quod diversa sunt praedicamenta et easdem res diversimode significant, ideo frequenter non valent consequentiae ex incomplexis aliquorum praedicamentorum.

Et tamen si loco illorum ponerentur incomplexa alterius praedicamenti, essent consequentiae bonae; sicut hic est consequentia bona `homo fuit animal, igitur animal fuit homo'.

Similiter `albedo fuit nigredo, ergo nigredo fuit albedo'. Similiter `albedo potest esse color, ergo color potest esse albedo'. Similiter tales consequentiae sunt bonae `albedo cessat esse albedo, igitur albedo cessat esse'; `homo desinit esse homo, igitur homo desinit esse' et huiusmodi. Quae ideo bonae consequentiae sunt quia termini ex quibus componuntur non significant aliquid in recto et aliquid in obliquo, nec significant aliquid primo et principaliter et aliquid secundario, nec significant aliquid affirmative et aliquid negative, sed eodem modo significant omnia sua significata. Quod secundum principia Aristotelis non est verum nisi de incomplexis in genere substantiae et de abstractis in genere qualitatis quibus correspondent concreta supponentia pro distinctis rebus ab illis pro quibus supponunt abstracta, et ideo tales consequentiae ex talibus terminis bonae sunt et non aliae.

Propter quod si aliquis credat quod consequentiae consimiles valent ex aliis terminis sicut ex talibus, decipietur per fallaciam figurae dictionis. Unde hic est fallacia figurae dictionis penes istum modum `album desinet cras esse album, ergo album desinet cras esse'; `motus cessabit esse motus quando quiescet mobile, igitur motus cessabit esse quando quiescet mobile', sicut hic est fallacia figurae dictionis `forma partibiliter adquisita cessabit esse partibiliter adquisita quando quiescet mobile, ergo forma partibiliter adquisita cessabit esse quando quiescet mobile'.

Similiter hic `actum meritorium potest Deus facere sine voluntate efficiente, igitur Deus potest facere actum meritorium sine voluntate efficiente'. Similiter hic `istam veritatem potest Deus facere, — demonstrando veritatem istius: Deus nihil facit —, ergo Deus potest facere hanc veritatem'.

Similiter hic `homo ab aeterno fuit Deus, igitur Deus ab aeterno fuit homo'. Et pro isto exemplo et pro aliis praecedentibus est sciendum quod quamvis hoc nomen `homo' secundum usum philosophorum sit nomen mere absolutum, non plus significans unum significatum in recto quam aliud, tamen secundum usum theologorum non est ita mere absolutum, quia si sic, esset convertibile cum hoc nomine `humanitas'. Et tunc sicut haec est neganda `Filius Dei est humanitas,' ita esset haec neganda `Filius Dei est homo', quod falsum est. Et ideo secundum usum theologorum hoc nomen `homo' connotat vel consignificat, potentialiter saltem, suppositum divinum, quod quamvis non esset homo, posset tamen esse homo. Et propter hoc quando posui multa exempla de hoc nomine `homo', locutus sum secundum usum philosophorum. Similiter hic est fallacia figurae dictionis `Filius Dei potest non esse homo, igitur homo potest non esse Filius Dei', propter eandem rationem.

Scire autem quare in praedictis est fallacia figurae dictionis non spectat ad logicum, sed spectat ad illum qui perfecte novit tam logicam quam alias artes sive scientias speciales, et ideo qui in omnibus argumentis novit artificialiter assignare fallaciam figurae dictionis est prope videre verum in omnibus scientiis.

Est etiam sciendum quod quamvis tales consequentiae habeant talem defectum generalem, tamen quandoque aliquae gratia materiae possunt tenere. Et tunc ad ostendendum quod aliquae tales consequentiae tenent gratia materiae et aliquae non, oportet recurrere ad secundum modum principalem istius fallaciae et ad artem traditam ibi.

Nec est inconveniens quod in eodem argumento concurrant aliquando duo modi eiusdem fallaciae. Ad istum etiam modum habent reduci omnes paralogismi in quibus arguitur a praemissis habentibus aliquam determinationem ad conclusionem sine illa determinatione, quamvis nonnulli tales possent reduci ad secundum modum principalem.

Unde hic est fallacia figurae dictionis `tu non habes denarium cum tristitia; et tu das denarium cum tristitia; ergo das quod non habes'. Similiter hic `tu non habes unum solum denarium; et das unum solum denarium; ergo das quod non habes'.

Et causa quare in talibus est fallacia figurae dictionis est ista, quia si in talibus praemissis loco istorum terminorum `denarium cum tristitia', `unum solum denarium' ponerentur termini mere absoluti non esset aliqua fallacia respectu eiusdem conclusionis.

Sicut hic nulla est fallacia `tu non habes animal rationale; tu das animal rationale; igitur tu das quod non habes'; nec hic `tu das bovem et non habes bovem, igitur das quod non habes'.

Sed numquid est hic fallacia figurae dictionis `tu das bovem album; et non habes bovem album; igitur das quod non habes'? Dicendum est quod hic est bonum argumentum, quia non semper dimissio determinationis in conclusione facit fallaciam figurae dictionis, sed quando determinatio illa est in uno praedicamento tunc causat et quando est in alio tunc non causat fallaciam figurae dictionis.

Unde bene sequitur `tu das unum denarium; et non habes unum denarium; igitur das quod non habes'; et tamen non sequitur `tu das bovem in isto loco; et non habes bovem in isto loco; igitur das quod non habes'.

Nec potest dari regula generalis quando talis consequentia valet et quando non valet. Similiter potest accidere fallacia figurae dictionis propter hoc quod aliqui termini significant aliquid negative et aliquid affirmative, sicut in isto exemplo `tu das unum solum denarium; et non habes unum solum denarium; ergo das quod non habes'. Unde propter hoc quod `unum solum' significat plura negative, ideo talis consequentia non valet.

Non solum autem accidit fallacia figurae dictionis propter hoc quod incomplexa categorematica et syncategorematica diversimode significant et propter hoc quod diversa praedicamenta significant diversimode et propter hoc quod aliqui termini significant aliquid negative et aliquid affirmative et aliquid affirmative et negative, sed etiam ex hoc quod aliqui sunt termini communes pluribus et aliqui sunt proprii, inter quos computanda sunt nomina propria et pronomina demonstrativa et relativa.

Et est iste modus quando aliquod argumentum teneret si loco termini communis, vel loco termini habentis terminum communem pro parte, poneretur nomen proprium vel pronomen demonstrativum vel relativum; et tamen quia ponitur alius terminus quam pronomen demonstrativum vel relativum vel nomen proprium non valet argumentum, vel quando accidit e converso.

Verbi gratia si arguatur sic `Marcus potest esse alter a Tullio; Marcus est Tullius; igitur Marcus potest esse alter a se', hic est bonum argumentum si `Marcus' sit nomen proprium istius hominis et similiter `Tullius'.

Si tamen loco istius nominis `Tullius' poneretur hoc commune `musicum' vel sibi adderetur idem commune, argumentum non valeret; sicut non sequitur `Marcus potest esse alter a musico, vel a Tullio musico; Marcus est musicus, vel Tullius musicus; igitur Marcus potest esse alter a se'.

Similiter hic est bonum argumentum `Marcus est tertius a Sorte et a Tullio, ergo Marcus est tertius a se'; et tamen hoc argumentum non valet `Marcus est tertius a Sorte et ab homine, ergo Marcus est tertius a se'.

Et tamen non est differentia aliqua nisi in hoc quod in uno accipitur nomen commune et in alio loco termini communis accipitur nomen proprium. Propter hoc si aliquis credat quod illud argumentum valet ubi ponitur nomen commune sicut valet illud in quo ponitur nomen proprium, decipitur per fallaciam figurae dictionis, dum credit propter similitudinem dictionum unum valere sicut reliquum.

Similiter hic est bonum argumentum `Marcus non est tertius a se et a Sorte; Marcus est Tullius; ergo Marcus non est tertius a Sorte et a Tullio'. Et tamen si loco istius nominis proprii `Tullius' poneretur hoc nomen commune `homo', argumentum non valeret, quia non sequitur `Marcus non est tertius a se et a Sorte; Marcus est homo; ergo Marcus non est tertius a Sorte et ab homine'.

Et ita patet quod aliquando ponendo nomen proprium est argumentum bonum et ponendo loco illius nomen commune non valet.

Et iste est unus modus tertii modi principalis. Nec tamen est dicendum quod semper accipiendo nomen proprium loco nominis communis vel e converso est fallacia figurae dictionis.

Unde errant dicentes quod hic est fallacia figurae dictionis `Coriscus est alter a Corisco musico; Coriscus est Coriscus musicus; ergo Coriscus est alter a se', si Coriscus sit nomen proprium et non aequivocum; quia si esset nomen aequivocum, esset ibi fallacia figurae dictionis.

Quod autem non sit ibi fallacia figurae dictionis, patet; nam sequitur `Coriscus est alter a Corisco musico, ergo Coriscus non est Coriscus musicus', et sequitur `Coriscus non est Coriscus musicus, ergo Coriscus musicus non est Coriscus'.

Similiter sequitur `Coriscus est Coriscus musicus, ergo Coriscus musicus est Coriscus'. Ex istis duobus sequitur conclusio principalis, sic `Coriscus musicus non est Coriscus;

Coriscus musicus est Coriscus; ergo Coriscus non est Coriscus', et ultra `ergo Coriscus est alter a se'. Nec valet dicere quod non sequitur `Coriscus est alter a Corisco musico, igitur Coriscus non est Coriscus musicus', quia sequitur `Coriscus est alter a Corisco musico, ergo Coriscus musicus est alter a Corisco'; et ultra `ergo

Coriscus est alter a Corisco'; et ultra `ergo Coriscus non est Coriscus musicus'; igitur a primo ad ultimum.

Dicendum est ergo quod talis discursus est bonus ex propositionibus mere de inesse et mere de praesenti. Sed iste discursus non valet `Coriscus potest esse alter a Corisco musico; Coriscus est Coriscus musicus; igitur Coriscus potest esse alter a se'; et tamen si loco istius termini `Coriscus musicus' poneretur aliquod pronomen demonstrativum vel relativum vel nomen proprium esset discursus bonus.

Et si quaeratur causa istius, dicendum est quod causa est quia affirmativae multae, in quibus ponuntur termini communes vel pronomina sive nomina propria cum terminis communibus, possunt habere plures causas veritatis quam si loco illorum poneretur nomen proprium vel pronomen.

Ista enim `Coriscus potest esse alter a Corisco musico' potest habere omnes istas causas veritatis `Coriscus potest esse alter a Corisco'; `Coriscus potest esse alter a musico'; `Coriscus potest non esse Coriscus musicus'.

Et non omnes istas causas veritatis potest habere ista `Coriscus potest esse alter a se', nec ista `Coriscus potest esse alter a Corisco'. Et si dicatur quod tunc est ibi fallacia consequentis, dicendum est quod non est inconveniens ibi accidere fallaciam consequentis.

Si tamen quis decipiatur propter hoc quod videt quod talis modus arguendi tenet in consimilibus dictionibus, decipietur per fallaciam figurae dictionis.

Penes istum modum peccant talia sophismata `quandocumque aliqua sunt idem realiter, ubicumque aliquid est unum illorum, ibi illud est reliquum illorum; sed substantia corporis Christi et substantia corporis Christi habens partem distantem a parte sunt idem realiter, et corpus Christi est in sacramento Altaris substantia corporis Christi; igitur corpus Christi est in sacramento Altaris habens partem distantem a parte', quia si loco istius termini `substantia corporis Christi habens partem distantem a parte' poneretur nomen proprium vel pronomen demonstrans illam rem quae est substantia corporis Christi habens partem distantem a parte, esset bonum argumentum. Similiter hic est fallacia figurae dictionis `haec substantia est substantia habens partem distantem a parte; haec res est substantia in sacramento Altaris; ergo haec res est substantia habens partem distantem a parte in sacramento Altaris'. Et tamen si in conclusione poneretur loco istius termini `substantia habens partem distantem a parte' nomen proprium vel pronomen demonstrativum, esset bonum argumentum. Et propter hoc est ibi fallacia figurae dictionis penes modum alium prius positum. Similiter hic est fallacia figurae dictionis `quando aliqua sunt idem realiter, unum non potest esse sine reliquo; sed Sortes et simile sunt idem realiter; ergo Sortes non potest esse nisi simile sit', quia si loco istius termini `simile' poneretur nomen proprium illius similis vel pronomen demonstrans ipsum simile, esset bonum argumentum. Similiter in talibus est fallacia figurae dictionis `mobile quando exsistet, potest non esse motus, igitur motus realiter distinguitur a mobili'.

Similiter hic `ipsa substantia exsistente potest non esse quanta, igitur substantia distinguitur realiter a quantitate'. Similiter hic, secundum principia Aristotelis, `substantia, quamvis non desinat esse, potest non esse quantitas, ergo substantia non est eadem realiter quantitati'; `albedo, quamvis non desinat esse, potest non esse similitudo, igitur albedo non est eadem res cum similitudine'.

Et tamen in omnibus istis si loco termini communis poneretur nomen proprium vel pronomen demonstrativum, esset bonum argumentum. Sciendum est tamen quod quamvis praedictae consequentiae non teneant ponendo terminos communes a parte praedicati in propositione categorica, tamen si ponerentur a parte subiecti in copulativa, essent consequentiae bonae.

Sicut sequitur `mobile potest esse in a; et tunc motus potest non esse, quamvis mobile sit tunc; ergo motus non est idem realiter cum mobili'. Similiter sequitur `substantia potest esse in aliquo tempore; et tunc quantum potest non esse, quamvis substantia tunc exsistat; ergo quantum non est idem realiter cum substantia'.

Sed altera praemissarum tunc erit falsa. Et causa quare unus modus arguendi tenet et non alius, est quia `quantum' potest esse substantia quando ipsa substantia non erit quanta, sicut `album' erit Sortes quando Sortes non erit albus. Ponatur quod Sortes sit modo albus et quod fiet niger cras: tunc haec est vera `album cras erit Sortes' et haec falsa `Sortes cras erit albus'. Et ista est causa quare tenet unus modus arguendi et non alius. Et unde oritur ista causa? Dicendum est quod oritur ex hoc quod alium modum significandi habet hoc nomen `Sortes' et hoc nomen `album', quia `album' significat Sortem in recto quando Sortes est albus et significat in obliquo albedinem quae potest destrui Sorte manente.

Similiter quod haec sit vera, secundum unam opinionem, `quantitas potest esse substantia quando substantia non erit quantitas', causa est, secundum eos, quia hoc nomen `quantitas' significat partem rei distare a parte, et Deus potest facere quod substantia maneat et tamen quod una pars non distet situaliter ab alia parte.

Et ita est de omnibus consimilibus quod diversus modus significandi causat fallaciam figurae dictionis in talibus sophismatibus. Propter quod ad cognoscendum istum tertium modum principalem figurae dictionis necesse est cognoscere quas res termini significant et qualiter significant eas, scilicet an in recto vel in obliquo, et an affirmative vel negative, et an tamquam termini categorematici vel syncategorematici, et an tamquam nomina propria vel communia, quamvis istud ultimum reduci posset ad secundum modum principalem.

Unde quidquid sit dicendum de distinctione illorum modorum, hoc tamen tenendum est, secundum doctrinam Aristotelis, quod tunc semper est fallacia figurae dictionis quando non similiter contingit arguere ex diversis terminis propter diversitatem dictionum quae videntur similes, propter quam similitudinem potest alicui videri quod arguendum est similiter ex illis.

Hoc tamen semper servandum est quod quandocumque praemissae sunt dispositae in modo et in figura, secundum regulas quae datae sunt in principio istius tractatus de syllogismis tam uniformibus quam mixtis, numquam est fallacia figurae dictionis.

3—4. 11. DE FALLACIA ACCIDENTIS

Post fallacias in dictione dicendum est de fallaciis extra dictionem, inter quas primo ponitur fallacia accidentis. Circa quam sciendum quod hic non accipitur `accidens' illo modo quo accipitur prius, ubi determinatur de accidente quod ponitur unum quinque universalium, sed accipitur hic 'accidens' pro omni termino qui potest esse subiectum vel praedicatum distinctum ab alio. Unde omnis terminus qui potest esse subiectum vel praedicatum propositionis potest esse et est accidens respectu alicuius, quia est distinctum praedicabile vel subicibile ab alio praedicabili.

Causa apparentiae istius fallaciae est identitas praedicationis unius termini cum alio, hoc est, causa quare decipit: quia videmus unum terminum de alio praedicari affirmative vel negative, credimus quod quidquid dicitur de uno, dicetur de reliquo.

Causa non—exsistentiae est, quia quamvis unus terminus praedicetur de alio, non est necesse quod quidquid dicitur de accidente, hoc est de uno illorum, quod propter hoc dicatur de reliquo; vel non est necesse eodem modo dici de reliquo quo unum illorum dicitur de alio.

Et ideo responsio generalis ad omnes paralogismos accidentis est dicere quod non est necesse sequi conclusionem ex praemissis, hoc est, non est necesse praedicatum conclusionis dici de subiecto conclusionis propter unionem illorum in praemissis cum aliquo uno.

Sicut non est necesse ista extrema <'homo — asinus'> coniungi per praedicationem, sic dicendo `homo est asinus', quamvis isti duo termini `homo' et `asinus' coniungantur per praedicationem cum hoc medio `animal', sic dicendo `asinus est animal', `homo est animal'.

Et ista est responsio generalis ad omnes paralogismos accidentis. Sed praeter istam responsionem generalem oportet, secundum Aristotelem, proferre `ut', hoc est oportet assignare aliquam regulam evidentem specialem quare non sequitur, et pro diversis oportet diversas regulas speciales assignare. Ad cuius evidentiam est sciendum quod duo sunt modi principales istius fallaciae. Unus modus est quando aliqua quae per praedicationem coniunguntur in praemissis cum tertio, concluduntur coniungi inter se in conclusione. Secundus modus est quando aliqua coniuncta cum aliquo uno per propositiones diversas concluduntur per unicam propositionem coniungi cum eodem tertio.

Et est sciendum quod fallacia accidentis non est assignanda ex variatione medii, quia non oportet medium in fallacia accidentis variari. Hic enim nulla est variatio

medii `Sortes est homo; Plato est homo; ergo Plato est Sortes'. Sed semper vel frequenter accidit fallacia accidentis ex identitate medii; quando enim propter hoc quod aliqua coniunguntur per praedicationem in medio non variato creditur quod coniungantur per praedicationem inter se, et tamen non oportet, est fallacia accidentis. Sed hic non potest dari aliqua regula generalis sufficiens, quia nec per variationem medii, sicut dictum est, nec per reduplicationem minoris propositionis super maiorem extremitatem, quia frequenter talis reduplicativa est impossibilis, et tamen syllogismus est bonus.

Sicut hic est bonus syllogismus `omnis homo est lapis; omnis albedo est homo; ergo omnis albedo est lapis', et tamen ista reduplicativa est impossibilis `omnis albedo est homo in quantum est lapis'.

Non potest igitur dari regula generalis pro omnibus paralogismis per quam sufficienter sciatur fallacia accidentis in quolibet casu. Est igitur sciendum quod primus modus fallaciae accidentis est quando praemissae disponuntur in figura et non in modo.

Et hoc potest accidere vel quando praemissae sunt simpliciter categoricae et de praesenti et de inesse, vel quando sunt de modo, vel una est de modo et alia de inesse, vel de praeterito vel de futuro.

Unde penes istum modum fallaciae accidentis peccant omnes coniugationes inutiles, sive uniformes sive mixtae, de quibus loquitur Philosophus I Priorum et de quibus dictum est prius.

Et ideo ad sciendum quando est iste modus fallaciae accidentis, oportet scire omnes regulas illas et oportet scire penes quam illarum regularum peccat paralogismus, et ideo pro diversis oportet diversas regulas assignare.

Unde hic est fallacia accidentis `veniens cognoscitur a te; Coriscus est veniens; igitur Coriscus cognoscitur a te'. Et in assignando debes proferre `ut', et dicere quod hic est fallacia accidentis, quia maior est particularis vel indefinita in prima figura in syllogismo affirmativo; quae maior si esset in proposito universalis, non esset aliqua fallacia.

Unde hic nulla est fallacia `omnis veniens cognoscitur a te; Coriscus est veniens; igitur Coriscus cognoscitur a te', quia maior est universalis. Similiter hic est fallacia accidentis `omnis homo est animal; omnis asinus est animal; igitur omnis asinus est homo'.

Et assignatio generalis debet esse ista, quod hic est fallacia accidentis, quia quamvis animal praedicetur de homine, non oportet quod de quocumque dicitur `animal' quod de eodem dicatur `homo' tali modo quo animal dicitur de homine.

Et proferendo `ut', debes dicere in speciali quod hic est fallacia accidentis, quia arguitur ex omnibus affirmativis in secunda figura. Et ita pro diversis debent diversae regulae assignari, et sine illis regulis non potest sciri universaliter quando est fallacia accidentis et quando non.

Quando igitur accidit fallacia accidentis penes istum modum arguendi ex propositionibus mere categoricis et mere de inesse et mere de praesenti facile est scire per regulas Aristotelis, traditas in I Priorum, de uniformi generatione syllogismorum de inesse, praeterquam in uno casu, scilicet in divinis, ubi concedendum est quod una res simplex est plures personae, quae inter se sunt distinctae realiter, de quibus tactum est prius, quia in talibus terminis est frequenter fallacia accidentis et non in aliis.

Unde hic est fallacia accidentis `omnis essentia divina est Pater; Filius est essentia divina; ergo Filius est Pater'. Et debet specialis regula assignari talis: quia una essentia est plures personae, quae personae sunt distinctae inter se, non oportet quod omne nomen personae de quo praedicatur nomen essentiae praedicetur de nomine alterius personae.

Similiter hic est fallacia accidentis `haec essentia est Pater; haec essentia est Filius; ergo Filius est Pater'. Et isti deservit consimilis regula; quia enim una essentia est plures personae, ideo non sequitur quod quamvis de nomine proprio illius vel de pronomine demonstrante illam essentiam praedicentur nomina illarum personarum quod propter hoc unum nomen unius personae praedicetur de reliquo.

Sicut propter hoc quod iste terminus `homo', qui significat plures homines, praedicetur de nominibus singulorum hominum, non oportet quod illa nomina quae praedicantur de hoc nomine `homo' sine signo universali, praedicentur de se invicem.

Similiter hic est fallacia accidentis, propter similem regulam `haec spiratio est paternitas; haec spiratio est filiatio; ergo filiatio est paternitas'. Similiter hic `haec essentia est Pater; haec essentia est Filius; ergo Filius est Pater'. Similiter hic `haec essentia est Pater; Filius non est Pater; igitur Filius non est essentia'.

Similiter hic `omnis Deus est Pater; Filius est Deus; igitur Filius est Pater'. Et si dicatur quod hic non est fallacia, quia haec est falsa `omnis Deus est Pater', contra hoc potest argui, quia si haec sit falsa `omnis Deus est Pater', ergo sua opposita est vera `aliquis Deus non est Pater'.

Et manifestum est quod haec est vera `aliquis Deus est Pater'; igitur sunt plures dii, quorum unus est Pater et alius non est Pater, sicut sequitur `aliqua essentia divina est Pater; et aliqua essentia divina non est Pater; igitur sunt plures essentiae'.

Similiter hic est fallacia accidentis `contradictoria verificantur de essentia et Patre; et essentia et Pater sunt idem; igitur contradictoria verificantur de essentia et Patre pro eodem'.

Similiter hic est fallacia accidentis `essentia est Pater; Pater non est Filius; igitur essentia non est Filius'. Et pro omnibus talibus non potest assignari nisi talis regula: essentia divina, quae est unus Deus et unica essentia, est plures personae. Propter quod ubi non obviat relationis oppositio quod conceditur de una persona concedendum est de alia; ubi autem obviat relationis oppositio non est concedendum de qualibet persona quod de una conceditur.

Et ad hoc est semper aspiciendum in respondendo ad discursus ex terminis importantibus divinas personas. Et ideo quamvis in talibus discursibus, in quibus exemplificatum est, sit fallacia accidentis, tamen in talibus discursibus compositis ex terminis importantibus creaturas numquam est fallacia accidentis.

In terminis tamen et discursibus compositis ex terminis importantibus divinas personas est fallacia accidentis. Et ideo secus est de discursibus compositis ex terminis importantibus creaturas et de discursibus de quibus exemplificatum est.

Propter quod dico quod in terminis importantibus creaturas, ubicumque sunt praemissae dispositae vocaliter in modo et in figura, secundum regulas traditas superius de syllogismis uniformibus et mixtis, numquam est fallacia accidentis, quamvis aliquando possit esse fallacia aequivocationis et amphiboliae et compositionis et divisionis et accentus et in uno casu fallacia secundum quid et simpliciter, nisi aliqui termini includant aequivalenter aliqua syncategoremata vel aliquas alias determinationes, de quibus dictum est in primo tractatu istius Summa.

Propter quod omnes tales syllogismi sunt boni `omnis intellectus humanus est anima intellectiva; omnis voluntas humana est anima intellectiva; ergo aliqua voluntas humana est intellectus humanus'.

'Omnis creatura est creata; omnis creatio est creatura; igitur omnis creatio est creata', et innumerabiles tales, quos nonnulli ignorantes logicam negant, propter quod in errores varios elabuntur.

Sicut autem nonnunquam accidit fallacia accidentis propter hoc quod praemissae de inesse et de praesenti non ordinantur secundum regulas debitas in modo et in figura, ita etiam accidit fallacia accidentis propter hoc quod praemissae de praeterito vel de futuro vel de modo non ordinantur secundum veras regulas in modo et figura.

Propter hoc hic est fallacia accidentis `Filius Dei fuit Deus ab aeterno; Filius Dei non fuit homo ab aeterno; igitur homo non fuit Filius Dei ab aeterno'. Similiter hic `Deus non potest facere actum meritorium sine voluntate; actus meritorius est aliquid; igitur aliquid non potest fieri a Deo sine voluntate'.

Similiter hic `naturaliter potest sciri quod omnis Deus est immortalis; tres personae sunt Deus, vel Pater est Deus; ergo naturaliter potest sciri quod tres personae sunt immortales, vel quod Pater est immortalis'.

Similiter est hic, secundum unam opinionem, `scio quod omnis anima intellectiva est substantia; intellectus est anima intellectiva; ergo scio quod intellectus est substantia'. Et sicut est de talibus, ita est de multis aliis, quae tamen possunt sciri evidenter, scitis regulis datis de generatione syllogismorum uniformium et mixtorum, propter quarum ignorantiam multi decipiuntur per fallaciam accidentis.

Secundus modus principalis fallaciae accidentis est quando aliqua per praedicationem coniunguntur cum tertio non variato in diversis propositionibus et in conclusione coniunguntur illa eadem cum illo tertio non variato; sicut sic arguendo `iste canis est tuus; iste canis est pater; ergo iste canis est tuus pater'.

Verumtamen non semper quando sic arguitur est fallacia accidentis.

Hic enim nulla est fallacia accidentis `iste homo est albus; iste homo est animal; ergo iste homo est animal album'. Et ideo ad cognoscendum quando in tali modo arguendi est fallacia accidentis et quando non, videndum est an ex propositione in qua illa duo praedicantur coniunctim de aliquo contingat inferre praedicationem unius de altero et an talis oratio sit propria.

Et si sic, non est ibi fallacia accidentis. Propter quod hic non est fallacia accidentis `Sortes est rationalis; Sortes est animal; igitur Sortes est animal rationale'.

Si autem talis oratio sit impropria, tunc non valet, sicut non sequitur `Sortes est animal; Sortes est homo; ergo Sortes est homo — animal'.

Nec sequitur `Sortes est lapis; Sortes est homo; ergo Sortes est homo — lapis'. Similiter si ex tali praedicatione propria non contingat inferre praedicationem unius illorum coniunctorum de reliquo, est fallacia accidentis.

Et ideo quia ista consequentia non valet `iste est pater tuus, ergo est tuus', ideo hic est fallacia accidentis `iste canis est tuus; iste canis est pater; ergo iste canis est pater tuus'. Similiter, quia non sequitur `iste est monachus albus, igitur est albus', ideo hic est fallacia accidentis `iste est albus; iste est monachus; ergo iste est albus monachus', et ita est de consimilibus.

Verumtamen sciendum est quod semper in tali argumento est fallacia figurae dictionis, et ita semper in tali modo arguendi concurrunt fallacia accidentis et fallacia figurae dictionis. Tamen quando quis credit quod sequitur conclusio propter hoc quod illa coniungebantur eidem tertio in praemissis, decipitur per fallaciam accidentis.

Si autem credat conclusionem sequi propter similitudinem illarum dictionum ad alias dictiones, in quibus scit tenere talem modum arguendi, decipitur per fallaciam figurae dictionis.

Et in isto casu potest assignari aliqua multiplicitas in fallacia figurae dictionis, pro eo quod unus terminus aliter accipitur in una propositione et in alia; quia tamen nulla una oratio est multiplex, ideo non est ibi nec aequivocatio, nec amphibolia, nec compositio et divisio, nec accentus.

Unde sciendum est quod si semper quaelibet dictio in tali modo arguendi uniformiter acciperetur, non esset ibi aliqua fallacia dictarum; immo, si servaretur forma syllogistica, non ponendo medium terminum in conclusione, non esset ibi fallacia accidentis.

Sicut hic non est fallacia accidentis `iste canis est tuus; iste canis est pater; ergo aliquis pater est tuus'; sicut nec hic `iste est albus; iste est monachus; igitur aliquis monachus est albus'.

Sed in tali modo arguendi aliqua dictio diversimode accipitur in diversis propositionibus. Unde in ista `iste canis est tuus' li tuus significat possessionem, in ista autem `iste canis est tuus pater' li tuus non significat possessionem sed significat patrem istius hominis; propter quod aliter accipitur in una propositione et in alia. Nulla tamen oratio est multiplex. Et si quaeras, unde est hoc quod aliud significat in una propositione et in alia, dicendum est quod causa quare ista vox significat aliud in una propositione et in alia non potest esse nisi voluntas utentium, qui sic volunt uti.

Sed ex hoc videtur quod hic est praecise fallacia in dictione. Potest dici quod hic non est praecise fallacia in dictione, quia non est inconveniens ponere quin talis modus arguendi possit servari in propositionibus mentalibus.

Unde non est inconveniens quin sicut aliqua dictio ad placitum significativa significat unum quando per se ponitur et aliud quando adiungitur alteri ita idem signum naturale naturaliter significat unum quando per se ponitur et aliud quando coniungitur alteri, sicut posset exemplificari de multis naturalibus.

Sciendum est autem quod non tantum contingit sic arguere ex omnibus affirmativis, sed etiam contingit arguere ex una affirmativa et alia negativa. Unde hic est fallacia accidentis `iste non est albus, iste est monachus; igitur iste non est monachus albus'.

Similiter hic `hoc non est tuum; hoc est opus; ergo hoc non est opus tuum'. Et consimiliter est in aliis.

3—4. 12. DE FALLACIA CONSEQUENTIS

Quia secundum Aristotelem fallacia consequentis est pars accidentis, ideo post fallaciam accidentis sequitur videre de fallacia consequentis.

Et est fallacia consequentis quando creditur antecedens sequi ad consequens sicut consequens sequitur ad antecedens. Ita quod causa apparentiae istius fallaciae provenit ex similitudine consequentis ad antecedens; et causa non—exsistentiae est diversitas inter antecedens et consequens.

Fit autem fallacia consequentis vel arguendo ex propositionibus quarum una sequitur ad aliam et non e converso; vel arguendo ex una condicionali ad aliam condicionalem in qua oppositum antecedentis primae condicionalis ponitur antecedens et oppositum consequentis primae condicionalis ponitur loco consequentis.

Sicut sic arguendo `si homo currit, animal currit; igitur si nullus homo currit, nullum animal currit'.

Hic enim est fallacia consequentis. Et est regula generalis pro omnibus talibus quod quando arguitur ex condicionali una ad aliam condicionalem, in qua oppositum antecedentis primae ponitur loco antecedentis et oppositum consequentis loco consequentis, est fallacia consequentis.

Et hoc propter istam regulam: quamvis aliqua consequentia sit bona, non oportet oppositum antecedentis inferre oppositum consequentis, quamvis aliquando gratia terminorum ex opposito antecedentis sequatur oppositum consequentis.

Et ideo de isto non oportet plus loqui, quia evidenter potest sciri quando iste modus accidit et quando non, scita ista regula data nunc, et scito quando est alius modus istius fallaciae. Unde sciendum est quod quandoque committitur fallacia consequentis arguendo enthymematice et quandoque arguendo ex pluribus propositionibus.

Si arguatur ex pluribus propositionibus, ad hoc quod sit consequens requiritur quod consequens inferat quamlibet propositionem positam in antecedente, et non e converso.

Et si arguatur in figura, semper simul cum hoc erit fallacia accidentis. Et universaliter quando est fallacia consequentis etiam in enthymemate, et illa consequentia reducitur in figuram debitam, si remaneat fallacia consequentis in illo discursu composito ex propositionibus dispositis in figura, erit non solum fallacia consequentis, sed etiam erit fallacia accidentis.

Et pro tanto dicit Philosophus quod consequens est pars accidentis, quia ubicumque est dispositio propositionum in figura, si sit ibi fallacia consequentis, erit etiam ibi fallacia accidentis, sed non e converso.

Unde hic est fallacia consequentis `omnis homo est animal; omnis asinus est animal; ergo omnis asinus est homo', quia utraque praemissa sequitur ex conclusione et non e converso; et est etiam hic fallacia accidentis, sicut patet per praedicta.

Sed hic `omnis homo est albus; omnis homo est visus; ergo omne visum est album' est fallacia accidentis, sed non est hic fallacia consequentis, quia conclusio nullam praemissam infert.

Et ideo falsum est quod aliqui dicunt quod semper arguendo ex omnibus affirmativis in secunda figura est facere fallaciam consequentis. Videndum est ergo de fallacia consequentis arguendo enthymematice, quo viso scietur faciliter quando generaliter est fallacia consequentis, sive arguatur ex pluribus praemissis sive non.

Unde sciendum quod ad assignandum fallaciam consequentis non sufficit dicere quod sequitur e converso et non sic. Quamvis enim ista sit generalis solutio, tamen praeter istam solutionem generalem oportet dare aliam regulam specialem quare sequitur e converso et non sic.

Et hoc est in assignando duas regulas speciales, per quarum unam declaratur quod sequitur e converso et per aliam quod non sequitur sic. Et ita generaliter in assignatione fallaciae consequentis oportet duas regulas speciales assignare et pro diversis sophismatibus oportet diversis regulis uti, de quibus aliquae gratia exempli subicientur.

Unde sciendum quod quando arguitur ab inferiori distributo ad superius distributum est fallacia consequentis.

Sicut hic est fallacia consequentis `omnis homo currit, igitur omne animal currit'. Tenet enim e converso per istam regulam `a superiori distributo ad inferius distributum est bona consequentia'; non tenet autem sic, quia ab inferiori ad superius cum distributione non valet consequentia.

Similiter quando arguitur a termino stante confuse tantum ad terminum stantem determinate, nulla variatione facta circa alios terminos, est fallacia consequentis.

Sicut hic est fallacia consequentis `omnis homo est animal, igitur al est omnis homo'. Tenet enim e converso, per istam regulam `a termino stante determinate ad terminum stantem confuse tantum, nulla variatione facta circa alios terminos, est bona consequentia', eo quod contingit ascendere ad terminum stantem confuse tantum.

Non tenet autem sic, propter istam regulam quae nunc dicta est, scilicet quod `a termino stante confuse tantum ad terminum stantem determinate non valet consequentia'. Unde per istum modum peccant omnia talia sophismata: omni parte istius continui est aliqua pars eius prius terminata, ergo aliqua pars istius continui est prius terminata omni parte istius continui; inter omne instans futurum et hoc instans est aliquod instans medium, ergo aliquod instans est medium inter omne instans futurum et hoc instans; omni quantitate potest fieri aliqua quantitas maior, igitur potest fieri aliqua quantitas maior omni quantitate; post omnem diem potest esse aliqua dies, ergo aliqua dies potest esse post omnem diem; omni parte continui potest dari aliqua pars minor, ergo aliqua pars minor omni parte continui potest dari.

In omnibus enim istis et consimilibus praedicatum in antecedente supponit confuse tantum, propter hoc quod sequitur signum mediate, et in conclusione supponit determinate, quia praecedit signum, ideo est fallacia consequentis.

<Similiter est hic>: utrumque istorum potest esse verum, <demonstratis duobus contradictoriis dubitabilibus>, ergo aliquod verum potest esse utrumque istorum. Item, arguendo a termino stante determinate vel confuse tantum ad terminum stantem confuse et distributive, est fallacia consequentis.

Sicut hic: tu ignoras aliquam propositionem, ergo tu nescis aliquam propositionem; tu dubitas aliquid, igitur tu nescis aliquid; Sortes videt non—hominem, ergo Sortes non videt hominem.

Item, quando obliquus et rectus sequuntur signum universale affirmativum, primo ponendo rectum post signum et obliquum, et post praeponendo rectum signo et obliquo, est facere fallaciam consequentis.

Sicut sic arguendo `omnem hominem videns est asinus, ergo videns omnem hominem est asinus'; quia ponatur quod quilibet asinus videat aliquem hominem et nullus asinus videat omnem hominem, tunc est antecedens verum et consequens falsum.

Item, quando alicuius universalis quaelibet singularis per se sumpta est vera, tamen simul sumpta sunt incompossibilia, et tamen quaelibet est compossibilis alteri, tunc arguendo ab universali de possibili, aequivalenti sensui compositionis, ad propositionem de possibili in qua subiectum cum eodem signo ponitur a parte praedicati, est fallacia consequentis.

Sicut sic arguendo `secundum omne signum potest continuum dividi, igitur continuum potest dividi secundum omne signum'. Nec sequitur `continuum potest dividi secundum hoc signum et continuum potest dividi secundum illud signum, et sic de singulis, ergo continuum potest dividi secundum omne signum'.

Tamen frequenter in auctoribus una talium propositionum ponitur loco alterius, quamvis de virtute sermonis non aequivaleant. Propter quod in talibus est fallacia consequentis, secundum principia Aristotelis, `omni forma potest haec materia privari, igitur haec materia potest privari omni forma'.

Per istam enim `omni forma potest haec materia privari' non denotatur nisi quod quaelibet talis sit possibilis `hac forma privatur haec materia', quacumque forma demonstrata.

Et manifestum est, secundum principia Aristotelis, quod quaelibet talis est vera. Sed per istam `haec materia potest privari omni forma' denotatur quod haec sit possibilis `haec materia est privata omni forma'.

Sed haec est impossibilis, secundum principia Aristotelis. Similiter hic est fallacia consequentis `in omni instanti futuro potest iste peccare, — demonstrato aliquo qui nunc est sub actu meritorio —, igitur iste potest peccare in omni instanti futuro'.

Nam antecedens est verum et consequens falsum, eo quod non est dare ultimum rei permanentis in esse, et per consequens si iste actus meritorius est, erit post hoc instans. Similiter hic est fallacia consequentis `ante omne instans futurum potest Sortes non esse, ergo Sortes potest non esse ante omne instans futurum'.

Item, quando aliqua propositio modalis non potest converti transponendo praecise terminos sequentes et praecedentes verbum vel verba, arguendo a tali modali indefinita vel universali ad conversam singularem vel ei aequivalentem est fallacia consequentis quantum est ex forma arguendi, quamvis in aliquibus terminis teneat.

Propter quod in talibus est fallacia consequentis `actum meritorium potest Deus facere se solo, ergo Deus se solo potest facere actum meritorium'. Verumtamen sciendum est quod in omnibus praedictis potest assignari fallacia figurae dictionis.

Multae aliae regulae possent dari deservientes isti fallaciae. Sed sciendum est quod ad sciendum generaliter quando est fallacia consequentis et quando non, oportet scire omnes regulas, datas prius, deservientes consequentiis, et universaliter omnes quae possunt deservire cuicumque enthymemati. Et ideo nisi sciantur omnes regulae consequentiarum non potest universaliter sciri quando est ista fallacia et quando non accidit huiusmodi fallacia.

3—4. 13. DE FALLACIA SECUNDUM QUID ET SIMPLICITER

Sequitur videre de fallacia secundum quid et simpliciter, quae est quando arguitur sophistice ab aliquo sumpto cum determinatione ad aliquid per se sumptum, vel e converso.

Causa apparentiae istius fallaciae est similitudo alicuius per se sumpti ad ipsum sumptum cum alio. Causa non—exsistentiae est eorum diversitas. Oportet autem scire quod `secundum quid' vocatur hic aliquis terminus sumptus cum addito, `simpliciter' autem vocatur terminus per se sumptus, sine tali addito. Sunt autem huius fallaciae duo modi principales. Unus est quando arguitur ab esse quod est secundum adiacens ad ipsum quando est tertium adiacens, sive affirmative sive negative.

Secundus modus est quando a parte eiusdem extremi arguitur ab aliquo sumpto cum addito ad ipsum, vel ad suum superius vel convertibile, sine addito vel e converso. Penes primum modum peccant talia sophismata `Antichristus non est, igitur Antichristus non est possibilis'; `Antichristus non est, ergo Antichristus non est cognitus a te'. Hic in secundo argumento nulla est fallacia consequentis, quia non sequitur e converso, quamvis in primo argumento simul sit fallacia consequentis et fallacia secundum quid et simpliciter.

Est autem ibi fallacia secundum quid et simpliciter, quia arguitur ab esse per se sumpto ad ipsum cum praedicato sequente, quod praedicatum ita potest competere termino supponenti pro non ente sicut pro ente.

Et quandocumque sic arguitur, est fallacia secundum quid et simpliciter arguendo negative, et e converso arguendo affirmative. Sicut hic est fallacia secundum quid et simpliciter `a est producibile a Deo, igitur a est', et similiter hic `a non est, igitur a non est producibile a Deo'.

Similiter hic `Antichristus non est, igitur Antichristus non est praescitus a Deo', et e converso `Antichristus est praescitus a Deo, igitur Antichristus est'. Unde quia illud quod non est, potest praesciri sicut illud quod est, ideo in talibus est fallacia secundum quid et simpliciter.

Et ista est una regula generalis pro isto modo istius fallaciae. Sed scire in particulari quando praedicatum potest competere termino pro non ente sicut pro ente ad praecise logicum scire non pertinet, sed hoc pertinet ad scientem logicam et alias scientias particulares. Alia regula pro isto modo est quod quando praedicatum non est commune omnibus, semper est fallacia secundum quid et simpliciter, vel affirmative vel negative arguendo.

Sicut hic est fallacia secundum quid et simpliciter `Sortes non est asinus, igitur Sortes non est'; `homo est, igitur homo est asinus'. Unde generaliter quando arguitur negative, est fallacia secundum quid et simpliciter. Similiter arguendo ex consequente, est fallacia secundum quid et simpliciter affirmative. Secundus modus principalis est quando a parte eiusdem extremi arguitur ab aliquo sumpto cum addito ad ipsum, vel suum convertibile vel superius, per se sumptum, vel e converso.

Et tunc videndum est an illud additum et illud cui additur se habent sicut adiectivum et substantivum vel non. Si primo modo, aut praedicatio unius de alio est

impossibilis, aut praedicatio unius de alio universaliter sumpto est necessaria aut contingens.

Si sit impossibilis, semper arguendo affirmative a tali sumpto cum alio ad ipsum, vel convertibile, est fallacia secundum quid et simpliciter, non tamen semper arguendo ad quodlibet suum superius.

Sicut hic est fallacia secundum quid et simpliciter `Sortes est homo mortuus, igitur Sortes est homo', quia haec est impossibilis `homo est mortuus'. Similiter, propter idem, hic est fallacia secundum quid et simpliciter `Sortes est homo mortuus, igitur Sortes est rationalis vel risibilis'.

Similiter hic `a est syllogismus sophisticus, igitur a est syllogismus', quia haec est impossibilis `aliquis syllogismus est sophisticus'. Similiter hic `hoc est falsum argumentum, igitur hoc est argumentum'. Similiter hic `iste est bonus latro, igitur iste est bonus'.

Similiter hic `iste est perfectus latro, igitur iste est perfectus'. Verumtamen quamvis ad unam partem sit fallacia secundum quid et simpliciter, non tamen semper arguendo ad aliam est fallacia secundum quid et simpliciter.

Sicut hic nulla est fallacia `Sortes est homo mortuus, ergo Sortes est mortuus'. Nec hic `Sortes est perfectus latro, igitur est latro'. Nec hic `iste est bonus sutor, ergo iste est sutor'. Nec hic `a est syllogismus sophisticus, igitur a est sophisticus'. Ad sciendum autem ad quam partem arguendo est fallacia secundum quid et simpliciter et ad quam non, oportet definire totum compositum, vel aliquod nomen cum eo convertibile, definitione exprimente quid nominis. Et si in illa definitione ponatur una pars affirmative, vel aliquod convertibile cum una parte et non cum altera, semper arguendo ad illam partem est bonum argumentum et arguendo ad aliam est fallacia secundum quid et simpliciter.

Verbi gratia definiatur hoc totum `homo mortuus' vel aliquod nomen cum eo convertibile. Et dabitur talis definitio `quod non est homo, sed fuit homo'. Hic ponitur `homo' negative, ideo ad hominem arguendo est fallacia secundum quid et simpliciter, et ad aliam partem est bonum argumentum.

Similiter definiatur hoc totum, vel aliquod nomen cum eo convertibile, `perfectus latro', et dicetur sic `latro, sciens perfecte artem latrocinandi'. Hic ponitur `latro' et non `perfectus', nec aliquod convertibile cum perfecto, et ideo hic non est fallacia secundum quid et simpliciter `iste est perfectus latro, igitur est latro', sed hic est fallacia secundum quid et simpliciter `iste est perfectus latro, igitur iste est perfectus'.

Similiter, bonus sutor est sutor habens perfecte artem suendi, ideo hic non est fallacia secundum quid et simpliciter `iste est bonus sutor, igitur est sutor', sed hic `iste est bonus sutor, igitur iste est bonus'.

Et sicut dicitur de istis, ita dicendum est de aliis.

Nam si esset aliquod nomen convertibile cum hoc toto `albus monachus', deberet taliter definiri `monachus utens ex professione alba veste'. Et propter hoc hic non est fallacia secundum quid et simpliciter `iste est albus monachus, igitur iste est monachus', sed hic `iste est albus monachus, igitur iste est albus'.

Si autem praedicatio unius partis vel totius de alia sit necessaria, semper ad utramque partem est bonum argumentum sine fallacia, saltem in creaturis. Forsan in divinis propter aliquid proprium Deo, qui est una essentia simplex et tres personae, talis modus arguendi non valet `essentia est Pater generans, igitur essentia est generans'. Si autem praedicatio unius partis vel totius de alia sit contingens, tunc, utendum est illa arte quae exprimit definitionem alicuius nominis convertibilis cum illo toto.

Et si in illa definitione ponitur utraque pars, vel cum utraque parte aliquod convertibile, semper tunc a toto ad utramque partem est bonum argumentum sine fallacia. Sicut si esset aliquod nomen convertibile cum hoc toto `homo albus' et deberet definiri ultimata definitione exprimente quid nominis, deberet tali modo definiri `homo habens albedinem'.

Et hic ponitur `homo', et hic ponitur `habens albedinem' quod convertitur cum `albo', et ideo sequitur `Sortes est homo albus, igitur Sortes est homo et Sortes est albus'. Si autem non utraque pars vel aliquod convertibile ponitur in tali definitione ultimate exprimente quid nominis sed una tantum, tunc ad unam esset fallacia secundum quid et simpliciter et non ad aliam.

Et per istam regulam patet quod talia argumenta non peccant per fallaciam secundum quid et simpliciter `homo albus est aggregatum per accidens, igitur homo est aggregatum per accidens'; `lapis intellectus est ab aeterno, igitur lapis est ab aeterno'; `Caesar opinabilis est, igitur Caesar est' et huiusmodi.

Potest tamen in talibus et consimilibus assignari aliqua multiplicitas penes aequivocationem vel amphiboliam, et in uno sensu erunt consequentiae bonae et in alio non valebunt.

Ista quae dicta sunt intelligenda sunt quando ex talibus arguitur affirmative. Ex quibus faciliter patere potest quid de eis est dicendum quando arguitur negative, quia quando affirmative arguendo est fallacia secundum quid et simpliciter, arguendo negative ex opposito consequentis erit similiter fallacia secundum quid et simpliciter.

Si autem additum et illud cui additur non se habent sicut adiectivum et substantivum, tunc vel totum ex addito et illo cui additur potest esse indifferenter praedicatum et subiectum propositionis, — cuiusmodi sunt talia `album secundum dentes', `intellectio lapidis', `servus hominis' et huiusmodi —, vel non.

Si sic, videndum est an pars praedicetur de toto necessario posita constantia subiecti — quod potest sciri per definitionem exprimentem quid nominis — vel non. Si sic, semper a toto ad illam partem est bonum argumentum, et ideo bene sequitur `intellectio lapidis est prior Filio, igitur intellectio est prior Filio'.

Similiter bene sequitur `intellectio qua Deus intelligit lapidem est posterior Patre, igitur intellectio creaturae est posterior Patre'. Similiter ista consequentia est bona `intellectio qua Deus intelligit creaturam est posterior Patre, igitur intellectio qua Deus intelligit est posterior Patre'.

Et ideo sicut consequens est falsum, ita antecedens est falsum. Propter quod tales propositiones sunt falsae `intellectio creaturarum praesupponit suppositum divinum'; `intellectio creaturarum praesupponit emanationem personarum'; 'persona praesupponit intellectionem creaturarum'; `persona praesupponit essentiam' et huiusmodi. Si autem non oportet quod totum praedicetur de parte nec e converso, etiam posita constantia subiecti, semper a tali cum addito ad ipsum per se sumptum est fallacia secundum quid et simpliciter. Sicut hic `album secundum dentes currit, igitur album currit'; `iste est pater tuus, igitur est tuus'; `hoc est opus tuum, ergo est tuum'.

Ad sciendum autem quando est talis fallacia et quando non in tali modo arguendi, utile est resolvere propositiones in propositiones priores, quantum possibile est, vel exprimendo definitiones exprimentes quid nominis terminorum, vel aliquo alio convenienti modo, et videre an ex propositionibus in quas fit resolutio valeat talis modus arguendi.

Verbi gratia ista propositio `Aethiops est albus secundum dentes' aequivalet isti `aethiops habet dentes albos'; et ideo sicut manifestum est quod non sequitur `Aethiops habet albos dentes, igitur est albus', ita non sequitur `Aethiops est albus secundum dentes, igitur est albus'.

Oportet autem scire quod praedicta intelligenda sunt de propositionibus mere categoricis quae non aequivalent condicionalibus, quia in talibus non semper valent tales consequentiae, quamvis pars praedicetur de toto.

Propter quod talis modus arguendi ex aliquibus verbis non valet et ex aliis valet. Unde bene sequitur `Sortes est in luto cum centum marcis, igitur Sortes est in luto'. Et tamen non sequitur `Sortes vellet esse in luto cum centum marcis, igitur Sortes vellet esse in luto'. Nam ista `Sortes est in luto cum centum marcis' non aequivalet alicui condicionali, sed ista

'Sortes vellet esse in luto cum centum marcis' aequivalet isti condicionali `Sortes vellet esse in luto si deberet per hoc lucrari centum marcas'. Similiter ista consequentia est bona `non vendo tibi equum, igitur non vendo tibi equum pro centum marcis'; et tamen non sequitur `nollem tibi vendere equum, igitur nollem tibi vendere equum pro centum marcis'. Si autem illud quod additur et illud cui

additur non possunt esse indifferenter subiectum vel praedicatum propositionis, tunc est adverbium illud quod additur, vel praepositio cum suo casuali, vel aliquid simile talibus.

Quantum ad talia et in talibus est difficile vel impossibile dare regulam generalem propriam illis, quia aliquando negative est fallacia secundum quid et simpliciter arguendo a determinabili cum addito ad ipsum per se sumptum, et aliquando est fallacia secundum quid et simpliciter arguendo affirmative.

Sicut hic est fallacia secundum quid et simpliciter `homo non est necessario animal, igitur homo non est animal; `Deus non fuit semper creans, igitur Deus non fuit creans'; `homo non currit velociter, igitur homo non currit'.

Similiter affirmative arguendo est fallacia secundum quid et simpliciter, arguendo in talibus ab aliquo per se sumpto ad ipsum sumptum cum determinatione tali, sicut hic `homo est animal, igitur homo necessario est animal'.

Oportet autem scire pro ista fallacia quod quando arguitur ab aliquo sumpto cum determinatione ad ipsum per se sumptum, vel e converso, accipienda est propositio qua expressa talis consequentia in syllogismum reducitur, et videndum est an illa propositio, vel condicionalis illi categoricae correspondens, sit necessaria vel non.

Si sic, non est fallacia secundum quid et simpliciter.

Si nec illa categorica nec condicionalis sibi correspondens est necessaria, est fallacia secundum quid et simpliciter. Verbi gratia si arguatur sic `Sortes est albus secundum pedem, igitur Sortes est albus' addenda est ista propositio `omne album secundum pedem est album', qua expressa completur forma syllogistica, sic arguendo `omne album secundum pedem est album; Sortes est albus secundum pedem; igitur Sortes est albus'.

Et si ista propositio, vel ista condicionalis, `si aliquid est album secundum pedem, ipsum est album' sit necessaria, prima consequentia erit bona. Sed quia neutra illarum propositionum est necessaria, ideo est ibi fallacia secundum quid et simpliciter.

Et consimiliter est de aliis.

3—4. 14. DE FALLACIA SECUNDUM IGNORANTIAM ELENCHI

Nunc restat dicere de fallacia secundum ignorantiam elenchi, quae est deceptio proveniens ex defectu alicuius illarum quatuor particularum `ad idem', `secundum idem', `similiter', et

'in eodem tempore'. Ad cuius evidentiam sciendum est quod istae particulae non debent poni in elencho, sed debent assumi tales propositiones ex quarum forma non denotetur quod fiat verificatio respectu diversorum, vel secundum diversa, vel non similiter, vel non in eodem tempore; et quando aliter denotatur per formam propositionis, est fallacia secundum ignorantiam elenchi.

Et potest fieri ista fallacia quatuor modis, secundum istas quatuor particulas.

Uno modo ex hoc quod referuntur ad diversa, sic `hoc est duplum respectu a; et hoc non est duplum respectu b; ergo hoc est duplum et non duplum'. Similiter `Sortes est similis Platoni; Sortes non est similis Ioanni; ergo Sortes est similis et non similis'.

Similiter hic `Sortes est filius Platonis; Sortes non est filius Ciceronis; ergo Sortes est filius et non filius'. Penes secundum modum, scilicet `secundum idem', fiunt tales paralogismi `Sortes est similis Platoni secundum albedinem; Sortes non est similis Platoni secundum musicam; ergo Sortes est similis Platoni et non est similis Platoni'. Similiter hic `a est duplum respectu b secundum longitudinem; a non est duplum respectu b secundum latitudinem; ergo a respectu b est duplum et non duplum'.

Potest etiam fieri sic ignorantia elenchi `a est duplum respectu b; a non est latius b ergo a respectu b est duplum et non duplum'. Secundum tertium modum fiunt tales paralogismi `Sortes currit velociter; Sortes non currit necessario; igitur Sortes currit et non currit'.

Similiter hic `iste disputat scientifice; iste non disputat invite; igitur iste disputat et non disputat'. Secundum quartum modum fiunt tales paralogismi `iste curret cras; iste non curret post cras; igitur iste curret et non curret'.

Similiter hic `Christus fuit Deus ab aeterno; et fuit homo ex tempore; igitur fuit homo et non fuit homo'. Et peccant omnia praedicta sophismata, quia in praedictis fit verificatio respectu diversorum, vel secundum diversa, vel non similiter, vel non in eodem tempore.

Oportet autem scire quod in tali modo arguendi vel infertur contradictio incomplexorum, sicut exemplificatum est, et tunc simpliciter non valet discursus; vel contingit inferre contradictoria incomplexa, et tunc adhuc non valet discursus de virtute sermonis, quamvis secundum usum aliquorum improprium concedendae essent conclusiones.

Aut inferuntur non contradictoria incomplexa de eodem sed aliqua quae sunt contraria relativa, et tunc possunt absolute concedi discursus sine fallacia. Sicut bene sequitur `Sortes est similis Platoni; Sortes est dissimilis Ciceroni; igitur Sortes est similis et dissimilis'.

Similiter in quarto modo contingit inferre contradictoria incomplexa, sic arguendo `Sortes erit albus in a; Sortes erit non—albus in b; igitur Sortes erit albus et non albus'. Sed non sequitur `Sortes erit albus et non albus, ergo Sortes erit albus et non erit albus', propter hoc quod ista consequentia non valet `Sortes erit non—albus, igitur Sortes non erit albus'.

Tamen si argueretur per verbum de praesenti, esset consequentia bona. Et tunc potest esse ignorantia elenchi sine fallacia secundum quid et simpliciter; et tamen frequenter ubi est ignorantia elenchi, est fallacia secundum quid et simpliciter, quia tunc frequenter arguitur sophistice ab aliquo sumpto cum addito ad ipsum sumptum per se, et per consequens est ibi fallacia secundum quid et simpliciter.

3—4. 15. DE FALLACIA PETITIONIS PRINCIPII

Post fallacias penes quas peccant argumenta peccantia in forma dicendum est de fallaciis penes quas non peccant argumenta sophistica, sed penes quas peccat opponens in arguendo contra respondentem. Quarum prima est petitio principii, quae tunc accidit quando opponens, quamvis inferat conclusionem quam intendit, tamen non potest convincere respondentem, eo quod accipit quod deberet probare.

Et dicitur `petitio principii' non quia accipit illud idem quod deberet inferre, tunc enim nulla esset apparentia, sed dicitur opponens petere principium quando accipit aeque ignotum vel ignotius illo quod deberet inferre.

Et propter hoc semper potest respondens petere probationem assumpti quousque accipiat aliquid notius.

Fit autem ista fallacia multis modis. Uno modo fit quando arguitur a nomine synonymo ad synonymum; sicut sic arguendo `Marcus currit, igitur Tullius currit'.

Statim enim accipitur aliquid aeque ignotum cum conclusione inferenda.

Alius modus est quando arguitur a definitione exprimente quid nominis ad definitum vel e converso. Et hoc quia in omni disputatione debent praesupponi significata vocabulorum. Unde patet quod hic est petitio principii `ignis est productivus caloris, igitur ignis est calefactivus'. Alius modus est quando arguitur ab una convertibili propositione ad aliam, quarum neutra est prior vel notior alia; sicut hic `nullus musicus est grammaticus, igitur nullus grammaticus est musicus'. Unde universaliter quando assumitur aeque ignotum vel ignotius ipsi respondenti quam sit conclusio inferenda, est petitio principii. Sciendum est tamen quod quamvis respondens non possit convinci per rationem dum accipitur aeque ignotum vel ignotius, potest tamen convinci per auctoritatem, si velit auctoritatem recipere. Sicut si respondens nolens negare auctoritatem aliquam, neget istam `Marcus currit', quamvis opponens sic arguat `Tullius currit, igitur Marcus currit' non convincet eum; si tamen ostendit istam `Tullius currit' in auctore quem non vult negare, convincet eum sufficienter.

Et ita est de aliis.

3—4. 16. DE FALLACIA SECUNDUM NON—CAUSAM UT CAUSAM

Post petitionem principii sequitur fallacia secundum non—causam ut causam, penes quam non peccat aliquis paralogismus in forma quin conclusio sequatur ex antecedente, nisi aliqua alia fallacia illationem impediat. Ad cuius evidentiam sciendum est quod fallacia secundum non—causam ut causam est tantum in syllogismis ducentibus ad impossibile, hoc est ad falsum, vel secundum veritatem, vel secundum responsionem vel opinionem respondentis.

Et accidit in illis syllogismis non—causa ut causa quando ex impossibilitate seu falsitate conclusi infertur aliquid esse falsum, quo posito, hoc est quo exsistente falso vel vero, nihilominus accidit illud falsum conclusum, ita quod sive illud assumptum fuerit verum vel falsum nihilominus conclusum erit falsum, et ideo fallacia secundum non—causam ut causam coincidit cum `non propter hoc accidere falsum', de quo determinat Aristoteles in II Priorum.

Sunt autem istius fallaciae duo modi.

Unus est quando accipitur aliqua propositio, superflua etiam ad illationem, quae apparet esse causa falsitatis conclusi, et tamen non est propter eam falsum conclusum. Sicut si detur ista propositio `anima et vita sunt idem realiter', et opponens velit probare eam esse falsam, ducendo ex ista ad impossibile, sic arguendo: anima et vita sunt idem realiter; mors et vita sunt contraria, et mors contrariatur generationi; ergo vita contrariatur corruptioni. Ista conclusio est falsa, igitur ista `anima et vita sunt idem realiter' ex qua sequitur falsum. —Hic est fallacia secundum non—causam ut causam, quia ista conclusio `vita est contraria corruptioni' nihilominus sequitur, sive ista `anima et vita sunt idem realiter' fuerit vera sive falsa. Secundus modus istius fallaciae est quando non accipitur propositio superflua illationi falsi, sed propter eius falsitatem non est conclusio falsa. Sicut si respondens det istam propositionem `nullum album esse nigrum est necessarium', et opponens velit probare eam esse falsam, deducendo ex ea impossibile, sic arguendo: omne quod movetur ab albedine in nigredinem partim est album et partim est nigrum, quia partim est sub albedine et partim est sub nigredine; nullum album esse nigrum est necessarium; igitur necesse est nihil moveri ab albedine ad nigredinem.

Ista conclusio est falsa, igitur ista ex qua sequitur, `nullum album esse nigrum est necessarium', est falsa. Respondendum est quod ista conclusio falsa non accidit propter falsitatem istius `nullum album esse nigrum est necessarium', sed propter falsitatem istius `omne quod movetur ab albedine ad nigredinem est partim album et partim nigrum'. Unde sciendum quod in isto casu respondendum est quod conclusio impossibilis concluditur non propter impossibilitatem praeconcessi sed propter impossibilitatem coassumpti. Quandoque autem accidit impossibile non propter impossibilitatem praeconcessi nec propter impossibilitatem coassumpti sed propter incompossibilitatem eorum. Sicut si arguens vellet probare contra

respondentem impossibilitatem istius `tu sedes', sic arguendo: tu sedes; tu stas, ergo contradictoria sunt simul vera. Ista conclusio est impossibilis, et haec est possibilis `tu stas', igitur haec est impossibilis `tu sedes'.

Respondendum est quod haec conclusio impossibilis non sequitur nec propter impossibilitatem unius nec propter impossibilitatem alterius, sed propter eorum incompossibilitatem.

Et sic solvuntur talia sophismata: si dicat respondens `possibile est istum damnari', demonstrando aliquem qui in rei veritate est praedestinatus, et opponens probet quod haec sit falsa, sic: si haec sit vera `possibile est istum damnari', ponatur in esse.

Qua posita in esse sequitur impossibile, sic arguendo `iste est praedestinatus; iste est damnatus; ergo damnatus est praedestinatus'. Conclusio est impossibilis, et maior est vera vel indeterminate vera, igitur minor est impossibilis, et per consequens haec est falsa `possibile est istum damnari'.

—Respondendum est quod sequitur conclusio impossibilis non quia haec est falsa `possibile est istum damnari', nec quia haec ponitur in esse `possibile est istum damnari', sed quia in antecedente accipiuntur duae propositiones incompossibiles. Oportet autem scire quod quamvis primus discursus quo concluditur falsum vel impossibile non peccet in forma vel in materia, tamen in posteriori processu quo sic arguitur `conclusio est falsa, et non illa praemissa, ergo reliqua' vel sic `conclusio est falsa, igitur illa assumpta concessa est falsa' vel est peccatum in forma vel in materia, ita quod consequentia non valet secundum veritatem vel secundum responsionem respondentis, si recte respondeat, vel aliqua propositio quam accipit est falsa.

3—4. 17. DE FALLACIA SECUNDUM `PLURES INTERROGATIONES UT UNAM FACERE

Ultima fallacia est secundum plures interrogationes ut unam facere. Iuxta quam non peccat aliquod argumentum quantum ad illationem, sed iuxta eam peccat opponens in arguendo contra respondentem, quia accipit unam interrogationem quae est aequivalenter plures, hoc est quae aequivalet pluribus.

Ex qua si postea arguat sophistice, argumentum suum peccabit per aliquam aliam fallaciam. Si tamen proposita interrogatione statim respondens unica responsione respondeat, poterit faciliter decipi, et ideo ista fallacia est inter fallacias connumeranda.

Intelligendum est autem quod dupliciter potest aliqua interrogatio intelligi plures: vel quia plura enuntiantur de pluribus, vel unum de pluribus, vel e converso, vel quia accipiuntur termini in numero singulari, ita tamen quod propositio, ex qua formatur talis interrogatio, est propositio una unitate sufficiente ad contradictionem.

Aliter potest aliqua interrogatio esse plures, quia illa oratio non est una.

Sicut sic dicendo `Sortes est homo asinus' vel `Sortes est musicus albus calidus grammaticus'. Ad interrogationem, quae plures est primo modo, potest dari semper una responsio, concedendo vel negando, nec potest ex tali responsione duci ad contradictionem.

Cum enim semper altera pars contradictionis sit vera et altera falsa, debet una negari et altera affirmari. Unde demonstratis duobus quorum unum est album et aliud nigrum et interrogetur an ista sint alba vel nigra, debet dici quod nec sunt alba nec nigra. Et eodem modo est de aliis, quod altera pars potest affirmari vel negari.

Tamen si quis in multis talibus vellet affirmative respondere, non debet unam responsionem dare sed multas, dicendo quod hoc est album et illud nigrum, et sic de aliis consimilibus.

Ad interrogationem autem quae plures est secundo modo, non debet dari unica responsio, sed si respondens velit respondere, plures debet dare responsiones; ut si quaeratur an Sortes sit musicus albus, non debet responderi concedendo vel negando.

Sed si velit respondere, debet dare plures responsiones, puta si Sortes est albus et non musicus, debet dicere quod est albus et quod non est musicus. Et sic de consimilibus est dicendum.

3—4. 18. QUOMODO OMNES FALLACIAE PECCANT CONTRA SYLLOGISMUM

Post praedicta restat videre quomodo praedictae fallaciae peccant contra syllogismum et quomodo paralogismi, qui videntur syllogismi completi et non sunt, deficiunt a natura syllogismi.

Et de fallaciis iuxta quas sunt orationes multiplices non est difficile hoc videre. Tales enim paralogismi vocaliter similes sunt veris syllogismis, sicut patet de aequivocatione in talibus paralogismis `omnis canis currit; caeleste sidus est canis; igitur caeleste sidus currit', `omnis homo est animal rationale; haec statua est homo; igitur haec statua est animal rationale', `nullum animal est species; homo est species; igitur homo non est animal'. Isti enim paralogismi vocaliter eodem modo formantur quo formantur perfecti syllogismi; nec est hic aliquis defectus syllogismi nisi quia in quolibet illorum est aliqua propositio distinguenda penes aequivocationem. Iuxta amphiboliam sic formantur paralogismi `omnis propositio vera, si est necessaria, est possibilis; te esse asinum est propositio vera si est necessaria; igitur te esse asinum est possibile', `quicumque vendit oleum, est mercator; iste adulator vendit oleum; igitur iste adulator est mercator', `quidquid est alterum istorum et reliquum istorum, est utrumque istorum; aliquod verum est alterum istorum et reliquum istorum; igitur aliquod verum est utrumque istorum', demonstratis duobus contradictoriis.

In istis paralogismis nullus est defectus a veris condicionibus syllogismi nisi quod in eis est aliqua oratio multiplex secundum amphiboliam. Iuxta compositionem et divisionem sic formantur paralogismi `quicumque vivit semper est; iste vivit; igitur iste semper est'.

Iuxta accentum sic formantur `nullus iustus debet pendere; iste est iustus; igitur iste non debet pendere'.

Iuxta fallaciam figurae dictionis sic formantur paralogismi `omnis substantia est subiecta accidenti; omne animal est substantia; igitur omne animal est subiecta accidenti', `quidquid heri emisti, hodie comedisti; tu heri emisti carnes crudas; igitur tu hodie comedisti carnes crudas'.

In istis enim non servatur forma syllogistica, sicut patet per regulas prius datas de syllogismo et speciebus eius. Similiter hic est fallacia figurae dictionis, deficiens a condicionibus syllogismi `quodlibet aliud a Deo potest Deus facere sine alia creatura; equitare est aliud a Deo; igitur equitare hominem sine equo potest Deus facere'.

Iuxta accidens sic formantur paralogismi `homo currit; Sortes est homo; igitur Sortes currit', `iste canis est tuus; iste canis est pater; igitur iste canis est pater tuus'. In istis enim paralogismis et in omnibus paralogismis accidentis servatur debita forma in praemissis, sed in primo paralogismo non servatur modus, quia praemissae non disponuntur modo convenienti, ideo non est syllogismus.

In secundo paralogismo, quamvis praemissae convenienter disponantur, tamen conclusio non convenienter infertur ex praemissis, quia maior extremitas et minor extremitas coniunguntur a parte eiusdem extremi et medius terminus ponitur in conclusione; quorum utrumque repugnat syllogismo, propter quod forma syllogistica non servatur ibidem.

Et ita non sunt completi syllogismi.

Iuxta fallaciam consequentis sic formantur paralogismi `omnis homo currit; omnis homo est animal; igitur omne animal currit'. Hic enim est defectus syllogismi, quia infertur conclusio universalis quae debet esse particularis. Iuxta fallaciam secundum quid et simpliciter formantur sic paralogismi `nullus prudens vult ditare inimicum suum; iste homo est prudens; igitur iste non vellet propter bonum rei publicae ditare inimicum suum'. Hic non est aliquis defectus, nisi quia aliqua determinatio additur in conclusione quae non erat accepta in praemissis, et ideo est fallacia secundum quid et simpliciter. Iuxta ignorantiam elenchi sic formantur paralogismi: concesso quod Aethiops est niger, arguitur ad probandum quod Aethiops non est niger, sic `nullum album est nigrum; Aethiops est albus secundum dentes; igitur Aethiops non est niger'. Hic enim est fallacia, quia in contradicendo respondenti accipitur non absolute quod

Aethiops est albus, sed quod est albus secundum aliquam partem secundum quam non est niger, sed secundum aliam partem propter quam Aethiops est niger <non accipitur>. Et ita non accipitur secundum idem, propter quod est ibi fallacia secundum ignorantiam elenchi.

Iuxta fallacias residuas non formantur argumenta peccantia in forma, quamvis iuxta eas peccet opponens disputando contra respondentem, ideo non oportet de eis exemplificare.

Omne enim argumentum apparens, peccans in forma, iuxta aliquam aliarum peccat. Quarum sufficientia et numerus potest sic accipi: quia omnis paralogismus vocalis, vel secundum vocem, quantum ad pluralitatem incomplexorum et quantitatem et qualitatem propositionum assimilatur vero syllogismo, cui competunt condiciones prius positae in tractatu de syllogismo; vel non sic assimilantur syllogismo secundum vocem. Si primo modo, impossibile est quod sit ibi aliquis defectus, nisi propter alicuius orationis multiplicitatem vel incongruitatem, vel propter hoc quod idem terminus, sine multiplicitate, pro aliquo supponit in una propositione pro quo non supponit in alia.

Ista propositio demonstrari non potest, sed accipitur per inductionem. Si propter primum non valeat syllogismus, quia scilicet est ibi aliqua multiplicitas: sicut isti syllogismi quantum ad numerum incomplexorum et qualitatem et quantitatem propositionum totaliter assimilantur `omnis canis currit; caeleste sidus est canis; igitur caeleste sidus currit', `omne animal est substantia; homo est animal; igitur homo est substantia'; sicut enim in secundo syllogismo maior est universalis et minor indefinita, et sicut illud idem et non aliud ponitur praedicatum in maiore et in conclusione, et subiectum minoris ponitur subiectum conclusionis, et nulla determinatio ponitur in praemissis quae non ponitur in conclusione et e converso, ita est in primo.

Et tamen primus est paralogismus et non secundus, propter hoc solum quod in primo est aliqua oratio multiplex et non in secundo. Quo posito aut ista multiplicitas est ex hoc quod aliqua vox, quae non est completa oratio, multipliciter accipitur, et tunc est fallacia aequivocationis, si dictio non varietur quantum ad modum pronuntiandi.

Aut est multiplicitas ex multiplicitate alicuius vocis quae potest variis modis pronuntiari et remanere dictio, vel quae potest esse dictio et oratio propter diversum modum pronuntiandi, et tunc est accentus.

Vel est tota oratio multiplex sine multiplicitate alicuius partis; et hoc potest esse dupliciter: vel quia illa oratio in utroque sensu uniformiter pronuntiatur, et tunc est amphibolia, vel non est uniformiter pronuntiata, et tunc est compositio et divisio.

Si autem talis discursus non sit syllogismus propter solam incongruitatem, tunc est fallacia figurae dictionis; sicut hic `omnis homo est animal; omnis Sortes est homo; igitur omnis Sortes est animal'.

Si enim loco istius termini `Sortes' poneretur iste terminus `asinus', cui congrue potest addi signum, esset bonus syllogismus. Si autem tertio modo fiat paralogismus, adhuc ibi potest assignari fallacia figurae dictionis, quia si loco istius termini `Sortes' poneretur aliquis terminus consimilis, potens supponere pro omni eodem in qualibet propositione, nullus esset defectus.

Et ita propter similitudinem istius dictionis ad aliam potest quis decipi per fallaciam figurae dictionis.

Unde si propter hoc quod iste syllogismus est bonus `iste est animal; iste est homo; igitur animal est homo' crederet aliquis quod iste syllogismus esset bonus `iste dicit hoc; falsum est hoc, — demonstrando istam: iste dicit falsum —; ergo falsum dicitur ab isto', deciperetur per fallaciam figurae dictionis. Si autem paralogismus vocalis non assimilatur quantum ad numerum terminorum et qualitatem et quantitatem propositionum in omnibus vero syllogismo: vel est ibi defectus praecise propter dissimilem qualitatem vel quantitatem propositionum praemissarum, vel propter hoc quod plures te ponuntur in conclusione quam in vero syllogismo, vel est ibi defectus propter excessum terminorum incomplexorum. Si primo modo vel secundo: vel e converso est bonum argumentum vel non. Si sic, est fallacia consequentis; si non, est fallacia accidentis. Si sit ibi excessus terminorum, quia scilicet plura incomplexa ponuntur quam deberent, quia scilicet aliquid additur in praemissa quod non deberet poni; vel aliquid tale additur in conclusione: et tunc vel illud cui additur accipitur tam in praemissa quam in conclusione, tamen in una additur sibi et non in alia, et tunc est fallacia secundum quid et simpliciter; vel additur uni in praemissa quod non ponitur in conclusione, et tunc est fallacia secundum ignorantiam elenchi.

Haec omnia patere possunt per exempla posita de istis fallaciis. Ex quibus etiam elici potest quo modo istae fallaciae ab invicem distinguuntur, ita quod quamvis fallaciae multae possunt concurrere in eodem paralogismo, tamen possibile est invenire paralogismos in quibus nullae fallaciae concurrunt exceptis fallacia accidentis et consequentis; quia ubicumque praemissae disponuntur in figura, si ibi sit fallacia consequentis, erit etiam ibi fallacia accidentis. Ad cognoscendum autem utrum in argumento facto sit fallacia vel non, inter alia documenta hoc est perutile et necessarium quod respondens ad nullum argumentum respondeat nisi opponens arguat ex certis propositionibus sub certis verbis non variatis nec transpositis nec aliquo modo mutatis, quas respondens diligenter consideret an aliqua illarum sit multiplex per aliquam fallaciam in dictione.

Deinde discutiat an tale argumentum per aliquam regulam certam et evidentem reguletur. Et tunc primo respondeat, diligenter considerans de quolibet an sit

consequens vel repugnans praeconcesso, vel antecedens praenegato, ut sic consequenter semper respondeat. Et haec de fallaciis ad praesens dicta sufficiant.

EXPLICIT TRACTATUS LOGICAE DIVISUS IN TRES PARTES ET UNAQUAEQUE PARS EST DISTINCTA PER CAPITULA.